This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HDI
HW 2RF4 0

Digitized by Google

KE 38339
V,32

יהוה



Discarded by authority of the Andover-Harvard Theological Library

Digitized by Google

69.61 129.61

THEOPHILI SIGEFRIDI BAYERI,

OPVSCVLA

AD

HISTORIAM ANTIQVAM,

CHRONOLOGIAM, GEOGRAPHIAM,

ET REM

NVMARIAM SPECTANTIA:

EDIDIT

CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

HALAE
TYPIS ET SVMTIBVS IO. IAC. CVRT.
MDCCLXX.

Digitized by Google

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
FEB 28 1962

Digitized by Google

CHRIST. ADOLPH. KLOTZIVS

S. P. D.

CAR. FRIDERICO FLOEGELIO.

Tamen pergam, obfirmato aduersus omnes, qui aut nequeant recte iudicare, aut nolint, animo, litteris, quam possum, operam nauare, neque ex pristino studio quidquam remittam. Ea profecto nunc est litterarum hominumque, litteris deditorum, in Germania, conditio, quam neque Tibi, amicissime Floegeli, placere scio, nec posse placere vllo modo viris bonis publicique commodi studiosis arbitror. Sparsis a nonnullis, quorum a me quemquam nominari non est necesse, cum lucri, tum famae, cuius comparandae viam vnicam siue ignorant, siue inire nolunt, foedis discordiae seminibus, ea inde dissidia odiaque orta sunt, quae Germano nomini, cum apud exteras nationes, detrahunt, tum apud posteritatem non possunt non summo dedecori turpitudinique maximae nostrae aetati esse. Nam quid iudicemus, aut potius quid eos, ad quos haec res nihil pertinet, quique, vt olim Homericus Iupiter, ranis et muribus pugnantibus, has turbas placido animo adspiciunt, iudicare putas de nostrorum hominum, feris et inhumanis moribus? quid de

Digitized by Google

chartis, quae quotidie inter nos euulgantur, omni acerbitatis veneno conſperſis? Nonne aliae, quarum ſcriptores optimas cauſas ingenii calumnia ludificantur, dicacitate ſcurrili et ſcenica pleniſſimae ſunt? aliae tam agreſtem immanitatem ſpirant, vt nullum omnino iſtos homines cum doctrina et humanitate commercium habuiſſe appareat? Plane intolerabilis eſt illa licentia, non verbis, ſed legibus et poenis coercenda, qua fieri videmus, vt humiles abiectique homines, qui ſuo nomine obſcuri ſunt, aliorum innoteſcunt, animi lucrique cauſa, bonorum et de litteris egregie meritorum virorum famam lacerent, claraque nomina mendaciis contumeliisque inſequantur. His vero libellis popellus leuis et ignavus inhiat: animum horum lectione delectat bonasque horas miſere perdit iuuentus noſtra, longe melioribus exemplis ad modeſtiam et humanitatem formanda: ſuis conuiciis ſe fagitari laetatur famelica Soſiarum familia, e qua ſi recordor exſtitiſſe vnum alterumue, atque in ſumma ingenii doctrinaeque paupertate tyrannidem affectaſſe, tum fere taedet et poenitet illius ciuitatis, cui non Pompeius, non Caeſar, ſed Spartacus aliquis regnum minari et iugum ſeruile iniicere audeat. Haec mecum conſiderantem, multa audientem quotidie, multa videntem, a quibus aures oculique abhorrent, dolore iuſtiſſimo me incendi non nego, atque eundem animo continere nec poſſum nec volo.

Quid enim prius querar, mi Floegeli? Ipſarumne litterarum vicem, quarum flos extinguitur ſenſim in patria noſtra, hominum animis ad ineptias translatis, nec paucis feritate eorum, qui Critici dici haberique cupiunt, ab egregiis facinoribus deterritis, immo recto iudicio de viri eruditi nomine atque profeſſione corrupto? an virorum doctorum conditionem, quorum ingeniis hic honor habetur, vigiliis

haec

Digitized by Google

haec praemia rependuntur, vt impune ab infima populi faece derideantur, vt cuicunque liceat, ex vmbra et angulis, eos maledictis petere atque conuiciis contaminare? an denique ipsius dulcissimae patriae sortem, quae tot praeclara maiorum nostrorum instituta et consilia sapientissima aliorum malcuolentia, aliorum shupore euerti et impediri sentiat, iamque fugam animaduertat meditari litteris, antea quae laetissime efflorescere videbantur, ad alias regiones, vbi se liberaliores ingenuosque cultores habituras esse sperant? Quin non indignatione, sed dolore prosequamur Germaniam nostram, quae eludi se patitur ab istis, qui iudicandi sibi arbitrium arrogant, nec, quasi alto somno oppressa sit, dignos se suoque nomine animos sumit. Quid enim agit? qualem se praestat? Plane incerta est animi: modo huic auscultat, modo illi aurem praebet: annuit: negat: haeret: ipsa nihil definit. Excutienda haec est sue somnolentia, sive patientia nimia, sive quocunque nomine hunc animi morbum appellare malis: abiiciendae sunt illae chartae, dedecus et opprobrium huius seculi: relinquendae sophistis, licet clamantibus eiulantibusque, improbae merces: nostris oculis, nostro ingenio fidem habeamus, nec iuremus amplius in verba illorum, qui de litteris hominumque laudibus, non veritate, aut praescripto aequitatis aut norma aliqua doctrinae, sed odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut spe, aut timore iudicant.

Dura, fateor, haec mea oratio nonnullis videbitur, iis praesertim, qui sibi nescio quam de seculo nescio quo aureo litterarum in Germania persuasionem induerunt. Sed neque displicebit eadem viris ingenuis, qui caste tractanda esse censeant harum litterarum studia, quibus cum humanitas ipsa contineri dicatur, horum verborum haec vis est, vt ab iis abesse debeat, quod barbariem indicet, quod agreste et ferox

Digitized by Google

ingenium redoleat, omne. Ego certe teſtatum relin-
quere volui, cum apud Te, Vir optime, cuius iudicio
plurimum tribuo, tum apud ſimiles Tui, id eſt, non
minoribus virtutis quam doctrinae ornamentis con-
ſpicuos, atque etiam apud eos, qui poſt nos erunt,
quid ſentirem iudicaremque de eorum moribus, qui
omnia nunc perturbare audeant. Neſcio enim, quo
meo fato acciderit dicam, vt me quoque, inuitum
reluctantemque, ad iſtas contentiones pertrahere ſtu-
deant, vbi neque victoria laudem habet. Sed ſpes et
opinioque eosdem egregie fallet. Calumnientur,
quantum et quamdiu velint: clanculum noſtram for-
tunam caniculisque quaſi actis, famam oppugnent
palam: conterant noſtrum nomen, vt audio adhuc ſtre-
nue eos egiſſe, maledictis, ex ſcurrarum conuicio
arreptis. Nunquam tamen efficient, vt tranquillitas
animi noſtri cuiusquam impudentia turbetur, nec,
quominus in communi hoc noſtro et quaſi fatali mor-
bo, me conſoler cum conſcientia optimae mentis,
qua nequam Palladio ſcuto hoc pectus munitum, aut
vſurpatione doctrinae, impediant. Quantum pro-
fuerim litteris neſcio: hoc ſcio, me in earum ſtudio
commendando, alendo augendoque omnem curam,
induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem
fixiſſe et locaſſe: neque me omnino inutilem operam
ſuſcepiſſe, nec patriae dedecori fuiſſe, credere fas eſt
tot virorum doctorum teſtimoniis, quibus ſic delector
recreorque, vt nulla alia re magis. Quorum in nume-
ro ſi me Te quoque, Floegeli, habere profiteor,
noli credere, me hoc omnibus Tuis dare. Teſtor
Fidem et Amicitiam, quae numina nunquam fallam,
nec me fefelliſſe adhuc arbitror.

Hoc animo adhuc collegi atque euulgaui quos-
dam libellos, quibus rem litterarum iuuari exiſtime-
bam: hoc conſilio viri eruditiſſimi, Theophili Sige-
fridi Bayeri opera vno volumine comprehenſa, nunc

Tibi,

Digitized by Google

Tibi, Vir praestantissime, omnibusque, qui recondituas litteras amant, trado. Primum enim horum libellorum est summa praestantia, cum quia multa iis explicantur, quae aut nunquam antea, aut minus recte ab aliis tradita sunt, tum quoniam exquisitam eruditionem produnt. Eminet non solum in Bayeri nostri libellis admirabile ingenii acumen, quo, quid cuique rei veri, insit, facile assequimur, sed fuit etiam in eo illa animi pertinacia atque constantia, quae semel in quaerenda veritate defixa, non fatigatur, nec languescit prius, quam finem propositum assecuta fuerit. Quid dicam de multiplici, qua pollebat, doctrina, quid de tot linguarum scientia, quid de accurata optimorum librorum cognitione? Omnia enim haec in Bayero fuisse, nemo, qui illius libros legerit, negabit. Hi vero libelli, tam egregie scripti, tanta laude digni non omnium in manibus erant, qui illos et praedicari audiverant, et vt eorundem sibi copia fieret, optabant. Alii continentur Commentariis Academiae Petropolitanae, quos, cum digno maximo imperio splendore sint adornati, quotusquisque est in tam lauta re constitutus vt sibi paret? Alii se oculis hominumque moribus subduxerunt, ipsius etiam auctoris culpa, qui libelli de numo Rhodio octo tantum et quadraginta exempla edi passus est. a) Quae cum ita se habeant, quidni credam, me, libellis his in Germania euulgatis, gratiam initiisse a viris doctis?

De nostri vero consilii ratione antequam plura dicam, iuuat de ipsius Bayeri vita fatisque, quae mihi cognita sunt, exponere. Diligenter equidem, quae huc pertinerent, colligere studui; sed neque exspectationi nostrae neque spei satisfecerunt, quae inueni. Nam, quod maiorum aetas summo ardore arripuit, historiae litterariae studium, illud nostra fere friget.

a) v. *Acta Erud. Lipsi.* a. 1724. mens. Febr. p. 76.

Digitized by Google

Atque hercle! facilius est, effusis aliquot e myrotheçio Gallico iocis, et decantatis quibusdam magis, per ora virorum volitare, quam dispersam per multa volumina materiem colligere, atque hinc monimentum, clarorum virorum memoriae dicatum, exstruere. Hinc fit, vt ingrati videamur, immemoresque illorum, qui optime de litteris nostris promeriti sunt.

De Bayero igitur haec fere memoriae prodita sunt, a)

Maiores Bayeri, ex Bauaria orti, sedem in Hungaria collocauerant. Ibi auus nostri, Ioannes, magna eruditionis laude floruit, Mathematicus habitus subtilis, ornatusque a Leopoldo nobilitatis honoribus et praemiis. Ortis quoque in Hungaria vehementissimis turbis vexatisque omni crudelitatis genere iis, qui a pontificia Romani doctrina et institutis dissentirent, fortiter suorum causam ille egit, nec minis deterritus, nec promissis abalienatus a semel suscepta sententia. Vnde etiam accidit, vt *Os Protestantium* cum ab iis, qui talem patronum sibi contigisse laetarentur, tum illis appellaretur, qui eum inuiderent fratribus suis, quibus felicitatem coelique gaudia non donare,

a) vide de Bayero *Bibliotheque Germanique Tom. L.* p. 99. vbi exstat *Memoire historique sur la Vie et les Ouvrages de Mr. Bayer.* Hinc sumta est vita Bayeri, quam habet *Nouveau Dictionnaire historique et critique, — par Jaques George de Chaufepié* Vol. II, p. 490 sequ. cuius interpretatio Germanica inuenitur in opere: *Sammlung von merkwürdigen Lebensbeschreibungen, gröstentheils aus der Britannischen Biographie übersetzt.* Vol. V. p. 832 sequ. add. *Daniel Heinrich Arnoldts Historie der Königsbergschen Universität* p. 440. sqq. Exstant praeterea Io. Matth. Gesneri atque Bayeri epistolae amoebaeae in *Sylloge Nova Epistolarum varii argumenti*, quam Cl. Vhlius edidit. Lib. I. atque Lib. VIII. Idem Vir Cl. in *Thesaur. Epistol. Lacrozian.* Vol. I. et III. Bayerianas epistolas edidit.

Digitized by Google

donare, nec blando ore animoque placido offerre, sed inter horribiles minas exilii, paupertatis, supplicioramque obtrudere velle viderentur. Illius morte res florentissimae familiae valde afflictae sunt. Paternis bonis perditis, filius Ioannis, Ioannes Fridericus, non solum patria carebat exul, sed egestate quoque compulsus litterarum, quem inierat, cursum relinquebat, pictura victum quaesiturus. Hoc ex patre procreatus est noster Bayerus Regiomonte, anno XCIV. superiore seculo.

In qua vrbe natus erat Bayerus, in ea quoque institutus litteris fuit. Quia Orientis linguas maxime admirabat, secutus est doctorem Abrahamum Wolfium, quem tum illarum praeclara scientia instructum ferebant. In consilium etiam ex Iudaicis doctoribus quosdam adhibuit. Accedere mox Sinicarum litterarum amor, quibus ad antiquitatis, cum vniuersae, tum Christianae, memoriam illustrandam vti constituerat. Nihil noster negligere, quod res linguasque Asiae illustraret. Summa semper in eo industria: nullus omnino ignauiae locus. Dum autem nimis improbo studio litteras tractat, dum nihil remittit e perpetuo ardore discendi, legendi, cogitandi, dum valetudinis nullam rationem habet, Bayerus quoque illum morbum formidolosum contrahit, qui viris doctis omnem vitae vitalis fructum eripit, et, tanquam infensissimus hostis, aegre eiicitur, vbi semel insedit. Quem vt hostem falleret, profectus est Gedanum ad Ioannem Sartorium, eloquentiae magistrum, quo auctore fuasoreque se historiarum, Criticen, vno verbo, humanitatis studio dedit. Rediit paullo post Regiomontem, atque, vt fieri solet in Academiis, palam instituta disputatione cum viris doctis, virium ingeniique periculum fecit. Atque haec res tam belle ei cessit, vt liberalitate Senatus vrbani sustentatus itineris faciendi

in Germaniam copiam nanciscerentur. Quo in itinere aliquamdiu Berolini commoratus est. Nam et bibliotheca Augusta viri studiis inseruiebat, et amicitia Lacrozii, quem maxime Bayerus faciebat, eum facile in vrbe retinebat. Ibi etiam familiaritatem contraxit cum Paulo Ernesto Iablonskio. Substitit quoque in nostra vrbe, ornatus fauore candidissimi et optimi viri, Io. Hermanni Frankii, cuius manibus bene precemur omnes, qui humano generi, cui ille tot beneficia tribuit, bene cupimus. Erat tum Halae Salomon Negri, Damascenus, a quo sibi Bayerus multa Arabicae linguae capita, explicari laetabatur. Virum eum appellat non minus suarum quam nostrarum rerum gnarum, quocum se totum annum consumturum fuisse addit, illius si rationes tulissent. Nec pauca e Michaele et Heineccio accipiebat, quibus augere atque emendare poterat iam collecta de ecclesiis Aethiopicis et Graecis. Hala discessit Lipsiam, vbi Magistri honores sibi comparauit, multorumque animos conciliauit. Nam ad *Acta Eruditorum* symbolas contulit, adeo quae Menkenio probabantur, vt Lipsiae retinere Bayerum cuperet. Indicem quoque confecit codicum, quos Senatus Lipsiensis bibliotheca habet, orientalium. Quod negotium bene et magno suo emolumento processisse ipse narrat. „Sed, inquit, consilium edendi indicis non possum amplius probare, cum nec mea interfit eum edere, nec ipsius Senatus, extare eum; ita nondum mihi satis matura bibliotheca videtur.“ Quae vero Lipsiae de eo fuerit hominum opinio, colligi potest ex Goetzii, qui bibliothecae praeerat ad Lacrozium litteris.“ Bayerum, qua pollet in hoc linguarum genere peritia insigni, deligere debui, vt catalogum istorum codicum nobis conficeret. Qua in re industriam suam et iudicii acumen valde nobis approbauit, suique ideo desiderium discessu suo ingens reliquit.“ Eodem, quo Lipsiae versabatur,

Digitized by Google

[illegible], [illegible] litteras accepit a Senatu Regiomontano, in quibus, ſi Belgium et Britanniam petere vellet, ſumtus publice ipſi promittebantur. Sed valetudinis imbecillitas, quo minus hac opportunitate vteretur, impediuit. De reditu igitur in patriam cum noſter cogitaret, Ienam, Vinariam, Gotham adiit, properauitque iterum Halam. Apud nos corpuſculo, grauiter adflicto, proſpexit. Auctoritate Frankii, quem modo honoris cauſſa nominaui, commotus adiutusque epiſtolas ſcribere inſtituit ad eos, qui in India Chriſtianae religionis doctrinam profanis tradunt. Quae litterarum commercio cum viris honeſtiſſimis contracta colloquia multiplicem noſtro fructum attulerunt. Iterum quoque Berolinum ſalutauit, Copticasque litteras a Lacrozio didicit. Stettinum ideo petiit, vt chartas Andreae Mulleri excuteret. Sed poenituit noſtrum viae. Neque enim inuenit, quod reſponderet excitatis de his theſauris rumoribus. Tandem anno MDCCXVII. domum rediit, ſcholasque aperuit Graecarum litterarum ſtudioſis. His ille interpretari Homerum, Platonem, Theocritum: his multa antiqua doctrinae capita egregie explicare. Nec defuerunt ampliora huic diligentiae praemia. Nam Senatus Bayero bibliothecae curam detulit, atque locum inter ſcholae vrbanae magiſtros. Quo munere functus fuiſſe fertur ſic, vt omnibus fidem probaret et indefeſſum ſtudium. Ecce vero, praeter omnem ſpem atque opinionem a). Bayerus Petropolin vocatur, quae vrbs tum in ſinum ſuum recipiebat Academiam, virorum doctiſſimorum ingeniis florentiſſimam. His nunc Bayerus noſter, Graecarum Latinarumque antiquitatum Profeſſor, addebatur. Atque erat profecto Bayerus ſingulare ornamentum Academiae, a quo nemo vulgaria exſpectat, aut nota et

cuiuis

a) an. 1726.

cuiuis obuia, licet vera sint et vtilia, postulat, e quis cupimus proferri fines doctrinarum, nouaque regna pristino imperio addi. Petropoli floruit Bayerus multorum gratia, inprimis Comitis Ostermanni atque Episcopi Nouogrodiensis, Theophanis, cuius non semel in libris suis gratam mentionem fecit. Quae vero Petropoli egerit, ea paullo post clarius intelligentur ex indice, quem dabimus, librorum. Hoc loco illud tantum dicemus, ter publice verba fecisse Bayerum in Academiae conseſſu, aulae praesentis splendore illustrato. Quam Petro II. imperium capessente habuit, ea oratio edita est. a) Aliis quoque modis de noua patria bene merei studuit. Nam et Germanica lingua breuem scripsit historiam, b) nunquam tamen a nobis visam, Imperatoris vsibus dicatam, et res Russicas illustraturus, disputauit *de Russorum prima expeditione Constantinopolitana* c) *Originesque Russicas* d) explicuit. Praeterea Commentarios Academiae nec paucis nec tenuibus accessionibus locupletauit. Quid multa? Omnes tum ita iudicabant, esse Bayero principem locum inter eos concedendum, qui ingenii vi, doctrinae copia, acuminis subtilitate humanum genus ornauerint iuuerintque. Quare alii quoque populi Petropoli tale tantumque ingenium inuidere. Gundlingio apud nos mortuo Baye-

a) *Ad Petrum II. Anguſtum Imperatorem, cum inſignia imperii ſanctiſſimis caerimoniis Moſcouae capeſſeret, Academia Petropolitana* 1728. fol.

b) *Auszug der ältern Staatsgeſchichte*, zum Gebrauch Petri II. Kayſers und Souverains von ganz Rußland. Petersburg, 1728. 8.

c) in *comment. Acad. Petrop.* Vol. VI.

d) Ibid. Vol. VIII.

Digitized by Google

Bayero munus eloquentiae docendae offertur. Atque vtinam perstitisset ille regiae inuitationi, suique nominis splendore famam Fridericianae auxisset! Laetarer profecto pro meo erga hanc vrbem amore, et impense gauderem, si Boehmeris nostris, Struckiis, Ludevigiis, Heinecciis, Frankiis, Hofmannis, Gundlingiis, id est, illi virorum choro, cui non similem habuit vlla Academia Germaniae, accensere liceret Theoph. Sigefridum Bayerum. Sed diis aliter videbatur. Immo cum non multo post ad suos redire vellet, qui Bayerum suum complecti gestirent, tamen Kayserlingii, cui Academiae cura mandata, adhortationibus atque munificentia aulae commotus, mutauit consilium. Auctum tum fuit nostro stipendium. Interim valetudinis infirmitas, licet minus, quam antea, molesta, aliquoties tamen grauiter virum, egregiis semper operibus intentum, adflixit. Serio ideo de reditu in patriam cogitare coepit, nihilque propius abfuit, quam vt Regiomontem reuiseret. Haec vero spes, longeque plura ad litterarum incrementa agitata consilia mors repentina intercepit. Obiit noster Bayerus a. MDCCXXXVIII. non sine summo dolore omnium, qui quantam iacturam in illius anima res litterarum faceret, intelligebant, funere elatus. Honorificum titulum sodales atque amici posuerunt Bayero in templo, vbi illius ossa condita sunt. Eum nos quoque intexemus huic nostrae narrationi:

THEO-

Digitized by Google

THEOPHILO. SIGEFRIDO. BAYERO
EX. NOBILI. APVD. HVNGAROS. FAMILIA
ORIVNDO
REGIOMONTE. PRVSSORVM. VIII. IDVS
IAN. A. cIↃ IↃ:CLXXXXIII. NATO
QVI. A. PRIMA. ADOLESCENTIA. LITTERA
RVM. STVDIIS. DEDITVS
QVVM. EXIMIAM. LINGVARVM. QVIBVS
OLIM. VSI. FVERVNT
ORIENTIS. POPVLI. EIVS. ETIAM. QVA. SI
NAE. VTVNTVR
PERITIAM. ESSET. CONSECVTVS
ET. HISTORIAE. INPRIMIS. ANTIQVAE
SCIENTIA. POLLERET
PETROPOLIN. A. cIↃ IↃ CCXXVI.
BENIGNIS. CONDITIONIBVS. INVITATVS
MAGNVM. HVIC. ACADEMIAE. DECVS. ET
MORVM. MODESTIA
ET. PRAECLARIS. INGENII. MONVMENTIS
ADDIDIT
MATRIMONIO. VSVS. FELICI. EX. ANNA
DOROTHEA. BOLNERIA
FILIOS. II. FILIAS. VI. SVSCEPIT
QVARVM. SVPERSTITES. SVNT. IIII.
VALETVDINE. POSTREMIS. ANNIS. NON
SATIS. PROSPERA
SED. TAMEN. TOLERABILI. FVIT
DONEC, QVVM. SE. AD. REDITVM IN PA
TRIAM. ATQVE. AD. REVISENDOS
CARISSIMOS. PARENTES. IAM. COMPA
RASSET
MORBO. PER. PAVCOS. DIES. INGRAVES
CENTE
IIII. IDVS. FEBR. A. cIc IↃ CCXXXVIII.
A. DEO. EVOCATVS EST.

Multo

Multo vero luculentius et quouis aere marmoreque perennius monimentum sibi ipse exstruxit Bayerus noster, ad seram posteritatem illius gloriam nomenque prorogaturum. De libris, quos scripsit, me loqui, facile intelligis, quos quidem licet Tibi, Floegeli, notos esse omnes, credam: aliorum tamen causa, qui hanc epistolam legent, copiosius paullo de iis agemus.

Non poterat non Bayerus noster, cum primum in lucem prodiret, magnam de suo ingenio atque doctrina opinionem concitare. Vtriusque enim egregium specimen dabat. Examinandam sibi sumserat a) opinionem quandam Oligeri Pauli, Dani, hominis varii in omni genere vitae, adeoque beati, vt se quoque Iudaeorum regem fore somniaret. Hic vltima Christi moribundi verba non sic explicanda esse censebat, quasi Christus se in summo discrimine a patre relictum esse quereretur, sed Christum putabat praedicare, se in summa gloria et maiestate a Deo constitutum esse. Quam sententiam noster sic refutauit, vt iam tum praeclaram orientis linguarum scientiam ostenderet. Atque etiam cum is scripturas librorum sacrorum corruptas esse questus esset, hac occasione vsus est Bayerus de varietate lectionum libere disputandi: quae quidem disputatio eo tempore, quo Milliani labores multis in locis male audiebant, inuidiam aliquam habebat. Clare ex hoc libello intelligitur, tum sacrorum librorum interpretationi magnam Nostrum operam dedisse. Quo in negotio non felicius se versari posse, nisi litteris Graecis atque Latinis cognitis antiquitatisque memoria diligenter animo comprehensa, quam sibi persuaserit Bayerus, patet ex alio, quem paullo post edidit.

Nam

a) *Vindiciae verborum Christi, ηλι ηλι λαμα σαβαχθανι, quorundam παρερμηνειαις oppositae.* Regiom. 1716.

Nam libellum de *diis vialibus*, [a]) more in Academiis recepto, proposuit atque defendit, de quo nihil attinet dicere. Nam nos quoque illum euulgandum iterum censuimus. Eodem anno dedicauit Regiomonte bibliothecam, ex Senatus auctoritate, atque in libello, [b]) hanc ob causam scripto, nomina eorum recensuit, quorum munificentia bibliotheca illa collecta atque ornata fuit. Quem libellum repetere noluimus. Magis enim ad ciuitatem illam, quam ad rempublicam litterarum vniuersam spectat.

Nec diu morabimur in iis quae scripsit *de elegantia manuum eruditarum*. [c]) Arcessita enim occasione a prouerbio, doctos male pingere, et eos reprehendit, qui, vt docti videantur, de industria sordidum scribendi genus exprimant, et multa eorum exempla laudat, qui praeter verae eruditionis gloriam hanc quoque elegantiae laudem appetierint. Dedisse videtur quicquid huius est scriptionis suae aetatis ingenio atque voluntatis. Nimis enim curiosa erat in litterarum historia.

Omisimus etiam libellum alium, cuius a nostra ratione argumentum abhorret, licet bene et docte scriptus sit, de collegio, quod fidei religionisque Christianae causa a Romanis institutum, augendae eius consilia init et per orbem terrarum communicat. [d]) Nil facile Bayerus, praeterit, quod ad hanc societatem spectat. Nam et quomodo illud collegium

coa-

a) *De diis vialibus Graecorum*, Disp. Regiom. 1718.

b) *Q. Lit. R. Q. Publ. F. F. Q. S. Bibliothecam Senatus Palaeopolitani incrementis litterarum consecratam a. d. XI. Cal. Maii ad vsus bonorum omnium apertum iri publice edicit et denunciat Theoph. Sigefr. Bayer, Bibliothecarius Senatus.* Regiom. 1718. 4.

c) *Obs. de elegantia manuum eruditarum:* in Lilienthali *Select. Histor. et litterar. continuat.* p. 253.

d) *Historia Congregationis Cardinalium de propaganda fide.* Disp. Regiom. 1721. 4.

Digitized by Google

coaluerit, quo sumtu sustentetur, quibus modis ad partes suas peregrinos trahere studeat, praesertim Graecos, commemorat, et libros ab illo editos accurate recenset. Placet inprimis candor Bayeri nostri, animusque, quem prodit, a partium studiis liber. „Obstirmabo, inquit, animum meum et abducam, quantum fieri potest, ab omni cogitatione dissidiorum, quibus inuicem sumus distracti, vt nihilo plus nostrae partis amori largiar, quam concedit veritas, aut ne e contrario alterius odio inuidiaque inflectar. Fugienda haec sunt incorruptam fidem sequenti: ita enim solent obtenebrare mentem, vt nullas in iis, quos hostes putamus, virtutes, nihil laude dignum conspiciamus: ea, quae feliciter ceciderunt, dissimulemus, aduersos autem casus in maius efferentes, malignitati potius, quam humanis erroribus adscribamus. Attamen si laudo vituperoque, vt res se dat, ac non quiduis, aut assentatione aut inuidia et odio dictum, credo, ideo nec religionis ac disciplinae meae causam desero, neque in contrariam factionem sum iniquus. Illius enim causa conuitiis et acerbitate agenda non est: nec his oportet assentari, vt obtrectare non videamur: sed eorum bene secusque gesta pariter dicenda ac disserenda sunt.„ Quae quidem verba amabilissimam animi aequitatem spirant, cuius si studium in pluribus fuisset, nae multo minus audiuisset clamoris, plus tranquillitatis atque quietis habuisset orbis Christianus. Neque tamen omnino sibi Bayerum satis feciſſe, intelligitur ex epistola ad Lacrozium scripta: „Est mihi animus eandem rem olim accuratius commentari, quam ob rem hoc, quicquid est, edidi, vt amicis ostenderem, non quid scirem, sed quid cuperem scire. Eorum opera perfectum consummaturum opus fieri aliquando possit.„

Digitized by Google

Tum quoque disputauit *de Iudaeorum Graecis et Latinis inscriptionibus.* a) Res ipsa digna est, quae cognoscatur a viris doctis, nec Bayerianae eruditionis praestantia in hoc libello a quoquam desiderabitur. Quae paullo post de ingeniorum, quibus Graecia floruit, vbertate scripsit, b) iis quoque in hoc volumine locum dedimus. Nec indigni sunt reliquis comites duo libelli de *numis Romanis in agro Prussico inuentis*, c) atque *de numo Rhodio*, quorum de argumento non opus est, vt quidquam moneamus. Exhibuimus eos totos. Vnum moneo. Ingeniosa est sententia Bayeri de numo, quem Rhodium appellat, dignaque illius acumine. Sed parum eadem probabilis visa fuit Ioanni Henrico Schulzio, viro de Academiae Halensis gloriae immortaliter merito, saluberrimarumque, cum corporibus hominum, tum animis, litterarum peritissimo. Hic enim numum illum a Rhodiis reuocandum atque Neapolitanis vindicandum esse censuit. e) Cuius argumentis cognitis nobis

a) *Lucubrationes de Inscriptionibus Iudaeorum Graecis et Latinis. Disp.* Regiom. 1721.

b) *Ad Declamationes in cathedrali schola publice instituendas Patronos Scholae et bonarum artium, tum, quibus commodum venire, omnes a. d. VIII. Cal. Sept. in auditorium Scholae maximum, quam potest, humanissime inuitat Prorector Scholae.* Regiom. 1722. 4.

c) *Theoph. Sigefridi Bayeri, Regiomontani, de numis Romanis in agro Prussico repertis commentarius: in quo tum numi ipsi illustrantur, tum alia ex Romana et Prussica antiquitate traduntur: accedit eiusdem epistola ad V. C. de Theophrasti Delii Praesidis monumento.* Lipsiae, 1722. 4. Versio libri Germanica exstat in libro: *Erlautertes Preussen* T. I. p. 417. seqq.

d) *Theophili Sigefr. Bayeri, Regiom. de numo Rhodio in agro Sambiensi reperto Dissertatio, in qua simul quaedam super de numis Romanis in agro Prussico repertis cogitata retractantur.* Regiomonte, 1723. 4.

e) *v. Numophylacium Schulzianum.* p. 53. add. *Comment. Petropol. Acad.* T. XIV.

Digitized by Google

bis idem fere accidit, quod Palaemon Virgilius experiebatur, lubuitque eam illius arbitri vocem vſurpare:

Et vitula tu dignus, et hic!

Hos, ſi chartarum numerum ſpectes, paruos, ſi argumenti praeſtantiam, eximios libellos conſecuta ſunt duo maiora opera, quibus egregia antiquae hiſtoriae lux accenditur. Alterum pertinet ad res Oſrhoenas et Edeſſenas, a) quas ideo ſibi explicandas ſumſit, quia easdem, magnas Meſopotamiae conuerſiones complexas, ad maiorum in Aſia ſuperiore populorum memoriam reſuſcitandam facere, quia hac opera multa in ſcriptoribus emendari, nonnulla in legibus Imperatorum illuſtrari, nec pauca in locorum temporumque doctrina accuratius exponi poſſe iudicabat. Praeterea in ſcriptoribus bellorum ſacrorum multa occurrunt corrupta et falſa de his Edeſſenorum rebus, ob ignorantiam Aſiaticarum rerum linguarumque. Quarum cum eſſet in Noſtro ſcientia ſumma, alia emendauit, alia explicuit ſolerter. Ipſius vero de operis praeſtantia nemo recte iudicabit, niſi qui monimentorum, quae Bayerum iuuare poſſent deberentque, paucitatem conſiderauerit, quotque omnis aeui ſubſidiis, quot linguarum Orientis cognitione, illi ad rem feliciter perficiendam opus fuerit, perpenderit. Quicquid aut ex ſcriptoribus afferri, aut e numis antiquis colligi poſſet, id attulit omne, explicitis inprimis ſummo ingenii acumine Edeſſenorum rationibus chronologicis compoſitisque iisdem

 cum

a) *Theoph. Sigefr. Bayeri, Regiomontani, Hiſtoria Oſrhoena et Edeſſena, ex numis illuſtrata, in qua Edeſſae vrbis, Oſrhoeni regni, Abgarorum regum, praefectorum Graecorum, Arabum, Perſarum, Comitum Francorum, ſucceſſiones, fata, res aliae memorabiles, a prima origine vrbis ad extrema fere tempora explicantur.* Petropoli, ex typogr. Academ. 1734. 4.

Digitized by Google

cum aliorum populorum rationibus. Historiam Edessae regnique Osrhoeni non solum ad Heraclii vsque tempora, annumque Christi DCLXXIII. quo Arabes, primum Mesopotamiam ingressi, Edessam ceperunt, deduxit, sed res Edessenas quoque sub Arabibus Graecis, Francis, Persis, Tatteris, Turcisque enarrauit, desiitque in clade, quam a Tamerlane sub finem sec. XIV. expugnata Edessa accepit. Vbi licet omnia subtilissime examinata sint, tamen si quis luculento exemplo perspicere velit, quantum valuerit mentis acie Bayerus, quam diligenter omnium rerum momenta perpenderit, ille, quaeso, legat ea, quae de rege decimo quarto, Abgaro Nigro, disputauit. Quam caute incedit vbique! quam circumspicit omnia! quam solerter examinat singulas partes! Hic non popularem trutinam, sed veram aurificis stateram conspicimus. Altero opere regni Bactriani historia illustratur. a) Summo enim studio singulorum Graecorum regum res gestas ad certa tempora reuocat, originem regni fataque explicat, non pauca intexit de Indico regno, multaque de Graecorum in his regionibus coloniis adspergit. Inprimis vero lectoribus persuadere conatur, Indos a Graecis numerorum nomina et mathematicas disciplinas accepisse, et vias, quibus Graecae artes cum oriente communicatae fuerint, indagat. Qua in re multum tribui coniecturis, ipse vir olim doctissimus non negauit. „Odiosum hoc est saepe suspicari, inquit, attamen, vt mea opinio fert, in tempore et loco necessarium atque vtile. Vt enim in obscurissimis quaestionibus

a) *Historia regni Graecorum Bactriani, in qua simul Graecarum in India coloniarum vetus memoria explicatur, auctore T. S. Bayero, Academico Petropol. et Antiquit. P. P. Soc. Reg. Berol. Sodale; accedit Christophori Theodos. Waltheri, Missionarii Regii Danici, Doctrina temporum Indica, cum Paralipomenis,* Petropoli, ex typogr. Acad. Scient. 1738. 4.

Digitized by Google

nibus primum hoc est, suspicari, ita, si nihil proficiamus amplius, exstare et cognosci suspiciones nostras, conuenit, quibus fortasse aliis occasio praebeatur, aut hoc ipsum, aut nouum, et diuersum iter sibi muniendi, quo proxime ad veritatem perueniatur.„

Libro huic libellos de Seribus Sacisque addere voluit. Sed perierunt illi casu, nescio quo. Addidit tamen nonnulla, quae doctrinae temporum Indicae illustrandae inseruiunt: in his Leonardi Euleri, viri summi, de Indorum anno solari astronomico libellum.

Iam ex his, quos recensuimus, libris apparet, magnum fuisse in Bayero litterarum linguarumque Orientis studium. Immo multas Asiaticas gentes animo complexus, compluribus donis litteras mactauit. Quare elogium illi honorificentissimum composuit olim Io. Matthias Gesnerus, quod non possum non hoc loco repetere. Amoenissimis enim leporibus ille sermo plenus est. „Macte ista felicitate, o noster Sigefride, νικηφόρε, εὐρηναῖε, et incruentos nobis triumphos, immo tibi refer a barbaris non barbaris, merito tuo et plaudente omni Musarum choro auditure, Sericus, Osrhoenus, Bactrius, Achaicus secundus et Mogolicus. En tibi monimentum, in celebri litterariae ciuitatis loco ponendum:

B. F.

Quod Theophilus Sigefridus Bayerus P. P. terminos reipublicae litterariae feliciter propagauit, et quod alii viris, equis, armis, ille ingenio atque industria perfecit, vt incogniti fere ante eum diem populi ad huius ciuitatis iura atque amicitiam adiungerentur, iis rebus promeritus est, vt in principibus illi locus tribuatur in posterum, et ipse Sinicus, Osrhoenus, Bactrius, Achaicus secundus, et Mogolicus, adiunctarum nobis gentium nominibus, viuus pariter et

 cum

eum fatis concesserit, appelletur, et, quo testatior sit eius rei memoria, perscribere ista in hac tabula et hanc tabulam in loco celebri fixam proponere visum est.

Adscriberem, qui scribendo adfuerint, nisi illa res parum dignitatis habere videatur."

Sit vero vobis terra leuis, pii manes, nec, nisi honorifice, quisquam nomen vestrum vsurpet, o candidissimae animae, quae vos inuicem eo honore cultuque prosecutae estis, qui magnum rerumque magnarum fiduciam habentem animum indicaret! Vah! quantum indignaremini, si vobis liceret nostrorum hominum ardorem furoremque, quo in sua viscera saeuiunt, abiecta omni humanitate, adspicere. Sed satis iam deplorauimus hanc calamitatem. Redimus ad Bayerum,

Ille igitur, praeter multas Orientis linguas, Sinicas praesertim adamare litteras atque colere coepit. Quarum litterarum studium in Europa, atque Germania praesertim, sub finem superioris seculi viguit, excitatum procul dubio eorum sermonibus, qui sapientiam Sinicam laudibus ad coelum tollerent, auctumque Leibnitii adhortationibus, qui, cum omnem humanam sapientiam animo complexus esset, neque hanc partem incultam iacere patiebatur. Accessit fauor Leopoldi, Caesaris Imperatoris Romani, atque Friderici Wilhelmi nostri, principis magni, dignique, qui regum pater esset. Hic Sinicas litteras valde cultus est. Erant et eo tempore Andreas Mullerus et Christianus Menzelius in aula electorali: ille sacris praerat, hic valetudini principis prospiciebat. Cum Mullerus mirabilem aliquam clauem se inuenisse praedicaret, qua ad Sinicarum litterarum sacraria haud magno labore iretur, frequenter eum virum cum ipse princeps, tum coniux Augusta in aulam vocarunt, audiuerunt hominem, nisi me omnia fallunt, vanum,

gratia

gratia cumulauerunt, atque, vt promiſſis ſtaret, admonuerunt. Immo poſcente Mullero magnam pecuniae vim, eamque Leopoldo offerente, interceſſit Wilhelmus, vt ne alterius, quam ſuis, auſpiciis hoc opus perficeretur. In ipſis caſtris, quibus Stetinum clauſum tenebat, de Sinicis litteris cogitare ſolebat: ad Menzelium de iis, ad Mullerum mandata dare, mox in Indiam ad Cleyerum ſcribere, cuius vnius opera maxime ad Sinicos libros conquirendos vtebatur. Philippum quoque Cupletum, poſteaquam in Europam ex Sinis redierat, lautis conditionibus propoſitis in aulam vocauit, vt Menzelium inſtitueret his litteris. Nec relanguit hoc ſtudium, Pruſſia ad regiae maieſtatis faſtigium euecta. Iactis enim Berolinenſis Academiae fundamentis, edixit Fridericus, vt conſilia inirentur de doctrina Chriſtiana cum Sinis communicanda, cognoſcendisque nationum, quae a Sinis vsque ad Pruſſiam vaſtiſſimis regionibus porriguntur, moribus atque linguis. Praeterea volentibus non ſolum patebat bibliotheca Auguſta, Sinicis libris ornata, ſed harum quoque litterarum ſitim facile implebat humanitas atque eruditio Lacrozii et Vignolii, de quorum laudibus nihil dicam. nam praeſtat nihil dicere, quam pauca. Neque etiam noſtro praeconio eorum fama nomenque eget.

Haec igitur in tempora cum Bayeri aetas incideret, Sinicae linguae ſtudium non ſolum facile oriri poterat illius in animo, ſed alebatur etiam variis modis. Iuuat vero ipſum Bayerum de ſe loquentem audire. Nam intexuit Muſeo Sinico de his ſtudiis ſuis narrationem, quam repetemus totam.

„Video mihi neceſſitatem imponi, vt de me quoque et his meis ſtudiis dicam, quod faciam ingenue atque modeſte, vt virum bonum decet. Ego vero ab ineunte aetate, iis in litteris, quae ad hu-

Digitized by Google

maniratem pertinent ita ſum verſatus, vt priſcas rerum geſtarum memorias in primis mihi voluptati ducerem. Accidit autem paene puero mihi, vt cum Tertullianum cupide legerem, illius viri tum acumen, tum copia atque etiam grauitas me vehementer caperent, praeſertim cum eodem tempore Gabrielis Albaſpinaei obſeruationes ad eum adiungerem. Ex eo paullatim res orientalium eccleſiarum mihi curae cordique fuerunt. Senſi autem mature, eas neque ſine aliqua linguarum illarum cognitione, neque ſine Aſiae, in quam partem orbis terrarum maxime reſpiciebam, accuratiori hiſtoria tractari poſſe. Et veluti me mea fortuna iuuaret, iam tum eram occaſionem nactus, ſatis idonea fundamenta iaciendi in Ebraicis. Numquam enim animo excidet, qua fide et quam inſigni compendio Abramus Wolfius, nunc Theologus Regiomontanus et orientalium linguarum Profeſſor, vir in litteris Ebraicis excellenti atque eximia doctrina, me inſtituerit, vt me non poeniteat aut eius officii amorisque, quem grato animo recolo, aut meae induſtriae. Res erat non ita difficilis, cum in hunc modum, quem mihi in Ebraicis oſtenderat, ipſe me in cognatis linguis exercerem, nullius alterius opera, niſi quod Salomone Aſſado Damaſceno, viro ſupra fidem etiam in Europae noſtrae eruditione verſato et non ita pridem defuncto in Anglia, in Arabicis vſus ſum magiſtro perpaucos dies, et in Copticis humaniſſimo Laçroſo. Cum autem aliquando (a. C. 1713.) rure agerem, repentina Sinicorum ſtudiorum cupiditas tamquam quaedam grauedo me inuaſit. Quid vero hic non feci et cogitaui, aut ſomniaui, vt rem tam arcanam mihi comparārem? tum enim mihi deorum nepotulum, regem denique regum futurum credebam, ſi hic aliquid poſſem. Veluti cum coniculi parturiunt, omnia ex omnibus angulis congerebam in nidum, vt aliquod lexicon et inſtitutionem

linguae

linguae litteraturaeque parerem. Iuuabant me nonnihil, praeter monumentum Sinicum Thomae Hydes et Christiani Menzelii opuscula, quae mecum habebam, in primis autem eram cupidus Andreae Mulleri, cuius tamen, quod me adhuc, quoties commemini, male habet, cum perrepraſſem omnes commentarios, nihil inueni, in quo vel mediocriter acquieſcerem. Illudi me ab eo et circumduci indignabar. At vbi Berolinum veni (a. C. 1716.) Maturinus Veyſſiere Lacroſius, quem virum dicam? qua doctrina? quanta humanitate? tamquam id aliquis vel mediocriter doctus ignoret, mihi auctor fuit, ne quae in Sinicis cognoueram, corrumpi ſitu parerem, ſed eam partem eruditionis tractandam ſuſciperem, quae adeo deſerta et inculta iaceret. Nihil in bibliotheca Auguſta ita abſtruſum erat et reconditum, quod non proferret mihi liberaliter et concederet. Id quoque egit poſtea, vt quia Leibnitius quaerebat aliquem adoleſcentem huius doctrinae ſtudioſum, quem copiis ſuis et conſiliis ſubleuaret, iſtius rei cauſſa mihi gratiam immortalis viri conciliaret. At cum hoc maxime agit Lacroſius, Leibnitius decedit. Poſtquam Berolini me locupletaueram, nonnumquam etiam alia deinceps opportunitas fuit, vt otium a ceteris litteris, ne ad relaxationem animi penitus iners et deſidioſum eſſet, huic ſtudio conſecrarem. Eius rei aliquem fructum in publicum exire ſum paſſus commentariolo de eclipſi Sinica Regiomonte edito ſubiunctisque praeceptionibus de lingua et litteratura Sinica. Habebam quoque mecum communicata de hiſtoria eccleſiarum quondam in Sinis et ſeptentrionali Aſia florentium, cuius illa de eclipſi particula erat. Hanc tamen me non poeniteat intra ſchedas continuiſſe, cum maturior annis et maxima acceſſione monumentorum ornatior in dies euaſit. Poſtquam Petropolin in Academiam ſum euocatus, coepi et ipſe mecum de

Digitized by Google

Sinico instituto cogitare, vt quoniam aliorum argumentorum tractatione me magis atque magis a Sinicis abstrahi cernebam, hoc quidquid est quod sedulitate mea comparaui, non plane intercideret, et adhortatorem fautoremque consilii vel in primis nactus sum sapientissimum Theophanem Precopouitium, Archiepiscopum Nouogrodiensem, S. Synodi Proprae-sidem. Igitur quod ab aliis nequidquam agitatum fuit, id nunc Academiae Petropolitanae munificentia in publicam vtilitatem impenditur."

Atque videtur etiam Bayerus Petropoli ad Sinicas litteras tractandas inprimis excitatus esse copia Sinensium librorum, quia eo aduecti erant. Inde se totum quasi his litteris abdere: moliri multa, meditari plura. Iocose profecto et facete ad Gesnerum suum de his suis deliciis, Sinicis litteris, scripsit. „Sinici legati apud nos sunt: puta me dicere, aliquos ab Athenis Atticis aut a Quiritibus, et tecum deinde rationem ineas, si tu hic esses, quam tibi vel primo nuncio bene futurum sit et pancratice. Nunc contra ego ille, quem nosti honorificentissimo decreto Senatus Populique Critici (cui scribendo nemo, quod sciam, praeter te adfuit) semibarbarum virum, at paene triumphalem tamen, incedere per ora hominum in hac mea palmata veste Sinica, velim, tecum confideres, quam mihi rex regum sim visus, vbi adeundi legatos, comiter colloquendi, scribendi quoque cum iis et commentandi potestas fuit. Habe tibi eburneum scipionem: ego penicillum Sinicum, quem a legatis accepi in manum, quo exaraui litteras, vt aliquis *sien fu* (nescis nimirum, quid hoc sit *sien fu*, neque tibi ego dicam, vt insomnes noctes meditando agas) quem ego dono accepi, quem in sacrario meo dedicaui Musis Sinicis. Nunc Lexicon condo Sinicum, ingens, sed plenum lumine. Valete Musae,

Digitized by Google

Muſas, animus ab Graecia et Roma alienus defecit ad barbaros." Multa certe et magna ſibi apud ſuum animum propoſuerat, in his vtiliſſimum opus de antiquis Sinarum atque Aſiae ſeptentrionalis eccleſiis. „Anni ſunt, ſcribit, (a. 1738.) viginti et amplius, cum de veterum eccleſiarum ſub extremo oriente hiſtoria cogitare coepi. Comprehendebam illo meo ſtudio regiones ſupra Indiam ipſasque Sinas, in quibus ſubinde magis magisque ſenſi eccleſiae quam florentes exſtiterint. Sed interceſſerunt aliae atque aliae occupationes, per quas huicce vni rei vacare mihi minime licuit." Neque prodiit, quantum equidem ſcio, illud opus. Praeterea de Geographia Sinica illuſtranda cogitauit, nactus e bibliotheca Imperatoris tabulas, in Sinis editas, easdemque interpretatus.

Sed loquamur potius de iis, quos euulgauit Bayerus, libris.

Primum harum litterarum ſpecimen edidit in eo libello, quem *de eclipſi Sinica* a) ſcripſit, excitatus, niſi fallor, conatibus Andreae Mulleri, a quo idem argumentum ſat tenuiter tractatum fuerat. Eſt enim in hiſtoriis Sinicis memoriae proditum, circiter tempus, quo Dominus Deusque noſter in crucem actus fuit, ſolem defeciſſe, eamque rem Sinis magno fuiſſe terrori. Iam memorabile videbatur, ſi ita accidiſſet, vt, quam lucis defectionem Romani, Heliopolitae et Iudaei, Chriſto cruci affixo, factam eſſe tradiderunt, eandem extremo ſub oriente, Sini et obſeruauerint et memoriae commendauerint: Immo, cum viri quidam

a) *De Eclipſi Sinica liber ſingularis: Sinorum de Eclipſi Solis, quae Chriſto in crucem acto facta eſſe creditur, indicium examinans et momento ſuo ponderans, auctore Theoph. Sigefr. Bayero: Accedunt praeceptiones de lingua Sinica duo libri eodem auctore.* Regiomonte, 1708. 4.

Digitized by Google

dam inter Iesuitas docti timide veritatem rei pronunciare viderentur, hoc iis inuidiae fuit. Bayerus vero libere sententiam suam exposuit.

Primum ait diem non vniuerso orbi subtractum fuisse: neque sanctissimorum scriptorum quemquam hoc dicere: ad regionem Hierosolymis vicinam eas tenebras pertinuisse: immo, si ita, vt vulgo putant, res accidisset, pereundum fuisse naturae. Deinde defectionem illam lucis ostendit non fuisse solis defectionem: caligine fuisse coeli illam regionem obductam, atque harum tenebrarum causas varias esse potuisse. Denique ad Sinas progreditur. Nam si vel tenebrae hae totum orbem obscurassent, non fuisse tamen hanc eclipsin eam, quam a Sinis animaduersam, eorumque in annalibus positam inueniamus: integro anno ante Christi mortem Sinicam eclipsim assignandam esse. Quae quidem omnia acutissime a Nostro disputantur, cum adductis, quae causae prodessent, ex historiae monimentis, tum rationibus mathematicis adhibitis. Atque etiam haec sententia adeo placuit Christfridio Kirchio, clari nominis Astronomo, vt eam stabiliret magis pluribusque argumentis ornaret.

Addidit Bayerus huic libello praecepta quaedam de lingua Sinica, hausta illa, vt ipse fatetur, sumtaque e Martini Martinii, Phil. Cupleti et Ludov. Piquesii Grammaticis, e Menzelii Clave Sinica, Cupleti ad Menzelium litteris, aliisque schedis, nondum euulgatis. Breuissime vero rem egit, magisque strigit summa capita, quam explicuit. Multo vero maiore cum doctrinae apparatu tum industria in *Museo Sinico* a) plurima, quae huc pertinerent, omnium oculis exposuit.

Duo

a) *Theoph. Sigefr. Bayeri Museum Sinicum, in quo Sinicae linguae et litteraturae ratio explicatur.* Petropoli, ex typogr. Academ. Imper. 1730. 8.

Digitized by Google

Duo volumina hoc opus complectitur, quorum alteri praefixit accuratam narrationem de progressu litteraturae Sinicae in Europa, vbi inde ab antiquissimis temporibus rem repetit, virorumque doctorum conatibus laudibusque recensitis vsque ad suam aetatem historiam deducit. Hanc excipiunt narrationem duo libri Grammaticae Sinicae. In altero volumine duo Lexica Sinica proponit, docetque, quomodo litterae Sinicae et disponi per classes et ad prima elementa referri debeant. Porro dedit specimen Lexici Sinici, quo mercatores vterentur, in quo aulae Sinicae officia bellique et pacis munia recensentur, Grammaticamque tradidit linguae popularis, cuius vsus in prouincia Chiu Chieu viget. Attexuit etiam libellos aliquot, quorum lectio eorum animos iuuat, qui, quid aliis in regionibus homines agant, scire velint. Nam de Lexicis, de scriptura, de litteris, eloquentia, doctrina temporum, mensura et ponderibus Sinensium exposuit: de Confucii vita et scriptis quibusdam nos certiores reddidit, atque de originibus Sinicis, eo, vt inquit ipse, consilio egit, vt ostenderet, creatae vniuersitatis qualis memoria apud Sinas exstaret, et quam adeo non metuere debeamus ab eorum historia et chronologia, ne coelestis veritatis lux obscuretur.

Est profecto hoc Museum liberaliter a Bayero nostro instructum, atque facile oculos allicit multiplex rerum nouarum varietas. Nos quoque, licet non initiatos Sinicis mysteriis, non solum diuitiae domini delectant, atque opes, sed placet etiam elegantia illa et venustas, qua totam supellectilem disposuit atque poliuit. Ipse vero, vt solebat semper, modeste de hoc Museo iudicauit, quod si alii quidam tenuissent, deûm hominumque fidem quam magnifice de se loquerentur quam incederent omnibus laetitiis!

„Velim

„Velim autem inquit, vt, qui in muſeo noſtro Sinico, quod per commoditatem liceat ſuam, verſetur, ita per ſe ſentiat, quem fructum non modo res litteraria, ſed etiam religio chriſtiana ex his noſtris lucubrationibus perceptura ſit, vt noſtra admonitione non indigeat. Et tametſi quid commodi in primis religioni attulerimus, nondum cuique fortaſſis illico apparebit: tamen veniet tempus, cum non ita obſcurum erit. Equidem ſingulare coeleſtis numinis beneficium eſſe arbitror, quod omnes omnium gentium linguae, quae ante hos ducentos annos maxima ignoratione tegebantur, aut patefactae ſunt bonorum virorum induſtria, aut adhuc producuntur. Nam ſi deſtinationem aeternae maieſtatis et in futurum tempus conſilia, humanae mentis ratio inueſtigare non poteſt: tamen exſtant iam multa prouidentiae iſtius argumenta, ex quibus maius aliquid agitari ſentiamus, quod votis expetere, piumſanctumque eſt, pro virili autem manus praebere et vel minimam materiam comportare vnice glorioſum. In humana eruditione multae ſunt partes, quas me illuſtraſſe dicere non poſſum: oſtendiſſe tamen, quid quantumque effici queat, ſi poſt me alii adiuti noſtris ſtudiis huicce rei incumberent, id ego vero praedico, reperturos eſſe lectores.“ Immo, aliquo temporis ſpatio interiecto, ſe quibusdam in rebus lapſum eſſe, ad Lacrozium ſcribit: „Muſei mei me nunc poenitet: ita in eo foeda ſunt omnia: non poenitet tamen, quoniam ea demum res mihi aditum patefecit ad inſignem copiam ſubſidiorum, quibus nunc inſtructus ſum. Sed de retractatione muſei alias ſerio cogitabimus.“

Omiſſa quaedam aut perperam dicta in hoc Muſeo cum ſuppleuit Bayerus tum emendauit in alio libro,

Digitized by Google

libro, quem Alphonso Vignolio inscripsit. a). In eo non solum Chronologiam Sinicam illustrat errores-que quosdam in doctrina Sinica commissos tollit, sed Chronologiam quoque aliorum Orientis populorum attingit. Opportune etiam addidit duo monimenta Sinica, illustrando huic argumento quae maxime inseruiunt.

Huc etiam pertinent, quae scripsit de re numaria Sinorum, b) cui argumento illustrando valde inseruiit Museum Comitis Ostermanni, epistolae variae ad Bayerum de rebus Sinicis a viris doctis datae, quarum collectionem inscripsit: *Commercium Sinicum:* c) atque alia *de Ferdinandi Verbiesti S. I. scriptis Sinicis, praesertim de eius Globo terrestri.* d)

Dixi supra, alias quoque Asiae gentes Bayerum attigisse, earumque linguas et litteras cognouisse. „*Nihil* vos moror, Gesnero suo in aurem dixit, bonae litterae. Transiii ad Scythas, Hunnos, Tartaros, Mungalos, Sinas, μυσεῖα χελιδόνων. Si quid lucri fecerim, redibo cum Musis in gratiam.“ Horum studiorum fructus aliquot vidit ciuitas litteraria, visura procul dubio plures, si diutius superstitem servasset Bayerum propitius litteris Genius. Accendisse illarum litterarum amorem videntur reperti inter splendidarum aedium ruinas in nigris ex ebeno cistis

a) *Theoph. Sigefr. Bayeri Regiomontani de horis Sinicis et cyclo horario commentationes: accedit eiusdem auctoris Parergon Sinicum de Calendariis Sinicis: vbi etiam quaedam in doctrina temporum Sinica emendantur.* Petropol. typ. Acad. Scient. 1738. 4.

b) in *Miscellaneis Berolinensibus* Tom. V. p. 175. seq.

c) Ibid. p. 185.

d) Ibid. Tom. VI.

Digitized by Google

ciſtis non procul a mari Caſpio codices quidam. a) Quorum ſpecimen miſit Petrus Magnus Academiae, cuius ſodalibus ſe adſcribi paſſus erat, Pariſinae, atque interpretationem ſcripturae poſtulauit. Thibeticam illam eſſe Fourmontii fratres exiſtimauerunt. His de codicibus Bayerus quoque ſententiam ſuam dixit, b) atque, mox longius progreſſius, ſcrutatus eſt litteras Tangutanas, Mungalicas, Brahmanicas, c) ſcripturae ſpeciminibus inciſis laminis aeneis: perſecutus etiam eſt reliquas Indicas ſcripturas, ab his diuerſas, ortas tamen ab vna ſtirpe: nec Tattarorum litteras praeteriit. d) Quid? quod priuatos in vſus interpretatus eſt Genealogiam Turcicam Abulgaſi Bahadur Chani, quo libro Mungalorum, Tattarorum, omniumque Septentrionalis Aſiae gentium res illuſtrantur. Atque huius interpretationis ſpecimen quoque exſtare voluit. e). Vno verbo tantum indicabimus, quae ſcripſit *de litteratura Mangiurienſi et Man-*

a) cf. Matur. Veyſſier. La Croze *Epiſtola de libris Manuſcriptis haud procul a mari Caſpio repertis*, in *Actis Erudit. Lipſ.* a. 1722. menſ. Aug. p. 414. add. menſ. Iul. p. 375.

b) *Epiſtola de libris ignotis nuper ad mare Caſpium repertis*, inſ. *Hiſtorie der Gelehrſamkeit unſerer Zeiten.* P. V. p. 385.

c) *Elementa litteraturae Brahmanicae Tangutanae, Mungalicae* in *Commentar. Acad. Petropol.* T. III. p. 389. ſequ. et T. IV. p. 289. ſequ. adde T. S. B. *Orthographia Mungalica, quam Academiae Petropolitanae tradidit a.* 1730. *Cal. Dec.* in *Actis Erud. Lipſ.* a. 1731. menſ. Iul. p. 307. ſequ.

d) *Epiſtola ad I. B. M.* in *Act. Erud. Lipſ. Supplem.* T. IX. Sect. I. p. 20. ſequ.

e) *Specimen libri Schagire Turki, Latine conuerſ.* in *Act. Erudit. Lipſ.* a. 1732. menſ. Aug. p. 356. ſequ.

Digitized by Google

Mangulica: *de Lexico Sinico Cii Guey*: a) *de Confucii libro Chun-cien*: *de elementis Calmucicis*. b)

Si quis vero miretur, quid fuerit, quod Bayerus Graecis et Latinis litteris egregie inſtructus, ad eas illuſtrandas animum appulerit, nulla quae affinitate cum illis coniunctae ſunt, illis ipſe Bayerus conſilii ſui rationem reddet. Haec enim ad Geſnerum ſcripſit: „Ego ſic ſatis valeo et in litteris viuo, non iſtis modo tuis, qua tantum humanitatis habent atque amoenitatis, verum etiam in barbaris, horridulis inquam et inamoenis. Ita vero mecum cogito: in Graecis et Romanis antiquitatibus, quas mihi depoſui, vix mihi aliquid relictum eſſe ab aliorum ſedulitate et ingenio, quod operae pretium ſit: in barbaris me plenam in meſſem mitti, de qua vnus aut alter vix manipulum decerpſit. Et ſi humana omnia nobis curae eſſe debent, cur ego magnam humanitatis partem, neglectam fere adhuc, et ſeu ſpretam, ſeu relictam, non recipiam, quaſi in fidem meam? Male nos habet, quod populos lunae, illorum mores, ingenium, ſermonem, litteras non nouimus, partem autem maximam orbis terrarum, in qua tot regna, tam ampla et illuſtria, quondam exſtitere, e qua tanta ſtrages occidenti illata eſt, vnde tot in Europam coloniae profectae, partem igitur illam ſecure patiemur ignorari!„ Vbi quod nihil a ſe noui erui poſſe e Graeciae Latiique ruinis dixit, nimis de ſe modeſte iudicauit vir optimus. Quot enim ille, antea aut incerta, aut obſcura, hiſtoriae Graecae capita numorum ope ingeniique viribus adiutus explicuit!

Ego vero inprimis illam ingenii alacritatem amoenitatemque admirari ſoleo, quae cum extinguatur facile illarum, quas Bayerus prae aliis coluiſſe videtur, litterarum ſtudio, certe non alatur aut excitetur, viguit tamen

a) In *Commentar. Acad. Petrop.* Vol. VI. b) Ibid. Vol. VII.

Digitized by Google

tamen in noſtro quam laetiſſime. Legat mihi aliquis epiſtolas ad Geſnerum ſcriptas! Quam ingenua illa et liberali ſuauitate perfuſae! quibus leporibus conſperſae! quantam facetiarum et vrbanitatis copiam habent! Ipſa etiam oratio Bayeri nullas contraxit fordes ex diuturno barbarorum, id eſt, Sinenſium, aliorumque populorum contubernio. Licet enim non pura vbique ſit nec religioſiſſime ad aureae aetatis normam exacta, plurimum tamen habet grauitatis Romanae atque dignitatis. Intexuit praeſertim, quae intimam cum antiquis ſcriptoribus, potiſſimum poetis, familiaritatem indicant, orationi amabiles quasdam Veneres ſiue poetae clari verſus reſpiceret, ſiue attingeret ritum aliquem antiquum admirabili arte. Non quiuis eas aſſequitur: opus eſt ſagacitate mentis et ingenii ſubtilitate: ſed nihil magis delectat eos, quibus natura dedit habere naſum. Quare perperam de Bayero iudicauit Io. Chriſtoph. Wolfius, nec ſatis intellexiſſe videtur Latini ſermonis virtutem. „Latinitati, inquit, nimium ſtudet vir elegantiſſimus, adeo vt mihi quidem propterea praeter rationem obſcurior euadere videatur.“ a) Adeo pauci recte de his litteris iudicant; quarum vera ſcientia diuturno veterum auctorum vſu comparatur, non ex Heineccianis ſimilibusque libellis arripitur. Sed nunquam noſter neglexit lectionem veterum ſcriptorum, quorum iucunditate illum puto mitigaſſe aſperitatem reliquorum, quibus deditus fuit litterarum. Antiphontem etiam, atque Andocidem edendi iam initium fecerat. „Antiphon, Geſnero narrat, bene procedit. Sed non niſi Graece eum edo: notae et verſio mea, cum auctiores tua et aliorum opera erunt, ſubſequentur. Andocides etiam ad duas philuras proceſſit. Vtramque enim ſimul edo, vt habeam, quos hic adoleſcentibus explicem: ab infantiſſimo exordior, inde procedam olim, vt ipſa

a) v. Theſ. Epiſt. Lacroz. Vol. II. p. 167.

Digitized by Google

ipsa eloquentia maturitate quadam ingeniorum processit. Ita puto ingenuorum adolescentium animo formare me posse quoddam de Graecorum scriptorum stilo iudicium, in quo nostri homines hodie mirifice caecutiunt." Quam si rationem, Bayeri voce et exemplo commendatam, plures imitarentur, haberet res litterarum publica, quod laetaretur impense. Etiam reliquos oratores, Alcidamantem, Antisthenem, Demadem, Gorgiam et Lesbonactem edere voluit. Lacrozio certe hoc se facturum esse scripsit. De Vestritii quoque Spurinnae editione Bayerum cogitasse, ex epistola ad Gesnerum apparet. „Ego multa et non vana notaui in Vestritium Spurinnam. Proposui mihi hunc auctorem edere. Lege eum in Aduersariis Barthii, et, quae notaueris, ea sepone, vt, cum mea Lipsiam misero, tua quoque eodem mitti queant. Quidni ille idem mereatur, ac ineptus, ita me ament Veneres omnes! Sympositus." Alia in epistola idem Gesnero nunciat. „Barthium Vestricii quaedam tum in Aduersariis, tum in Venaticis edidisse vides: haec ego illustraui nam Barthio sol non luxit."

Neque haec munera tantum mors praematura nobis eripuit, sed multo plura quoque abstulit; de quibus interdum Bayerus in epistolis ad Lacrozium loquitur. Saepius narrat, se meditari, opus de *Christiana inter Tartaros religione*, et *de Gingiscanidibus*. „De Christianis, inquit, rebus in Sinis et Tattaris inscripsi, et duobus libris, quae cognoueram, digessi. Faciam, vt breuis sit commentatio, sed etiam, vt, quantum potest, elaborata." Immo librum prope perfectum a se esse alio tempore nunciat. „Liber meus de Christianis in Seris et Tattaris propemodum iam praelum exspectat„ Cataiam ego prolixus ex-

 plicui,

Digitized by Google

plicui, vt nihil obscuri in re obscurissima maneat, Campalu ipsis digitis monstrandum feci: Presbyteros Ioannis Asiae vindicaui eorumque successionem a multis seculis percensui." Alius libri, quem parabat, his verbis mentionem fecit: „*De Christianis S. Ioannis* dissertationem excudo, in qua ostendo, veteres Manichaeos esse. Dicam autem in eo scripto de origine eius sectae, opinionibus, historia, litteris ac libris."

Sed eandem fortunam hic liber expertus est, quam habuerunt alii ab eo inchoati. „De Maronitis, inquit, amplissimum commentarium scripsi et de Edessena ecclesia. Sed ea senecturi edolanda relinquam, quamuis et nunc me non poenitet, quantum profecerint. De Scholiastis quoque inter legendum Graecos meos, fortassis non plane contemnenda notaui. Conuerti quoque *Missale Maronitarum* e Syriaco Latine, nuncque id ago, vt *Chronicon Samaritanum*, seu librum Iosuae, conuertam: nactus enim sum eius ἀπόγραφον. Sed res est plane improbi laboris: ita deprauato codice vtor."

Multum temporis collocasse Bayerum in Lexico Sinico condendo, iam supra narraui. Plenius hoc ex epistola illius quadam intelligitur: „Lexicon Sinicum, quod confeci, iam mole sua laborat: est enim multorum tomorum in folio charta regia. Et multa me ab hoc labore auocant, vt multos saepe dies ne respiciam quidem."

Porro Noster historiae Borussicae lucem accendere constituerat. Quo animo scriptores medii, vt illam aetatem appellant, aeui perlegere: hinc, quae consilio suo inseruirent, delibare et sumere. Praeter historiam ordinis Teutonici rem litterariam

Digitized by Google

rariam Boruſſiae illuſtrare cupiebat. Virorum doctorum, qui Boruſſiam ingenio illuſtrauerunt, vitas ſcribendi conſilium ceperat, imagines iam collegerat, quibus hanc ſuam Pinacothecam ſplendidiorem reddere optabat. Antiquitatis patriae ſummus fuit amator. Nam etiam *Paradoxa Ruſſica de Originibus Pruſſicis* dedit. a)

Denique inter inchoata a Bayero opera referunt, qui de illius ſcriptis egerunt, *Geographiam Ruſſiae vicinarumque regionum circiter a. C. 948. ex Conſtantino Porphyrogenneta*, atque, praeter diſſertationem *de Hyperboreis*, *Vitam Conſtantini Cantemici*, *Moldauiae principis*.

Nonne vero haec omnia, quae inchoauerat Bayerus, et ad quae perficienda tantam vndique, tam diuturno ſtudio, materiam congeſſerat, opera imperfecta interiiſſe, mecum doles, eruditiſſime Floegeli? Vtamur certe iis, quae ille perfecit, dum viueret, fructumque egregiae, qua Bayerus floruit, eruditionis omnibus impertiamus. Quare ego e Commentariis Academiae Petropolitanae eos libellos ſelegi, quos ad antiquitatis memoriam illuſtrandam facere videbam, iisque addidi quosdam alios, argumenti ſimilitudine cum iisdem coniunctos. Reſtant, vt ex iis, quae de ſcriptis Bayeri diximus, apparent, plures ibi, quos relinquere ideo viſum eſt, quia aut ad aliud litterarum genus, aut ad recentiora tempora ſpectant. Hoc volumine complexi ſumus ea, quae ad temporum antiquam rationem, ſcriptores Graecos atque Latinos, hiſtoriam veterem, numosque priſcos pertinerent. Qui libelli quam laudem mereantur, non opus eſt, vt tibi narrem, cuius ſubtile et rectum de litteris iudicium quomodo ego ignorem?

a) In Lilienthal. *Actis Boruſſicis.*

Digitized by Google

rem? Age vero, habe hanc epistolam mei, Tibi dedi-tissimi, animi pignus, atque huic volumini locum da, quaeso, inter eos libros, qui tibi iucundi sunt atque in manibus et oculis quotidie. Nam ego te quoque, mi charissime Floegeli, quotidie oculis, auribus, complexu teneo, cum ob insignem eruditionem Tuam, tum ob admirabilem, quo me prosequeris, amorem. Vale, vir optime, atque in solitudine illa tua, quam ego quouis vrbium strepitu atque splendore aulae dulciorem iudico, Tibi viue et Musis. Nouem hae virgines nisi, quod accidere solet amantibus, nimium magnifice de me sentiam, de illis sperem, reuocabunt, si forte exciderit animo, nomen meum Tibi identidem in memoriam. Scr. Halae, d. XII. Ian. a. C. CIↃ IↃ CCLXX.

IN-

Digitized by Google

INDEX LIBELLORVM, QVOS HOC VOLVMEN COMPLECTITVR.

I. De Venere Cnidia in Crypta conchyliata horti Imperatorii ad aulam aestiuam et in duobus numis Cnidiis. p. 1
In Commentariis Acad. Petropol. Vol. IV.

II. Numi duo Ptolemaei Lagidae explicati. 14
Ibid. Vol. IV.

III. Numus Aegienſis illuſtratus. 24
Ibid. Vol. V.

IV. Numi decem Erythraeorum in Ionia illuſtrati. 34
Ibid. Vol II.

V. Numus Gyrtones, vrbis Theſſalicae, illuſtratus. 54
Ibid. Vol. II.

VI. De origine et priſcis ſedibus Scytharum. 63
Ibid. Vol. I.

VII. De Scythiae ſitu, qualis fuit ſub aetatem Herodoti. 79
Ibid. Vol. I.

VIII. De Muro Caucaſeo. 94
Ibid. Vol. I.

IX. De Cimmeriis. 126
Ibid. Vol. II.

X. Chro-

Digitized by Google

X. Chronologia Scythica Vetus. p. 137
Ibid. Vol. III.
XI. Memoriae Scythicae ad Alexandrum Magnum. 182
Ibid. Vol. III.
XII. Conuerſiones rerum Scythicarum temporibus Mithridatis Magni et paullo poſt Mithridatem. 220
Ibid. Vol. V.
XIII. Faſti Achaici. 269
Ibid. Vol. V.
XIV. Faſti Achaici illuſtrati. 288
Ibid. Vol. V.
XV. De Varagis 339
Ibid. Vol. IV.
XVI. Vetus Inſcriptio Pruſſica. 371
Ibid. Vol. II.
XVII. De Inſcriptionibus Iudaeorum Graecis et Latinis. 380
Regiomont. 1721.
XVIII. De Numis Romanis in Agro Pruſſico repertis. 410
Lipſiae, 1722.
XIX. Epiſtola de Theophraſti Delii Praeſidis monimento. 473
addita praeced. libello.
XX. Diſſertatio de numo Rhodio in agro Sambienſi reperto, in qua ſimul quaedam nuper de numis Romanis in agro Pruſſico repertis cogitata retractantur. 492
Regiomont. 1723. 4.
XXI. De Fontibus Eruditionis et Sapientiae Graecae. 511
Regiom. 1722. 4.
XXII. De Venedis et Eridano fluuio. 523
e Commentar. Petrop. Vol. VII.
XXIII. De Numo Muſei Imperatorii Amideno. 535
Ibid. Vol. VIII.
XXIV. De duobus Diadematibus in Muſeo Imperatorio. 565
Ibid. Vol. VIII.

DE

Digitized by Google

DE VENERE CNIDIA IN CRYPTA CONCHYLIATA HORTI IMPERATORII AD AVLAM AESTIVAM ET IN DVOBVS NVMIS CNIDIIS.

In crypta conchyliata horti Imperatorii ad Aulam Aestiuam aedicula est, tum signis aliis exornata, tum Venere, opere antiquo. Roma transuectam esse ante annos admodum viginti, multi inter nos recordantur. Ferunt deinde, Romae aliquem, qui fundamenta nouarum aedium iacturus erat, inter fodiendum reperisse sub humo: multa alia huic sermoni inter-

Digitized by Google

ſeri audiui, quae, cum auctoritatem praeſtare non poſſum, conſulto praetereo. Venus nuda proſtat, ſuperiori corpore leniter inclinato, vt, quae pudori ſuo obiecta dextera et reducto ſinu conſulit: ſiniſtram dexterae papillae obiicit: ore hilari, vt ſubridere videatur. Vtroque brachio mutilata cum eſſet, inde a ſcapulis ſpithama vna, artificio non ineleganti, ſed minime ad reliquum corpus conferendo, reſtituta fuit Romae.

Cnidia eſt, meo iudicio, traducta in exemplum ex Praxitelis opere. Nam, quae de forma Veneris Cnidiae comperi, ea huic ſigno conueniunt. Primum, vt Luciani Ἔρωτες 1) Venerem apud Cnidios ſpectarunt, σεσηρότι γέλωτι μικρὸν ὑπομειδιῶσαν, ita haec *ſemihiante labello*

facit delicias libidinesque.

Quae is ipſe Lucianus de auerſae Veneris forma commemorauit, eadem in hac ſtatua eximie ſpectantur. Vultum autem Veneris Cnidiae in numo argenteo Cnidiorum, quem e muſeo Imperatorio produxi, (T. I. F. 1.) huic ſtatuae ſic congruere video, vt nihil poſſit magis. Et is vero ob admirabilem artificii elegantiam iis temporibus inſerendus eſt, quae haud ita longe a Praxitelis aetate diſtent. Cum a Cnidiis cuſus eſt, qui Venerem ſuam ſummum ciuitatis decus eſſe iudicarunt, vultus vtique ad Praxiteleum deae ſignum expreſſus eorum in numo fuiſſe videtur. Vbi autem tanta Venerei oris hoc in numo atque in ſtatua cryptae Imperatoriae congruentia eſt et ſimilitudo, ad poſtremum mecum concluſi, fore vt mihi de reliquo corpore ad Praxitelei formam ſimulacri ſculpto concederetur. Vna in re, ſane perexigua, ambigere quis poteſt, quod vnionem in aure gerit numi Cnidii Venus, Veneris ſtatua non gerit. Nempe Praxiteles, vt Venerem ſuam ſolius corporis excellentia commendaret, omnem adſcititium ornatum praetermiſit: aurem

1) p. 880.

Digitized by Google

rem fecit, quanta potuit tantilla in parte esse elegantia: stulta posteritatis adulatio, veluti quam artis eius poeniteret, perforatae auriculae marmoris, magni pretii, vt puto, vnionem inseruit. Hinc vnio in numo: in signo artifex plus sapuit, qui Praxiteleam manum imitatus est potius, quam populi leuitatem. Nihil temere suspicor: ista superstitiosorum hominum consuetudo fuit. Aelium Lampridium [2]) testem habeo, Alexandrum Seuerum Imp. cum legatus vniones duos Augustae per ipsum obtulisset magni ponderis, primum quidem iussisse vendi, vbi autem emtorem ob pretii magnitudinem non inueniret, inauribus Veneris dicaisse. Alterum numum Cnidium ex aere, qui Veneris πρόστομον haberet, ex Asia a Buxbaumio aduectum vidi. (Tab. I. F. 2.) Numi ea ruditas, qualis post Antoninorum tempora in numis Graecis fere spectatur: attamen vel sic similitudo aliqua oris est et ad primum numum et ad statuam.

Venus Cnidia tanta in fama et admiratione fuit, vt opera ante omnia, non dicam Praxitelis, is enim Pario e marmore finxit deam, sed omnium toto terrarum orbe statuariorum poneretur. Multi eam vt viderent, Cnidum nauigarunt: [3]) multa in eam epigrammata honoris caussa sunt facta, quorum bonam copiam Luciano auctore et Platone poeta et Eueno, aliisque, neque ingenio tamen magno, neque argumenti varietate commendandam, anonymus in Antiquitatibus Constantinopolitanis [4]) produxit, ne quid nunc Anthologiam commemorem. Praxitelen, Philippo Amyntae et Alexandro M. regibus floruisse reperio, aliquanto maiorem Lysippo, cui aeneis in signis ita concedebat, vt in marmoreis esset summus. Ob eam caussam Plinius [5]) illum Olympiade CIV. in quam initia Philippi incidunt, hunc Olympiade CXIV. ipso in exitu

2) p. 1005. 3) Plinius l. XXXVI. c. 5. conf. Constantinum Porphyrogennetam in Thematibus l. I. c. 14. 4) In Bandurii Imperio Orientali t. I. p. 141. 5) l. XXXIV. c. 8.

Digitized by Google

Alexandri collocauit. At cum Harmodium et Aristogitonem tyrannicidas a Praxitele in aere fusos scribit, ea autem signa a Xerxe in Persiam fuisse transportata, ab Alexandro populo Atheniensi restituta, summam rerum et temporum confusionem admiscuit. Nam ab expeditione Xerxis ad Olympiadem CIV. anni centum et viginti intercedunt, vt illorum signorum auctor Praxiteles esse non potuerit. Pausanias [6]) vtique Antenorem signa Harmodii et Aristogitonis, quae Xerxes rapuit, fecisse scribit. Hanc Praxitelis et Lysippi aetatem, quam ex Plinio edidi, ceteri fere confirmant. At Callistratus, in statuis, scrupulum alicui iniicere potest. Cum enim illius Ἐκφράσις Scopae, Praxitelis et Lysippi statuarum exstet, eam autem Ioannes Meursius et Godofridus Olearius, quos honoris caussa nomino, Callistrato oratori tribuunt, quem Demosthenes sectatus est, non absurdo ratiocinio colligitur, superiorem Philippo rege Praxitelem fuisse et Callistrato ipso. Sed quod isti quidem tanta veri fiducia asseruere, id nos videlicet negamus, Callistratum oratorem ἐκφράσεις illas, edidisse. Sentio necessitatem mihi imponi, vt, quod dixi, contra summorum virorum auctoritatem muniam. Plutarchus ad Sosiam suum in vita Demosthenis, Gellius item et Libanius narrant, Callistratum oratorem cum Oropiam caussam acturus esset, tantam illius iudicii exspectationem Athenis concitasse, propter et testatam eloquentiae gloriam et illustrem in re publica auctoritatem, vt ciues omnes, die dicta, maximis studiis ad audiendum eum concurrerent: eodem paedagogos Demosthenem puerum adduxisse, qui, cum tantos clamores eius in oratione excitari, illum populi consensum in ornando deducendoque Callistrato cerneret, repente animo ad eius aemulationem laudis exarserit. Communem habent auctorem et Plutarchus et A. Gellius, Hermippum. Exstat Plutarchi nomine altera Demosthenis vita, quam ab alio quocumque profectam

6) p. 20.

Digitized by Google

fectam crediderim magis, quam a Plutarcho. Olearius Plutarcho relinquit, sed adolescenti. Qui autem Plutarcho postea exciderunt, quae scripserat adolescens, cum praesertim incredibilis rerum memoria in eo fuit etiam sene? qui illi adeo Hegesiae Magnesii in mentem non venit, cum plenius omnia et copiosius tradere videretur, quam Hermippus? Nempe Hegesia auctore alter ille de Demosthenis vita, quisquis is est, quod Plutarchum fugit, commemorat, Callistratum Empedi fuisse filium, Aphidneum, equitum magisterio functum, tanta eloquentiae laude, vt eum Demosthenes vnice sectaretur, donec vrbe pulsus Callistratus in Thraciam abiit exulatum: ex eo enim tempore Demosthenem Isaeo se tradidisse, quatuor autem annis post, actionem suscepisse contra tutores, Timocrate archonte, Olympiadis CIV. 1. cum, vt testatur Dionysius Halicarnassensis, septemdecim annorum esset Demosthenes. Quod Callistratum oratorem Empedi filium prodidit, in eo turpiter errat. Is enim Empedi filius multo ante fuit et bello Peloponnesiaco in Sicilia equitatui Athenienſium praefectus, fortiter pugnans, cecidit. 7) Qui in Sicilia occubuerat, is postea, quomodo mihi persuadeo, neque in Oropia caussa versatus est, neque in Thraciam abiit exulatum. Tam turpis hallucinatio sive Hegesiae, sive alterius scriptoris, in exilio quoque Callistrati fecit, vt circumspiciam, si quid offensionis sit admistum. Cum vero Aristoteles Leodamantis in Callistratum actionem producit talem, vt in δημαγωγὸν et oratorem conueniat, puto in hoc altero fidem adhibere me posse Hegesiae. Iam videte, quae ex his aduersus Olearium consequantur. Si quatuor annis ante Timocratem archontem solum vertit Callistratus, vt paullo ante dixi, exilium eius in Olympiadis CII. exitu poni debet. Si ante exilium Callistrati iam omni laude artis floruit Lysippus, annos circiter triginta natus aut amplius, qualem aetatem exi-

7) Pausanias p. 561.

Digitized by Google

eximia ars requirebat, fuerit sane Philippo rege defuncto haud multo minor annis septuaginta: quae aetas non ita apta est statuario, a quo solo Alexander duci in aere voluit. Ergo cum Lysippum aetate et ingenio maxime florentem, Alexandro tum superstite, tum vita defuncto, prodi reperimus, ineamus aliam viam, si qua Callistratus Ἐκφρασήν et Callistratus orator, vnus et idem tum multo ante Demosthenem in foro regnare, tum post Olympiadem CXIV. statuas Praxitelis et Lysippi commendare potuerit. Reuocemus eum plebiscito domum e Thracia: largiamur eidem annos vitae, quantum in hominis naturam cadit: nondum quod cupit Olearius consequitur. Nam Callistratus, qui Athenis tanta in admiratione fuit, qui tam multum potuit in re publica, ante Olympiadem CII. non sane admodum minor annis quadraginta fuit: ita difficile, et tam multi vsus, temporis, laboris res fuit Athenis, inter demagogos principatum tenere. Fuerit igitur ad Olympiadem CXIV. nonaginta fere annos natus, cum Lysippum laudaret. Nec tamen quidquam senile istis in statuis Callistrati deprehenditur, e contrario aetatis iuuenilis viriditas, flos ipse atque luxuria. Postremo cognoscite mecum apud Aristotelem fragmentum orationis Messeniacae, in quo Callistratus Atticae eloquentiae lacertos mouet, cum hae statuae non oratorem Attici nasi sapiunt, sed sophistam inferiorum temporum et paene infra classem. Non mirabimur adhuc, hunc scriptorem Demostheni summam in eloquentiae laude concedere, neque hunc locum expungemus, vt Olearius fecit, sed potius hunc Ἐκφρασήν Demosthene minorem fuisse, vel ex hoc loco redarguemus. Praeterea de Praxitele et Lysippo, non vt de aequalibus loquitur, sed vt de statuariis, qui ante se fuerint. Ergo post Alexandrum hunc Callistratum poni patiar, si cui ita videbitur, aequalem Alciphroni rhetori, cuius item aetas nos latet: dicendi ratio persimilis est. Quam vero obscurus hic Callistratus fuerit, qui

de

de statuis, qui, teste Athenaeo, de scortis et de Athenis scripsit, (puto enim eundem auctorem hos libros edidisse) ex eo intelligo, quod Harpocration, quoties eius περὶ Ἀθηνῶν librum citat, citat autem tribus in locis, toties dubius animi haeret, Menecles eum nominet, an Callistratum. Quae cum ita sint, nihil eius in auctoritate est situm, vt Praxitelen illo, quo dixi, tempore fuisse, Plinio non concedamus.

Et Venerem vero Cnidiam Praxiteles extremis Philippi aut sub primis auspiciis Alexandri feciſſe videtur. Quod quomodo indagauerim, videte. Solus est Clemens Alexandrinus, 8) qui memoriae proditum reliquit, Cnidiam, ad Cratinae, quam secum habuerit Praxiteles, formam esse factam. Auctorem citat Posidippum de Cnidiis rebus. At ceteri fere consentiunt, Phrynen Thespiacam in marmore ductam esse a Praxitele. In iis est Arnobius. 9) *Phryne*, inquit, *sicuti illi referunt, qui negotia Thespiaca scriptitarunt, cum in acumine ipso esset pulcritudinis, venustatis et floris, exemplar fuisse perhibetur cunctarum, quae in opinione sunt, Venerum, siue per vrbes Graiae, siue quo iste fluxit amor talium cupiditasque figurarum.* De Cnidia Venere nominatim Athenaeus, 10) quam, vt dixi, Phrynae adimit Clemens, cum ceteras Veneres ad eius formam sculptas fuisse concedit. At Cratina aliqua, tanta fama pulcritudinis, non a Deipnosophistis, non ab Alciphrone, non alio in scriptore celebratur: in Phrynes venustate atque illecebris tota insaniuit Graecia. Huius pulcritudinem feminae iudicium nobilitauit ad aetatem eius cognoscendam. Nam cum Euthias Phrynen adolescentulam haberet, Hyperides orator Myrrhinam, illa ab Euthiae consuetudine discessit ad Hyperidem,

8) In protreptico ad gentes p. 35. 9) Aduersus gentes l. VI. 10) p. 591. Πραξιτέλης δ' ὁ ἀγαλματοποιὸς ἐκῶν αὐτῆς, τὴν Κνιδίαν Ἀφροδίτην ἐξ αὐτῆς ἐπλάσατο.

Digitized by Google

ridem, Myrrhina ad Euthiam. Euthias, vt amicae perfidiam vlciſceretur, dicam ἀσεβείας ei ſcripſit, in qua de Eleuſiniis ſacris neſcio quid inerat, Hyperides defendit. 1) Cum autem iudices eam damnaturi viderentur, incertum an Hyperides accedens ad ream dilacerata veſte corpus ſpecioſiſſimum ad miſericordiam movendam nudauerit, an ipſa perculſa periculo ſciſſa veſte nudoque pectore ad pedes ſeſe proiiciens iudices perculerit: diuerſi enim ſunt et graues vtrimque teſtes. Iſthuc tamquam de forma eius mulieris iudicium mox Athenis et toti Graecia percrebuit: eo motus Praxiteles Phrynen potiſſimum ſelegit, cui Venerem ſuam vellet ſimilem. Huius tempus iudicii e Plutarcho mihi videor ſtatuere poſſe. Nam is in Hyperide ſcribit, 2) hunc oratorem filio expulſo introduxiſſe domum Myrrhinam, cui Phrynen ſucceſſiſſe dixi. Filius autem cum patre vtique, eodem teſte, fuit, ante Byzantii obſidionem, cum Philippus rex Euboeam cum claſſe peteret, Byzantium obſeſſum Olymp. CIX. 4. vt ex Phlegontis Trallian Ολυμπιάδων ἀναγραφῇ cognouimus, quatuor annis ante Philippi regis mortem. Igitur et iudicium de Phryne non niſi poſtremo Philippi tempore peractum, et poſt iſthuc iudicium celebrata iam formae fama Phryne Eleuſiniis in ſacris Venerem imitata e mari proceſſit nuda, ſicque ab Apelle picta eſt, ſic, vt forma docet ſimulacri, a Praxitele ſculpta. Igitur ante hoc tempus a Praxitele, cui propter Cupidinem marmoreum, Theſpiis deinde a ſe dedicatum, copiam ſui fecit, non videtur in marmore ducta. Videris, vt vero ſimile euadat, ſeu extremo aliquo tempore Philippi regis, ſeu ſub auſpiciis, quod equidem cenſeo, Alexandri M. ſtatuam ex officina Praxitelis prodiiſſe.

Duas Veneres Praxiteles fecit eodem tempore, alteram velato corpore, alteram nudam. Illam Coi, quibus

1) Alciphron l. I. ep. 30. 31. et quos ibi Stephanus Bergler, M. C. amicus meus, produxit teſtes. 2) p. 849.

bus optio relicta fuit, praetulerunt, verecundiae matronarum suarum consulentes, hanc Cnidii emerunt: utrique signo Praxiteles pretium statuerat idem. Famam tamen Cnidia multo est consecuta celebriorem. 3) Aedes Veneris apud Cnidios haud longe a portu dedicata fuit. Subdiale circa aedem non lapidibus stratum, sed frugiferis arboribus siluae in modum dispositis: cypariſſi, laurus, platani interiectae, haederaeque ac vites, (vino enim abundabat Cnidus tali, quod multum nutrire et sanguinis copiam venis suppeditare ferebant Graeci,) 4) vites igitur, circa vnamquamque ductae arborem, gratissimum oculis ad voluptatem spectaculum praebebant. Sub opacis siluis exedrae erant, in quibus conuiuari licebat et genio indulgere, ab iis tamen honesti homines refugiebant. Aedes ipsa parua, vt dea spectari tota non posset. Foribus enim patefactis sola Venus anterior cernebatur: aliae a tergo fores, quibus ab aedituo reseratis, auersa patebat oculis. Sic Lucianus, vt ex eo Plinius explicari queat, qui subobscure dixit: *Aedicula eius tota aperitur, vt conspici possit vndique.* Anticae fores plerumque erant apertae: auersas clausas tenebat aedituus, virili et vestitu et nomine femina sacerdos, ne Venus, vt accidit aliquando, iniuriae prostaret.

Vt autem toto orbe dicta fuit Cnidia, ita Cnidii ipsi Εὔπλοιαν dixere, teste Pausania. 5) Nam Venerem, quod e mari prodiisset, salutarem nauigantibus credebant praui ſſima superstitione mortales. Leander apud Musaeum:

Ἀγνώσσεις, ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐσι θαλάσσης
καὶ κρατέει πόντοιο καὶ ἡμετέρων ὀδυνάων.

Neque vero credebatur, hanc tutelam solis insaniae suae victimis praestare, sed nautis quibusuis. Quare Mnesalci epigramma ad maris littus sacellum Cypriae ma-

3) Luciani Amores p. 880. sq. 4) Athenaeus p. 32.
5) p. 4.

Digitized by Google

rinae collocat, Anytas autem ſtatuam Veneris, ὄφρα Φίλον ναύτῃσι πλόον τελῇ, *vt nautis nauigationem ex voto ſecundaret.* Anytae epigramma etiam Antipatri verſibus expreſſum eſt, qui quidem etiam plus venuſtatis habent. A Graecis ad Romanos ſimilis perſuaſio errorum peruaſit. Rutilius Numantianus in itinere ſuo: 6)

Pande, precor, gemino placatum Caſtore pontum:
Temperet aequoream dux Cytherea viam.

Quo loco, vt id dicam obiter, malim equidem

Pande, precor, gemino placato Caſtore, portum.

Romam enim deam veneratur, vt portum Oſtienſem ſibi panderet placatis Caſtoribus, (quibus populus Romanus cum praefecto vrbis vel conſule quotquot annis ea cauſſa prope Oſtiam ſacra faciebat,) 7) inde vero vt maritimum curſum ſecundaret, Venerem. De Cnidia ipſa Lucianus per iocum, vt aſſolet, ἠρέμα τῇ γῇ προσηνέχθημεν, αὐτῆς ὁίμαι τῆς θεοῦ λιπαρᾷ γαλήνῃ πομποξολούσης τὸ σκάφος, *ſenſim in portu Cnidio appulimus, veluti, vt opinor, ipſa dea nauem deduceret iucundiſſimam per tranquillitatem.*

Niçomeden regem accepimus ſignum a Cnidiis petiiſſe ea conditione, vt aes alienum ciuitatis, quod erat ingens, diſſolueret, Cnidios omnia maluiſſe perpeti, quam regi, quod cupiebat, concedere. Poſt id Conſtantinopolin fuit traductum. Nam vbi Cedrenus de Theodoſio M. dixiſſet, δι' ἐπιτομῆς ſubliciuntur de ſimulacris et ornamentis vrbis: in quibus traditur, Cnidiam Venerem in Lauſi palatio, id media vrbe haud procul a foro Conſtantini M. erat, fuiſſe collocatam. 8) Anſelmus Bandurius 9) inde Romam, tum Florentiam eſſe transportatam aſſeuerate edidit, 10) nullo ad fidem teſtimonio. Haec illa Medicea Venus, quam alii vero omnes ad Praxitelei

6) l. I. v. 155. 7) Aethicus in Cosmographia de Tiberi. 8) p. 324. ed. Paris. 9) In Orbe Orientali t. II. p. 846. 10) p. 4.

Digitized by Google

xitelei simulacri exemplum factam contenderunt. Dubitari non potest, a tam excellenti opere exempla esse ducta. Ita, quae secundum Venerem praecipua in laude fuit statua Cupidinis Thespiaci, eodem auctore Praxitele, cum a C. Caesare, illo inquam Caligula, Romam esset asportata, Menodorus Atheniensis τὸ ἔργον τοῦ Πραξιτέλους μιμούμενος aliam fecit, quam Pausanias scribit, sua aetate a Thespiensibus cultam. Conon Atheniensis, Lacedaemoniorum classe ad Cnidiam superata, Athenis iuxta mare dedicauit Venerem: Cnidiam sane, sed non hanc Εὐπλοιαν, quae nondum exstabat. Puta alteram Cnidiorum Αμφαίαν. Et mos ille veterum artificum insignia opera imitandi, numquam cuiquam statuario decori fuit in Graecia, vt si quam statuam ad exemplum factam dicamus, nihil tamen ex arte decerptum velimus. At Venus Medicea ne exemplum quidem Cnidiae esse potest. Videte eam in Dominici Rossi splendido opere, [1]) in quo nihil ita miror, quam insignem inconstantiam, quod ipsa statua sic inscribitur:

ΔΙΟΜΗΔΗΣ ΑΠΩΛΛΟΔΩΡΟΣ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ

illustris vero Maffeus in commentariis veluti alium titulum edidit: [2])

ΚΛΕΟΜΕΝΗΣ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ

In Apollodori nomine duae extremae litterae a Maffeo vtique bene restitutae sunt: tantae autem in nomine diuersitatis, vt hic Cleomenes esset, ibi Diomedes, cui culpam imputem non video: quis enim Maffei eruditioni

vin-

1) *Raccolta di statue antiche e moderne, data in luce da Dominico de Rossi, illustrata di Paolo Alessandro Maffei, in Roma 1704.* Tab. XXVII. Conf. Bernardus Montfaucon in Antiquitatibus illustratis tom. I. parte I. tab. CII. 2) p. 28.

Digitized by Google

vmquam diffidit, quae ſumma fuit, at quid ſculptorem aeris adeo fallere potuerit, non video. Quid vero tandem in hac Venere eſt, quod Cnidiam referat? Nam ſinus reductus obiectaque manus non protinus Praxiteleum opus arguunt: ſumebantur haec vel a laſciuia vel a pudore. 3) At in capite non illa eſt ſpecies; quae in numo, atque in hoc ſigno horti Imperatorii: et in pede altero nimis flexo Medicea ſtatua nihil Cnidium habet, habet ſtatua Petropolitana in pede vtroque ad greſſum firmo. Lucianus de Cnidia: *οὐκ ἂν εἴποι τις ὡς ἡδὺς ὁ γέλως μηροῦ τε καὶ κνήμης ἐπ' εὐθὺ τεταμένης, ἄχρι ποδὸς ἠκριβωμένοι εὐθμοί, dici non poteſt, quam gratiam habeat et femoris et tibiae in rectum protentae ad pedem vsque accurata proportio.* Potius ego Maffeo aſſentiar, propter Cupidines delphinis in tergo laſciuientes, Venerem eam Genetricem eſſe.

Venerem aliam ex aere in Muſeo Regis Pruſſiae Laurentius Begerus 4) Cnidiam contendit eſſe. Verum neque hanc hic numus Cnidius ſecum conſiſtere patitur. Exſtat quidem Venus Cnidia in numo Plautillae Auguſtae extenta ſiniſtra, vt hoc in ſigno Berolinenſi eſt, nihil tamen prohibet, quin Praxiteleam Venerem mamillae admouiſſe opinemur. Numum Ioannes Harduinus citauit, Ezechiel Spanhemius vero e gaza Regis Galliae produxit. 5) Sed ſi ſecundum hunc numum iudicare nos oporteat, putemus Praxiteleam Venerem etiam veſtem tenuiſſe apoſitio vaſe, vt in numo eſt, quem alter numus Cnidius ab Nicolao Haymo publicatus 6) illuſtrat. Habet enim e regione Veneris Aeſculapium, vt veſtis Veneris et vaſculum illis in numis balnea ſalutaria Cnidiorum indicauerint. Ita nimirum eſt: deorum dearumue ſimulacra non

3) Alciphron l. I. ep. 39. 4) Theſauri Brandenburg. p. 268. 5) De vſu et praeſtantia numismatum t. II. p. 296. 6) Theſauri Britannici t. II. tab. XVI.

Digitized by Google

non tam accurate in auersis numis ad certa statuarum simulacra effingebant Graeci, vt in aduersis. Isthic enim habitum dei deaeue saepe pro arbitrio mutarunt, aut ad certam quandam actionem finemue quemvis alium accommodauere, vt multis ex numis compertum habemus. Itaque non temere omnes statuae Veneris, in quibus tot statuarii ingenium ad artem et nequitiam exercuere, pro Cnidia sunt commendandae. Cyrillus Hierosolymitanus 7) gentiles superstitiones recensens: αἱ μὲν γυναικομανεῖς γυμνῆς γυναικὸς εἰδωλον προσαγαρεύοντες προσεκύνησαν διὰ φαινομένου τὸ πάθος: Illic quoque eum nescio quam ob notam doctissimus editor Th. Milles de Venere Cnidia loqui censet. Plura exempla proferre, superuacaneae operae fuerit.

Ad postremum, quia duos numos Cnidios supra protuli, dicam tribus verbis de eorum imaginibus. In altero cornu copiae Cnidiorum adfluentiam a Veneris religione demonstrat, in primo caput leonis et claua Herculem Lacedaemoniamque Cnidiorum originem. Erant enim, vt Herodotus testatur, 8) Λακεδαιμονίων ἄποικοι.

7) Catechesi IV. p. 49. 8) l. I. c. 174.

NVMI

NVMI DVO
PTOLEMAEI LAGIDAE
EXPLICATI.

Numus aeneus in muſeo meo. Caput Iouis laureatum. = *Aquila vnguibus tenens fulmen: ſcutum fulmine inſignitum:* ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.

Numus aeneus in muſeo Delisliano. Caput Iouis laureatum. = *Aquila, fulmen, ſcutum:* ΠΤΟΛΕΜ . . . *et inter pedes* A. *ad pectus ſiglum.*

Quod Iupiter in his numis ſignatus eſt, (Tab. I. F. 3. 4.) quod aquila cum aegide Iouis, id ſtirpi Ptolemaeorum celebrandae inſeruiit. Nam Ptolemaeus Lagi filius cum in ſolida laude fundatam populi de ſe exiſtimationem habuit, tum arte quoque fotam non neglexit. Sic ſunt hominum iudicia, vt in ſummis virtutibus meritisque alimenta fulgoris externa requirant, nec ſimul naſci et perfici in vno homine excellentem virtutem gloriamque exiſtiment, ſed traduci a maioribus et communicari. Quamquam haec qualia eſſent, videbat Ptolemaeus, tamen non vanitate ementiendae ſtirpis, ſed decora ſua etiam per populi errorem muniendi prudentia, facile eſt paſſus, vt docti homines, qui cum eo aſſidue erant, genus ſuum diuinis originibus inſererent. Idque iure ſuo, quod apud laſciuientem populum obſcuritatem generis obiici ſibi intelligeret. Cum notae inſcitiae grammaticum interrogaret, quis Pelei fuiſſet pater, ille dicturum ſe reſpondit, ſi prior ipſe rex diceret,

Digitized by Google

ceret, qui fuiſſet fuus. Indignantibus ceteris, qui cum eo erant, regem tali dicto impune irrideri, Ptolemaeus moderati animi inſigne exemplum edidit, ipſe ſeſe reprehendens. Si non regium eſt, inquiebat, aliorum falſe dicta pati, ne hoc quidem regis fuit, in alios iacere. 1) Contra ea docti homines matrem Ptolemaei Arſinoen ex regum Macedonum ſtirpe editam cognoverant: idcirco ad Herculem et Bacchum et Iouem τὴν γενεαλογίαν proſecuti ſunt. De Hercule quidem Theocritus in encomio Ptolemaei Philadelphi, cum Alexandro Ptolemaeum Lagi comparans: 2)

Ἀμφοῖν γὰρ πρόγονός σφιν ὁ καρτερὸς Ἡρακλείδας,
Ἀμφότεροι δ' ἀριθμεῦνται ἐς ἔσχατον Ἡρακλῆα.
Vtrisque enim proauus eſt fortis Heraclides,
Ambo igitur recenſentur vsque ad Herculem extremum.

Fortem Heraclidem, communem vtriusque πρόγονον, Alexandrum regem Macedoniae dicit, ſextum ab Alexandro et Ptolemaeo parentem.

Hoc autem Ptolemaeus Lagi filius gratanter accipiens, in numis ſignauit Iouem et aquilam cum aegide. Vt deinde aquila in nepotum numis, ob hanc diuini generis opinionem, manſit, ita Ptolemaeus Euergetes in monumento Adulitano illa fama vt maxime eſt gloriatus. Neceſſe eſt, vt totum monumenti principium huc ponam, quia in eo eruditiſſimi viri non vno modo lapſi ſunt.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ
ΥΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ
ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΘΕΩΝ
ΑΔΕΛΦΩΝ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟ-
ΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕ-
ΝΙΚΗΣ

1) Plutarchus de ira cohibenda p. 458. 2) Idyl. IZ. v. 26.

Digitized by Google

ΝΙΚΗΣ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ ΑΠΟΓΟΝΟΣ ΤΑ ΜΕΝ ΑΠΟ ΠΑΤΡΟΣ ΗΡΑΚΛΕΩΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑ ΔΕ ΑΠΟ ΜΗΤΡΟΣ ΔΙΟΝΤΣΟΥ ΤΟΥ ΔΙΟΣ

Βασιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος, υἱὸς Βασιλέως Πτολεμαίου καὶ Βασιλίσσης Ἀρσινόης Θεῶν Ἀδελφῶν τῶν Βασιλέως Πτολεμαίου καὶ Βασιλίσσης Βερενίκης Θεῶν Σωτήρων ἀπόγονος, τὰ μὲν ἀπὸ πατρὸς Ἡρακλέως τοῦ Διὸς, τὰ δὲ ἀπὸ μητρὸς Διονύσου Διός.

Rex magnus Ptolemaeus, filius regis Ptolemaei et reginae Arsinoes Deorum Fratrum, Deorum autem Seruatorum, regis Ptolemaei et reginae Berenicae nepos, prognatus patre Hercule, Iouis filio et matre (Deianira) *quae Baccho Iouis filio genita fuit.*

Nos partem hanc ex apographo codicis Vaticani edimus, quod accuratissima et linearum et litterarum imitatione nostra caussa fecit vir summus Iosephus Simonius Assemanus. Leo Allatius et Iacobus Sponius ΑΠΟ ΠΑΤΡΟΣ omiserunt, Bernardus Montefalco in Cosma Indicopleuste restituit. 3) Vniuersi autem ediderunt ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΡΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ. Quaerit vir excellenti doctrina Edmundus Chishull, 4) quid hic βασιλέων sibi velit, meoque iudicio argute respondit: *Iure adoptiuo et legitimo diuae Arsinoes filium se tulit Euergetes: vnde praelatus est iste minus solens verborum ordo* ΤΙΟΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΑΡΣΙΝΟΗΣ *pro alio longe vsitatiore* ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΤΙΟΣ. *Iterum, vt vno eodemque iure, hoc est, naturae ipsius, non adoptionis lege, tum Berenices, tum Soteris nepotem se innueret, admissa est insolita locutio* ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ *κ. τ. λ.* In primo non diffiteor, caussam mihi placere: in altero au-

3) p. 141. 4) In Antiquitatibus Asiaticis Christianam aeram antecedentibus p. 84.

Digitized by Google

autem neque rationem aliquam video, neque sane ad sensum medelam, neque cur a Ms. lectione viri doctissimi discesserint, in quo manifeste est ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, 5) satis mirari possum. Igitur illud ΤΩΝ cum ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ cohaeret. Quod quidem durum adhuc est, (eo enim tandem factum opinor, vt docti viri aliquid mutarint) nequaquam vero ita durum, vti alterum, et ad mentem Chishulli multo magis accommodatum. Quae sequuntur, Leo Allatius incommode conuertit: *Paternum genus ab Hercule, maternum ab Dionyso Iouis filio deducens.* In eundem fere modum Edmundus Chishull. Bernardus autem Montefalco: *Ex patre quidem Hercule Iouis filio, ex matre autem Baccho item Iouis filio oriundus*, quod ambigue positum veram sententiam potest continere. Nam Allatius, tamquam Euergetes glorietur, Philadelphum patrem ad Herculem genus referre, eiusdem vero sorosem et coniugem, ad Bacchum. Aut neuter fuit ab Hercule, aut ambo a Dionyso. Sensit hoc praestantissimus Chishull et confitetur se sentire, itaque vt desperato in morbo aliquid audet amplius: *Qui matrem natura, Arsinoen*, inquit, *superius silebat, hic genus per eam ductum non silet Euergetes: sed palam facit, eam genitam a Lysimacho, Lysimachum generis sui auctorem perhibuisse Bacchum.* Primum mihi et insolitum et plenum mysteriis videtur, matris Arsinoae ex qua natus fuerat, ipso nomine Euergetem ita erubuisse, vt Berenices, a qua adoptatus fuerat, filium sese diceret, tamen genere alterius, quam vt ignominiosum nomen abdicauerat, sese deinde iactasse. Veluti si quid aut a patre aut a Berenice noverca metueret, qui iam diu sui iuris esset. Et si id maxime voluisset dicere Euergetes, iis tamen verbis dicere

5) In Ms. C semper scribitur, quod nos mutauimus, quia satis constat, Ptolemaei Euergetis aeuo Σ tantummodo in monumentis exstitisse.

Digitized by Google

cere non potuit. Ita enim dixisset fere: κατὰ τὸν πατέρα μὲν εἰς Ἡρακλέα ἀνάγων τὸ γένος, κατὰ δὲ τὴν μητέρα εἰς Διόνυσον, vt vitarum scriptores, scholiastae, mythologi solent: aut sicuti Plutarchus in Alexandro: τῷ γένει πρὸς πατρὸς μὲν ἦν Ἡρακλείδης, ἀπὸ Καράνου, πρὸς δὲ μητρὸς Αἰακίδης, ἀπὸ Νεοπτολέμου. Ista πρὸς πατρὸς, πρὸς μητρὸς apud Plutarchum significant, quod Philippi patris et Olympiadis matris genus deductum in vltimam maiorum stirpem attinet: haec autem ἀπὸ Καράνου, ἀπὸ Νεοπτολέμου, a quo primo parente ius necessitudinis cum Heraclidis aut cum Aeacidis repetatur. Sic in Thalete Diogenes Laertius: εὐγενέσατοι τῶν ἀπὸ Κάδμου καὶ Ἀγήνορος, *nobilissimi eorum, qui a Cadmo et Agenore ad eam vsque aetatem geniti sunt natorum nati.* Ammonius περὶ διαφόρων λέξεων eum in modum loquitur; Βασιλεύς ἐστιν ὁ πατρόθεν ἢ ἀπὸ γένους τὴν ἀρχὴν παραλαβών, *rex est, qui seu a patre seu a maiorum stirpe principatum accepit.* Diuersitatem harum dictionum Diogenes in Platone, de patre eius loquens, sic est complexus: Φασὶν ἀνάγειν εἰς Κόδρον, οἵτινες ἀπὸ Ποσειδῶνος ἰσοροῦνται, *patrem eius ad Codrum genus referre dicunt, qui genealogiam Platonis, Thrasyllo teste, vsque a Neptuno recensent.* Itaque in monumento Adulitano ἀπὸ πατρὸς, ἀπὸ μητρὸς, non Euergetis parentes, Philadelphum et Arsinoen, respicit, sed maiores, Herculem et Deianiram, vt supra explicui.

Summa stirpis gloria a Ioue, in quo consistere maluit Euergetes, quam ad minora nomina excedere. Cum Iouem ostentare vellet ἀρχηγέτην, ἐν δοιῇ μάλα θύμος, Herculemne an Bacchum poneret: vtrumque tandem posuit. Originem ab Hercule in Ptolemaei Epiphanis numo Salaminio, quem Ioannes Valens produxit, signari puto clava. Clarissimus antiquarius hanc monetarii notam esse putat: malim, quod dixi, Herculis. Nam eiusdem alium numum ad manus habeo, e Buxbaumianis, qui nunc in Museo Delisliano sunt, cum

cum aquilâ et clava. (Fig. 5.) Caput est Iouis diademate cinctum: nauis inscribitur ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛ . . . . Iouis in hoc numo nostroque tanta conuenientia lineamentorum, vt ambo videantur ex eadem officina prodiisse. Dionysum autem a Ptolemaeis summo in honore fuisse habitum, multa sunt indicio, quae quidem ab Ioanne Valente iam studiose obseruata praetermitto.

Satyrus Peripateticus, qui Ptolemaeo Philopatore rege, τοὺς δήμους τῶν Αλεξανδρέων scripsit, genealogiam Ptolemaei Soteris inde vsque ab Hercule et Dionyso persecutus est, quam ex eo Theophilus Antiochenus conseruauit. 6) Διονύσου καὶ Αλθέας τῆς Θεσίου γεγενῆθαι Δηϊάνειραν. τῆς δὲ καὶ Ηρακλέους τοῦ Διὸς Υλλον. τοῦ δὲ Κλεόδημον. τοῦ δὲ Αριστόμαχον. τοῦ δὲ Τήμενον. τοῦ δὲ Κεῖσον. τοῦ δὲ Μάρωνα. τοῦ δὲ Θέσιον. τοῦ δὲ Ακοὸν. τοῦ δὲ Αριστομίδαν. τοῦ δὲ Καρανὸν. τοῦ δὲ Κοινὸν. τοῦ δὲ Τυρίμμαν. τοῦ δὲ Περδίκκαν. τοῦ δὲ Φίλιππον. τοῦ δὲ Αέροπον. τοῦ δὲ Αλκέταν. τοῦ δὲ Αμύνταν. τοῦ δὲ Βόκκον. τοῦ δὲ Μελέαγρον. τοῦ δὲ Αρσινόην. τῆς δὲ καὶ Λάγου Πτολεμαῖον τὸν καὶ Σωτῆρα. Herculis nepos, Cleodaeus, est Tzetzi ad Lycophronem. 7) Et quamquam Pausanias alicubi 8) eum Κλεόδαμον citat, tamen idem alibi 9) Κλεόδεον dixit, quod proxime abest a Κλεοδαῖος, quo nomine eum non modo Tzetzes ille, aut Suidas, sed, quod maioris fieri debet, Herodotus appellat. Apud Aelianum et scholiastam Pindari 10) Κλεΐδας est et Κλεόδατος apud Dexippum. 11) Apud Apollodorum Κλεόλαος corruptum ex Κλεόδαος seu Κλεοδαῖος. Nescio autem quid Sylburgio in mentem venerit ad Pausaniam vt scriberet, illum Cleodaeum apud Eusebium Αριδαῖον vocari. Locus est in praeparatione Euangelica 2) quem respexit, e decimo Platonis de republica, 3) vbi Αριδαῖος tyrannus est in aliqua Pamphi-

6) Ad Autolycum p. 98. ed. Wolfianae. 7) ad v. 804.
8) p. 127. 9) p. 246. 10) In Isthmionica E. Z.
11) In Excerptis Eusebianis p. 57. 2) p. 669. 3) p. 471. ed. Henr. Petri.

Digitized by Google

line vrbe, qui patrem senem occidit. In posteris Cleodaei sic satis inter se consentiunt Graeci, neque enim dissensionum quasuis minutias exigere nostrum hic est, nisi quod Aristomachum Tzetzes perperam omittit, quem praeter Satyrum Pausanias 4) atque Hyginus 5) habent. Temenus rerum magnum nomen, quod cum fratre Cresphonto Heraclidas in Peloponnesum reduxit. Inde iam Τημενεῖοι eius posteri apud Lycophronem, 6) Herodoto 7) ἀπόγονοι τοῦ Τημένου, et passim Temenidae. 8) At a Temeno vsque quidam genus isthuc aliter recensuerunt apud Dexippum, donec ad Caranum perveniunt. Nihil hoc magnopere ad nos. Deinde Dexippus Ἀργεῖον filium Tyrimnae, patrem Philippi edit. Sed facile apparet, in Dexippo Perdiccam, Argaeum in Satyro excidisse, si Herodoti Vraniae 9) auscultemus. Herodotus deinde ad Amyntam vsque regem cum Satyro conuenit. Quod restat in Satyro, corruptelam videtur passum. Ex Herodoto, Satyro Dexippoque inter se collatis hanc γενεαλογίας formam esse oportere sentio:



Et

4) p. 127. 5) p. 184. ed. Munck. 6) v. 804. 7) l. c. 8) Vid. Tertullianus de anima c. 30. 9) l. VIII. c. 139. Sic etiam Graeca Excerpta Eusebiana p. 367.

Digitized by Google

Et nisi hoc mihi concedatur, neque Alexandri M. aequalis esse potuit Ptolemaeus, neque Philippus rex potuit corrumpere Arsinoen, antequam Lago nuberet, si Philippo adolescente Arsinoe fuisset propemodum anus. Ita enim Satyri stemma postulat. Ex his denique intelligi poterit Lycophron Chalcidensis, cum de Thesprotio et Chaladraeo leone seu de Alexandro M. vaticinantem Cassandram inducit atque in Ptolemaeo Lagi desinit iis verbis:

ὦ δή, μεθ' ἕκτην γένναν αὐθαίμων ἐμὸς
εἷς τις παλαιστὴς, συμβαλὼν ἀλκὴν δορὸς,
πόντου δὲ χθὼ γῆς εἰς διαλλαγὰς μολὼν,
πρέσβυς ὸς ἐν Φίλοισιν ὑμνηθήσεται,
σκύλων ἀπαρχὰς τὰς δορυκτήτους λαβὼν.

Hi versus in tenebricosissimo poeta, neque a vetustis criticis, neque a superiorum aetatum sagacissimis ingeniis ante Maturinum Veyssiere Lacrosum, virum omni doctrina consummatum, sunt intellecti. Et Ptolemaei quidem ipsum quasi nomen insertum est, vt tanto sit plus mirandum, eruditos viros scripturae errorem in ἐμὸς non deprehendisse. Id enim solum obstitit, quo minus Ptolemaeus nosceretur, quod Cassandra videretur gentilem eum suum vocare. Lacrosus emendat ἐμοῦ. Malo: αὐθαίμων ἐὸς, qua voce et Homerus et poetae alii vehementer delectantur, quamquam in Lycophrone eam nondum inueni. Sic autem conuerto Latine:

Quocum, (Alexandro M.) *eius, inde vsque a sexta generatione consanguineus*
Palaestes (Luctator, Ptolemaeus) *vnus aliquis, consociato robore hastae,*
Marique terraque foederibus pacis conciliatis,
Vetustissimus inter amicos (Alexandri) *celebrabitur,*
Spoliorum primitias bello partas consecutus.

Sic igitur Ptolemaeum Lagi filium Lycophron Philadelphi regis cliens admisit, vt P. Virgilius Au-

Digitized by Google

gustum Caesarem et Marcellum. Μετ' ἕκτην γενεὰν Alexandrum Amyntae tangit. Solent enim Graeci ἐν γενεαλογίαις vtrumque extremum in toto genere sic complecti, vt apud Herodotum 10) τοῦ δὲ Ἀλεξάνδρου ἕβδομος γενέτωρ Περδίκκης ἐστὶ, *Alexandri huius* (qui Xerxis temporibus fuit) *septimus genitor Perdiccas est.* Scilicet, vt ipse recenset: *Perdiccas, Archaeus, Philippus, Aeropas, Alcetas, Amyntas, Alexander.* Poterat dicere Lycophron μετὰ πέμπτην, quoniam ab Amynta Alexandri regis filio consociatio sanguinis procedit. Sed Amyntam transiliit, vt in rege potius consisteret, quam in priuato. Iam sexta generatio non procedet vtrimque, nisi errore sublato in Satyro, sic vt nos ex Dexippo restituimus.

In Ioue deo auctore generis subsistere, ne diuinas stirpes obfuscarent. Ceteri in Graecia et Alcmenen Herculis matrem γενεαλογοῦσιν et Deianiram, ita vt Iapetus et Inachus denique prodeant. Iapetus sine dubio Noae patriarchae filius. Inachus, a quo, vt Ocellus Lucanus 1) obseruauit, Graeca fere historia initium in fabulis capit, quod eo auctore insignem mutationem Graecia subiit: πολλάκις γὰρ καὶ γέγονε καὶ ἔσται βάρβαρος ἡ Ἑλλάς. Praeter Iouem et Herculem, Marte patre gloriati sunt Ptolemaei reges. Nam Deianirae mater Thestii filia fuit, Thestius, vt apud Apollodorum, Martis et Demonices filius. Ergo Ptolemaeus Euergetes in monumento Adulitano, cum Martem nominasset: Ο ΜΕ ΚΑΙ ΕΓΕΝΝΗΣΕΝ.

Aquilam in numis nostris ad Iouem auctorem stirpis retulimus, quia aegida pedibus tenet. Alioqui haud ignoro, in huius natiuitate Ptolemaei aquilam prodigio fuisse. Eam rem vero scutum in numis signatum indicat. Sunt enim qui tradunt, Arsinoen a Philippo rege vitiatam, Lago deinde datam in matrimonium. Quare, vt

10) l. VIII. c. 137. 1) p. 530.

Digitized by Google

vt Pausanias scripsit, 2) Macedones Πτολεμαῖον Φιλίππου παῖδα εἶναι, λόγῳ δὲ Λάγου ἐνόμιζον. Cum autem Arsinoe filium Eordaeae in Mygdonia peperisset, partum in aeneo clupeo seu scuto exposuit. Inseritur huic loco, aquilam alis expansis ab ardore solis imbriumque molestiis infantem defendisse et coturnicibus dilaceratis, earum nutriuisse sanguine. Credo ego, Arsinoen, fallendi caussa Lagi, culpam corruptae pudicitiae ad Iouem relaturam, certos homines subornasse, qui Lagum hac fama percellerent, vt tolli infantem pateretur. Sed ab clupeo illo καὶ παρὰ τὸν πόλεμον, seu vt Athenienses Cypriique dicebant, πτόλεμον, Πτολεμαῖος appellatus est, vnde Lycophron Παλαιςὴν dixit, vti Theocritus Ἀιχμητὰν. Philippum quoque dictum scribit auctor semibarbarus, 3) qui ex Alexandrinis fastis sua transtulit, sed hic quid de Ptolemaeis diceret, prae infantia aeque non vidit, ac Theocriti scholiasta, qui Lagum quoque Ptolemaeum dictum contendit, aut L. Ampelius. Hic Ampelius nobis in memoriam reuocat, Ptolemaeum apud Oxydracas Alexandrum obiecto clupeo defendisse. Nihil vero hoc ad huius numi clupeum. Fabula illa quidem est a Clitarcho et Timagene conficta. 4) Fulmen autem in clupeo non aegis est, sed ornamentum, vt solebat in fortium virorum armis.

Altero in numo A. sub pedibus aquilae, Alexandriam demonstrat, qua in vrbe signatus est. Ita antiquarii ΠΗ. Πηλούσιον, ΑΒ. Ἄβυδὸν, ΠΑ. Πάφον, ΚΙ. Κίττιον, ΗΡ. Ἡρακλεούπολιν, ΣΑ. Σαλαμῖνα, ΔΙ. Διόπολιν, ΜΕ. et Ioannes Valens et Nicolaus Haymus Μέμφιν interpretati sunt. Decet Alexandriam elegantia numorum: in interiori Aegypto cusos vidi complures, sed insigni deformitate, quos nihilo minus ab antiquariis neglectos ad hunc diem fuisse doleo.

2) p. 14. 15. cf. Athenaeum p. 557. 3) p. 78. ed Scal.
4) Vid. Q. Curtium l. IX. c. 5.

Digitized by Google

NVMVS AEGIENSIS ILLVSTRATVS.

Caput barbatum et laureatum: AIΓΕΩ: - - = *Signum decussatum in speciem Graecae litterae* X, *cuius ima crura* A *describunt, appositis litteris, in summo* API, *in medio* TOΔ, *in imo* MOC, *quas laurea complectitur. Numus in museo Imperatoriae Academiae Petropolitanae.*

(Tab. I. F. 6.)

Exstant numi AIΓIEΩN. AIΓEIΩN. AIΓAIΩN. AIΓEAIΩN. AIΓAEΩN nominibus inscripti, in quibus doctissimi antiquarii haesitarunt, cui vnumquemque numum vrbi, cui populo vnumquodque ἐθνικὸν attribuerent. Hic numus Aegiensium in Achaia est. Id me optimo iure censere, αὐτὸ τοῦτο, τὸ ἐθνικὸν demonstrat. Stephanus Byzantius enim, postquam ex Eudoxo Achaiae vrbem Aegium esse docuit, ὁ πολίτης, inquit, Αἰγιεύς, et auctoritatem oraculi adfert, quod quia Eustathius [1]) altero versu plenius protulit, ex hoc malumus citare quam e Stephano:

Τμεῖς δ' Αἰγιεῖς οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Neque aliter Polybius, Pausanias, Strabo. *Aegienses* T. Liuio dicuntur. Et esse hunc numum Achaicum, praeterea signum decussatum confirmat, quod nihil aliud significat quam Achaiam. Bernardus Montefalco quidem [2]) isthuc signum AIΓIEIΩN monogramma esse cen-

1) Il. B. p. 292. ed. Rom. 2) In Palaeogr. Graeca p. 143.

Digitized by Google

censet, nihil vero optimi senis iudicio atque doctrinae detractum velim, si hic eum sequi non ausim. Nam Aegiensium nomen Graece non effertur *Αἰγιείων*, neque magis quidquam in oculos incurrit, quam signum isthuc ex A et X esse conflatum. Videtur autem Montefalco in circulum legisse, vt, si ab A pergas sinistrorsum, putes habere te in superiori crure I, cui proximum sit Γ, tum redire ordinem ad A: et in superiori I desinere, vt sint AIΓAI. Sed Aegae in Cilicia, Macedonia, in peninsula Thracaeiorum, Myrrhina, Aeolide, Lydia, Locride, Aetolia, Euboea (tam multae enim eodem nomine fuere Aegae) gentile omnes habuere, teste Stephano, *Αἰγαίων* aut *Αἰγεάτων*. Aegae vero in Achaia, tum quidem, cum hic numus est signatus, fuere nullae, agro Aegaeo multis ante temporibus attributo Aegiensibus. 3) Exstant denique numi apud Golzium et Begerum his cum monogrammatis:

in quibus nemo ne haesitauerit quidem, AXAIΩN esse legendum. Est etiam numus in gaza Regis Prussiae, in quo Aegienses signum illud Achaiae tetragono inclusere. (T. I. F. 7.) Eo in signo A rudius ad Phoeniciae formam litterae factum, vt hic in numo ipso cernitis, (F. 6.) quem primus protulit Laurentius Begerus, 4) et ex Begero Bernardus Montefalco in Antiquitatibus explicatis. 5) Alios duos numos Nicolaus Haymus 6) edidit. (T. II. F. 1. 2.) Vterque habet caput Iouis: vnus praeterea circa Achaiae monosyllabum, Corinthi nomen, alter obscuriores litteras, in quibus Tyri monogramma mihi suspicionem movit, vt postea quoque dicam, de Tyro oppido in Argo-

3) Strabo ed. H. Petri p. 441.
4) T. I. p. 447.
5) T. III. parte I. tab. 89.
6) In thesauro Britannico T. II. p. 96.

Digitized by Google

golica regione, haud longe ab Inacho fluuio. Scilicet ex quo tempore vrbes in Peloponneso pleraeque ad vnum corpus et concilium Achaicum aggregatae fuerunt, ius monetae cudendae singularum vrbium fuit: numi autem erant communes Achaeorum omnium, quacunque in vrbe essent signati. Inde commune populi Achaici monogramma impressum fuit, nonnumquam apposito nomine vrbis eius, in qua cusi sunt, haud raro etiam praetermisso. Sic Polybius tradit, Achaeos amicitiam sociali foedere iniuisse, καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς αὐτοῖς καὶ ςαθμοῖς καὶ μέτροις καὶ νομίσμασιν, *vt legibus, ponderibus, mensuris iisdem, pecunia denique communi vterentur omnes.* Hoc enim aliis in vrbibus Graeciae minime obtinebat, vt vna in vrbe signati numi, alterius populi in vrbibus reciperentur. Testem habeo Galenum in protreptico, 7) τὰ κατὰ πόλιν νομίσματα παρὰ τοῖς θεμένοις ἰσχύονται, παρ' ἄλλοις ἐςὶ κίβδηλα, *numi singulis in ciuitatibus cusi, apud eos vtique pretium habent, a quibus signati sunt, at aliis in ciuitatibus non recipiuntur.* Quam ob caussam Aristoteles in Nicomachiis 8) νόμισμα παρὰ τὸν νόμον dictum asserit, quod οἷον ὑπάλλαγμα τῆς χρείας γέγονε κατὰ συνθήκην, καὶ ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐςὶ καὶ ἐφ' ἡμῖν, μεταβάλλειν καὶ ποιῆσαι ἄχρηςον. Hoc enim non tantum eo pertinet, quod in Oeconomicis tradit, 9) Hippiam tyrannum Athenis omnem numum ἀδόκιμον esse iussisse, atque eodem ex argento cudendos nouo signo elocasse alios: verum etiam ad singularum leges vrbium respexit, per quas suum cuique numo pretium fuit.

In aduersa numi parte caput Iouis est laureatum, siue is sit ΖΕΥΣ ΣΩΤΗΡ, cuius simulacrum Aegii in foro dedicatum fuit, 10) siue ΖΕΥΣ ΟΜΑΓΥΡΙΟΣ, cuius delubrum in maritima vrbis regione exstitit. 1) Homagyrius, (tam) quam *congregatorem populi*

7) p. 7. ed. Paris. 8) l. V. c. 8. 9) l. I. c. 1.
10) Pausanias p. 583. 1) id. p. 584.

Digitized by Google

puli in vnum concilium dicas, in eius conuentus honorem positus videtur, qui a Panachaeis Aegii est habitus. Quamquam Pausanias id nomen eo interpretatur, quod Agamemnon hoc loco principes Graeciae de summa belli Troiani in consilium adhibuerit, tamen id veluti vanum et futile nemo morabitur. Fuit et Iupiter Infans patria Aegiensium religione cultus, cuius simulacrum aeneum ab Agelada Argiuo fabrefactum, quotquot annis sacerdos lectus in aedibus suis adseruabat. Huic Ioui priscis temporibus sacerdos venustate inter ceteros eximia legebatur puer, eoue pubescente alius. 2) Tenuit religio Iouis Aegiensis ea maxime caussa, quod ad vrbem hanc Iouem a capra nutritum ferebant, 3) vnde et Aenarium, haud procul ab Aegio, lucus Achaeorum comitiis frequentatus, Ioui sacer erat, teste Strabone. Ea caussa etiam Iunonis vultum Aegienses signarunt in numo Golziano. In eiusdem numi auersa Lucina est sic, vt signum deae Aegiensis Pausanias descripsit. 4) Damophon Messenius fecerat, os, manus et pedes e marmore Pentelico, reliquum corpus e ligno: a vertice ad calcem tenuis carbasus simulacrum tegebat, καὶ ταῖς χερσὶ, inquit Pausanias, τῇ μὲν ἐς εὐθὺ ἐκτέταται, τῇ δὲ ἀνέχει δᾷδα. Id ἐς εὐθὺ ἐκτέταται, quemadmodum intelligendum sit, figura in numo declarat. (T. II. F. 3.) Quem vero Iouem hoc in numo Aegiensi positum dicemus? Nempe Homagyrium potius, quam Sotera. Non enim tantummodo in Aegiensium, verum etiam in aliarum quoque numis vrbium, qui Achaici nominis essent et corporis, Iupiter spectatur, vt non peculiariter Aegii cultum Sotera, sed Panachaeorum tutelam Homagyrium signari manifestum sit. Et mos erat, vt praetores Achaei primo comitiorum die ominis caussa pronunciarent Iouem, Apollinem, Herculem. 5) Crotoniatis, Sybaritis et Coloniatis in Magna Graecia, ΖΕΤΣ ΟΜΟ-

2) Pausanias p. 584. 3) Strabo p. 441. 4) p. 582.
5) Liuius l. XXXII. c. 25.

Digitized by Google

ΟΜΟΡΙΟΣ cultus est, teste Polybio. 6) In quo paene inclinat animus, vt e Pausania reponere malim ΟΜΑΓΥΡΙΟΝ. Nam vt Sybaritae ceteraeque vrbes hoc nomine dedicarent Iouem, ad cuius delubrum conuentus agerent et commune ciuitatum concilium, Achaeorum imitatione institutum est. Miserunt enim legatos in Achaiam, qui mores legesque Achaeorum addiscerent, secundum quas similem suis in vrbibus rem publicam conderent. 7)

Laurentius Begerus in numo Aegiensi 8) vultum Neptuni, non, vt nos, Iouis, explicat. *Haud procul ab Helice*, inquit, *Neptunus Heliconius colebatur: huic Iones in Panioniis sacra fecerunt: ita verosimile fit, Achaeos, pulsis Ionibus, eiusdem religione numinis fuisse tactos. Fama tenet, Ionas ab Achaeis repetiisse simulacrum dei ac formam illius, Achaeos noluisse concedere, qua fine alia, quam quod illud numen ab se solis coli vellent? Patrae vrbs in Achaia et ea in vrbe Neptunus quoque cultus.* In eam sententiam praestantissimus vir iudicauit. Mouit autem eum res perexigua vt ita statueret, quod in auersa numorum quorundam Achaicorum tridens Neptuni visitur. Sed quid auersae illa nota ad caput laureatum? quid Neptuno cum laurea? Denique aliis in numis auersa habet fulmen Iouis et clavam Herculis, numquid et illa ad Neptunum iure meritoque referemus? Quod Begerus vrget amplius, ante Helicen euersam, Achaeos aeque, vt antea Ionas, concilium Aegii celebrasse atque adeo sua sacra Neptuno Heliconio fecisse, id nos nihil mouet. Nam cum Aegiensium in luco Ioui sacro conuenere Achaei, non potuere, quin Ioui illius praesidi luci facerent. Ea consuetudo tenebat in Graecia, vt quo in loco conuentus instituerentur populi, illic sacra instaurarentur illi deo deaeue, cuius numini is ipse locus sacer erat: Amphyctiones

6) p. 176. 7) Polybius l. c. 8) Thesauri Brand. T. I. f. 445.

Digitized by Google

nes Delphis faciebant Apollini, Panionium Epheſi Dianae. Praeterea Helicae et ad Neptuni Heliconii, conventum Panachaeorum indictum reperio fuiſſe nullum, immo ne Aegii quidem fuiſſe, niſi aliquanto tempore poſt Helicen euerſam. 9) Iones autem ab Achaeis victi, e fuga ſeſe receperunt Helicen: inde etiam e pacis foedere, Ionibus dimiſſis, Achaei ſine populi concilio fuere ſub regibus: vbi liberi corporis coeperunt eſſe, quod Strabo teſtatur, 10) in Aenario luco, is Aegienſi in agro erat, conuentum eſt. Neptuni autem Heliconii adeo nulla Achaeos religio mouit, vt repoſcentibus Ionibus illius ſimulacrum dei formamque templi, Helicenſibus auctores eſſent Achaei, vti redderent. Teſtis Strabo. 1) Helicenſibus nihilo magis ad reddendum permotis, inſecuta eſt et Helices et fani Heliconii clades a terrae motu et fluctibus maris. 2) Achaei hoc in religionem vertentes, Ionibus ſua ſibi ſacra habere iuſſerunt. Quamuis igitur poſt iſtam cladem ager omnis Helicenſis Aegienſibus eſſet attributus, 3) tamen ad fanum Neptuni Heliconii non Achaei, ſed Iones ſacra fecere, ad Strabonis vsque aetatem. Clades Heliconia, eiusdem teſtimonio Strabonis, duobus ante Leuctricam pugnam annis contigit. Pugnatum eſt, Olympiadis CII. anno tertio ineunte: terrae motu igitur concuſſa eſt Helice Olympiadis CI. anno quarto. Eum annum Pauſanias 4) diſertis verbis edidit, vt Euſebium non moremur, qui ad Olympiadem C. refert. Et Ariſtoteles vero in meteorologicis tradit 5) Achaicum illum terrae marisque motum eodem tempore, quo magnus cometa apparuit, hieme videlicet, Ἀριστείου ἄρχοντος. Locum corruptum Seldenus iam emendauit, vt eſſet Ἀγείου. In marmoreo chronico: ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΗΣΙΝ ΑΣΤΕΟΥ ΚΑΤΕΚΑΗ ΔΕ ΤΟΤΕ καὶ οὐρανὸς, vt

9) Pauſanias p. 538. 10) p. 441. 1) p. 439. 2) Strabo l. c. Pauſanias p. 523. 3) Pauſanias p. 589. 4) l. c. 5) l. I. c. 6.

Digitized by Google

vt suppleuit Seldenus, seu potius vt Palmerius: καὶ πυρινὴ δοκὶς ἐν οὐρανῷ. Asteus archon fuit Olymp. CI. 4. Ab eo tempore Aegium praecipua dignitate vrbs fuit, vt habet Pausanias eo in loco, 6) quem cum Begerus non accurate inspexisset, Helicae putauit conuentus Achaeorum ante hanc cladem fuisse solitos celebrari, quod Romuli Amasaei quidem sermo indicat, nequaquam vero ipse Pausanias: itaque mea isthaec est sententia, in aduersa numi nostri ceterorumque Achaicorum Iouem Homagyrium conspici, in auersa praeter monogramma Achaicum, eius symbolum dei exstare, cui deo vrbs quaelibet, in qua numus est cusus, peculiari religione deuota fuit. Aegienses autem praeter Iouem publice coluerunt Neptunum et Herculem, teste Pausania: aliae vrbes deos deasue alios. Ita aut tridentem Neptuni signarunt in auersa, aut fulmen Iouis, aut citharam Apollinis, aut caput Mineruae, aut clauam Herculis. Retineo me, ne, dum vt satisfaciam lectoribus, quaero, per omnes Achaicos numos vagando nimium ab instituto deflectam.

Quae ego vero dicam in auersa exstare litteras? Ludouicus Nonnius cum in numis Achaicis Golzii; Myrtilum, Callimachum, Pandiona, Thelamonem; videret, *nomina*, inquit, *forte sunt praetorum et damiurgorum*. 7) ΑΡΙΣΤΟΔΑΜΟC, vt ego lego in hoc numo, est nomen magistratus Aegiensis. Nomen in Peloponneso frequens. Aristodemum habemus ex Herculis posteris, a quo duae regiae domus apud Spartanos: Aristodemum alium Spartanorum regis necessarium, tutorem eius liberis datum: Aristodemum tyrannum Megalopoli, quo expulso, concilio Achaeorum adscripti sunt Megalopolitani: Aristodamum, qui cum Callicrate, Agesia et Philippo legatus, ab Achaeis in castra venit ad L. Aemilium Paullum, ob victoriam de Perse rege gratulatum. Et quorsum omnes Aristodemos hic annumerem?

6) p. 528. 7) p. 41.

Digitized by Google

merem? Quem autem magistratum gessisse Aristodemum? quo tempore signatum hunc numum esse existimem? Indicium aliquod temporis extrema littera facit, quae vt ab Ioanne Harduino et Bernardo Montefalcone annotatum est, sub Caesare Augusto in lunulam mutari coepit, cum antea, vt est in gripho Euripidis, *βόσρυχός τις*, et in aenigmate Agathonis tragoedi, arcui Scythico similis videretur. Cleomedes *ἐν κυκλικῇ θεωρίᾳ* 8) lunam cornutam *σιγμοειδέα τῷ σχήματι* dixit: at is Augustei scriptor seculi est. Ante Hadrianum Imperatorem figura ista *τῶν σίγμα* vetus in marmoribus et numis adhiberi prorsus desiit. Quoad autem Augustus rebus Romanis praefuit, Achaia in prouinciis censita est, in quas rectores a Senatu, non a Caesare sunt missi. Nerone Claudio Druso Caesare, C. Norbano Cos. A. Dionysiano 15. *Achaiam et Macedoniam onera deprecantes leuari in praesens proconsulari imperio tradiqua Caesari placuit*, vt auctor est Tacitus: 9) ex quo tempore prouinciae Moesiae, quae iam antea Caesaris Augusti et Tiberii Caesaris in potestate fuerat, adiecta. Cur graue Achaeis proconsulare imperium fuerit, multis disputat ad hunc locum Ioannes Fredericus Gronovius. Sed mihi numi Achaici omnes libera populi Achaici re publica cusi videntur. Aristodamus autem non fuit aliquis praetorum Achaicorum, sed Aegiensis magistratus. Ioannes Harduinus in numis vrbium hunc ipsum numum produxit iis verbis: ΑΙΓΙΕΩΝ *ex parte auersa nomen Archontis* ΑΡΙΣΤΟΔΑΜΟΣ. A. *hoc est*, Ἀρχων, *vel Praetor fuit. Apud illustrem Harlaeum et in museo nostro.* Quamquam Harduinus duos numos vidit, tamen vereor, ne A. isthuc tantummodo in monogrammate Achaiae sibi deprehendisse sit visus: nam quod *τὸ σίγμα* aliter, quam in nostro est, exprimit, hoc vero suspicionem mihi mouet, aliquid humani clarissimo antiquario accidisse. Si in eo non est erra-

8) p. 75. 9) Annal. l. I. c. 76. 80.

Digitized by Google

erratum, tamen archontem incommode praetorem exponit. Nam praetores vt dicerent Romani τοὺς στρατηγοὺς Graecorum, consuetudo perpetua obtinuit: apud Achaeos autem στρατηγὸν quotannis vnum, ἄρχοντας vero ciuitatium rectores fuisse complures, infra declarabo ex instituto. (T. II. F. 4. T. III. F. 1. 2. 3.) Eundem in modum Cimon et Methrodorus Manecadis filius in numis Golzianis Patreensium archontes fuerunt, Dymaeorum vero Myrtilus, Phliuntiorum Callimachus, in numis item Golzianis. Vt plane intelligatur, quos Dymaeis et Phliuntiis adscribam, cum nihil apparuerit doctissimis ante nos antiquariis, cur numos istos Achaicos his potissimum vrbibus adsignarent, digrediar equidem non inuitus ab Aegio atque in Achaia per ceteras vrbes vagabor.

Ita igitur sentio, numos Achaicos, eius vrbis, a qua signati fuere, nomen, aut litteris referre, aut quodam monogrammate. Apponam tum litteras, tum monogrammata mea cum interpretatione.

ϘOP Κορινθίων sine dubio. Est enim illa littera, vetus a Phoeniciis acceptum κόππα, diuersum a κάππα, vt vel ex Eustathio iam abunde notum.

Δ Δυμαίων.

Α Αργείων.

Μ Μεγαλοπολιτῶν, siue Μεσσηνίων. Vbi in mentem venit, quod Eustathius ad Iliadem scriptum reliquit: [10]) Lacedaemonios scutis signi in locum inscripsisse Λ litteram, λάμβδα, ἐκ τοῦ κατάρχοντος στοιχείου χαρακτηρίζοντας, ita vt Messenios τὸ Μ. Adfert autem eam in rem ex Eupoli, ἐξεπλάγην γὰρ, ἰδὼν σίλβον τὸ λάμβδα, hoc est, *scutum Laconici militis.*

Κ Κλεω-

10) f. 293. ed. Rom.

Digitized by Google

K Κλεωναίων.

Φ Φλιουντίων aut Φενεάτων.

N Ναυπλιέων.

Μυκηναίων, compositum monogramma tribus ex litteris, M et Y et Ο veteri.

FA Φαραίων seu Φηραίων, vrbs enim est in Achaia Φάραι. Sic, inquam, vt in numis FAΛΕΙΩΝ et FAΣΤΙΩΝ, de quibus Ezechiel Spanhemius.

I In numis Begerianis, quod nomen vrbis sit, non recordor. Puto virum doctissimum I legisse in numis, in quibus P fuit scriptum. Scitis enim, quam tenui capite isthuc P in numis scribatur, vt videri possit nullum exstare caput et plane ipsum I esse. Tum vero Ρίου numus fuerit, vrbis non ita celebris quidem, at in qua tamen Liuius concilium Achaicum aliquando conueniisse testatur.

Τορίου, oppidi in Argolide.

Iam primus ex Haymo numus, quem supra (T. II. F. 1.) produxi, a Corinthiis, Nauplienſibus et Megalopolitanis, alter (T. II. F. 2.) ex eodem Haymo a Pharaeis, Mycenaeis, Tyriis est cusus. Quartus Tab. III. e gaza Regis Prussiae a Dymaeis et Rhio oppido, quintus ab Argiuis, Nauplienſibus, Pharaeis, sextus a Dymaeis, Megalopolitanis aut Messeniis, Rhioque vrbe, primus Tab. IV. a Cleonaeis, Dymaeis, Megalopolitanis, secundus a Cleonaeis, Argiuis, Megalopolitanis, tertius a Nauplienſibus, Phliuntiis siue Pheneatis et Messeniis seu Megalopolitanis. Omnes

Digitized by Google

e numophylacio Pruſſico. Itaque videtis, cur Myrtilum Dymaeis, Phliuntiis Callimachum archontem dederim. Secundus in his numis Tab. IV. habet praeterea epocham Achaicam Z B adſcriptam. Annus Achaicus LXII. eſt, cum praeturam geſſit Eperatus. Haec epocha quae ſit, e faſtis Achaicis intelligetur.

NVMI DECEM
ERYTHRAEORVM
IN IONIA ILLVSTRATI.

Quamquam Erythrae aliae ſiue in Locride, vt Stephano Byzantio, ſiue in Aetoliae Ἐπικτήτου finibus, vt Liuio viſum eſt, aliae in Cypro, (Paphon puta ipſam, veteſtiori nomine Erythras) aliae in Lybia Cyrenaica ſitae fuere, tamen duae tantum vrbes exſtant et celebrantur, quibus eruditi inſcriptos Erythraeorum nomine numos acceptos ferunt. Plerosque Ionico oppido attribuunt, vnum Boeotis vindicauit Ioannes Harduinus, quem honoris cauſſa nomino. Ita enim ille in numis populorum vrbiumque illuſtratis fatus eſt: „Erythrae in Boeotia. Numus ex argento „perpulcher, formae mediocris, apud Marchionem de „Montauban, parte antica vultum exhibens Alexandri, „tecto capite, pelle leonina, in altera pagina:

„ΕΡΥ

„*cum auicula, claua Herculis,*

„ΔΙΟΠΕΙΘΗΣ

„*pharetra cum theca.*

„Erythras in Boeotia Plinius commemorat. *Fuere* „*Boeotiae Thebae*, inquit ille ibidem, *duorum numi-*

„*num,*

Digitized by Google

„*num*, *Liberi atque Herculis*, *vt volunt*, *patria*. „Claua Herculis, pharetra ſymbolum Liberi eſt. Thebis „ab Alexandro expugnatis, vt Plinius refert, videtur „moneta ab eadem fuiſſe translata Erythras. Ery„threnſis magiſtratus eſt ΔΙΟΠΕΙΘΗΣ. Auiculam „perdicem eſſe, ex Plinio intelligimus, quo teſte, per„dices non transuolant Boeotiae fines in Atticam.“

Nobis omnia aliter ſunt viſa in nouem Erythraeorum numis, (T. IV. F. 4. vsque 11. T. V. F. 1.) quos Ioannes Chriſtianus Buxbaumius, nonmodo a botanices ſcientia et excellenti laude, ſed etiam ob veterum ſtudium numorum mutuamque amicitiam mihi iucundiſſimus, ex peregrinatione Thracica et Aſiatica ſecum tulit. Coemerat Conſtantinopoli a Iudaeo quodam numos Erythraeorum argenteos, numero ad vigiſti tres, pretio non maiori, quam quo argentum non ſignatum venit. Ex his ſelegit nouem numos magiſtratuum nominibus diſcrepantes, ceteros diuiſit inter amicos. Summo veteris Graeciae ingenio et artificio elaboratos nulla aetatis iniuria foedauit, vt praeſertim in tertio, quarto, quinto, ſexto et nono numo (T. IV. F. 5. 6. 7. 8. et 11.) perſpicuis lineamentis auis quae ſit, ſine ſuſpicandi moleſtia adpareat: nam in ceteris paullo altiones habet pedes et erectiorem cernicem et breuius caput, quam vt fallere haec ſpecies non poſſit eos, qui vnum tantum viderint numum, non inter ſe contenderint omnes nouem. Noctua igitur eſt, non alia auis, nedum perdix, vt ipſum fundamentum, ſuper quo Harduinus inaedificauit, ſubrutum et euerſum eſſe ſcias. Nihil enim aliud induxit ingenioſiſſimum virum, vt crederet numum ſuum Boeoticae fuiſſe officinae, quam quod eum numum, in quo perdix eſſet, ita demum e Plinio ſibi viſus eſt illuſtrare poſſe. Appoſui decimum numum (T. V. F. 2) e Carolo Patino, [1]) qui immane quantum a vero deflexit. Nam ex auicula in numo obtrito

1) In numis Imperatorum f. 9.

Digitized by Google

non perſpicue obſeruata, aliquid ſeu clauo, ſeu pedo, ſeu palmae, ſeu neſcio cui ſimile rei fecit. Ceterum Patinus quoque numum ſuum ad Alexandrum M. refert, illud autem EPT negotium inexplicabile putauit.

Iam, quae mea opinio eſt, numi omnes decem Erythris in Ionia ſignati, nocturna idcirco gerunt, quod Mineruae ſumma religio eius ciues vrbis teneret: quae vt eorum animos inuaſerit atque a quibus populis ſit ducta, haud abſurde ab ipſa ſtirpe repetemus. Agrum illum vniuerſum primi Cares tenuere, ſiue illi ex inſulis profecti, quae apud Cretenſes fama obtinuit, ſiue aborigines fuerint Lydorum Myſorumque cognati. 2) Cum inter Europae filios contentione orta, Minos per factionem ſuperior Sarpedonem fratrem et partium ſocios expuliſſet, hi quoque iſthaec littora petiere, Lyciique ſunt dicti. 3) Confecto bello Troiano, Calchas Pamphylios in eundem agrum deduxit. At Erythrus Rhadamanthi (is quoque Minois frater fuit) filius, tempore non multo poſt e Creta profectus, inter Caras, Lycios, Pamphylios partem neceſſitudine, partem ſocietate Cretenſibus deuinctos conſedit, vrbique ab ſe nomen impoſuit Erythris. Cleopus aut potius Cnopus Codri filius, collecta ex Ionicis vrbibus manu, inter veteres Erythraeos ſedem cepit. Ita videlicet Erythraeorum teſtimonio Pauſanias. 4)

Erythrus vrbem a ſe inſtitutam ſub Mineruae tutela eſſe voluit, eaque cauſſa ΑΘΗΝΑΣ ΠΟΛΙΑΔΟΣ delubrum et ſimulacrum deae, eximia magnitudine, ſedentis in ſolio et in vtraque manu colum, capite caeli orbem geſtantis, dedicauit. Non hoc quisquam de Erythro planiſſime ita prodit, ſed probabili quadam inueſtigatione verum tenemus. Nam illud ſimulacrum Mineruae, Erythris ſumma religione cultum, Pauſania iudice, 5) Endoei opus fuit: Endoeus autem Athe-

2) Herodotus l. I. c. 171. ſeq. 3) ib. c. 173. 4) f. 528. 529. 5) f. 534.

Digitized by Google

Athenienſis Daedalum magiſtrum ob caedem Cali exulem ſecutus eſt in Cretam. 6) In hoc temporis quaſi veſtigio quod veroſimillimum eſt deprehenditur. Nam Endoeus aequalis eſt Troianis temporibus, vt Daedalus Minoi et Herculi. Itaque haud difficulter conſequitur, Endoei hoc opus a Cretenſibus in Aſiam fuiſſe deportatum et ab Erythro dedicatum in noua vrbe. Sic ab ipſis Erythraeorum exordiis Minerua *arcis praeſes* fuit, vt Liuiano verbo vtar, qui πολιάδα καὶ πολιοῦχον Minervam ſic interpretatur. 7) Cum autem Minerua omnibus in vrbibus coleretur, non tamen Polias aut Poliuchos fuit, niſi ſi qua in vrbe aut arce tutelare numen erat, praecipua et ante deos deasue alios religione et deuotione ciuium conſecratum. Ita πολιάοχος Παλλὰς apud Camarinos, quam Pindarus canit, 8) ciues eleganti in numo ſignarunt; 9) ita Minerua Polias Corinthi, quae vbi de tutela vrbis cum Neptuno certauerat, ex Iouis iudicio hunc honorem cum eo diuiſit, vt ipſa Polias, Neptunus Rex diceretur: quare, inquit Pauſanias, 10) vetuſtus eius populi numus ἐπίσημα habet tridentem et Mineruae caput. Apud Tegeatas Poliadi ſacra faciebant ἐν Ἐρύματος ἱερῷ, *in aede caſtelli ſeu arcis*, quod Minerua inexpugnabilem feciſſet vrbem, cum de Meduſae crinibus anguineos cincinnos Cepheo Alei filio cuſtodiendos dedit, 1) quare etiam in Tegeatarum numis Minervae caput caelatum eſt. Eiusdem Mineruae delubrum apud Chios, Erythraeis proxima cognatione deuinctos, conſtructum fuit. 2) Quid dicam de Poliade Athenienſium? de qua non ignobile exſtat ſcolium in compotationibus cani ſolitum Athenis: 3) Παλλὰς τριτογένεια, ἄνασσα Ἀθηνᾶ, ὄρθρου, τήνδε πόλιν τε καὶ πολίτας ἄτερ

6) Pauſanias f. 62. 7) l. XXXI. 30. et alibi, adi Phornutum de natura deorum p. 187. ed. Gal. 8) Olymp. E. v. 23. 9) Apud L. Begerum Theſ. Brandeburg. T. I. f. 378. 10) f. 182. 1) Pauſan. f. 696. 2 Herodotus l. I. c. 160. 3) Apud Athenaeum f. 694.

Digitized by Google

ἄλγεών τε καὶ νούσων καὶ θανάτων ἀώρων. *Pallas Tritogenia, Minerua regina, rege et ciuitatem hanc et ciues, sine calamitatibus, sine seditionibus, sine intempestiuis funeribus.* His enim muneribus tutela Mineruae continebatur. Mirumne adeo, vrbis et arcis praesidem tutelamque noctuae signo in numis Erythraeorum dedicari?

Id enim commune erat Mineruae ἐπίσημον, cuiusmodicumque habitus cultusque deae esset. Discrepabant enim in his palladia vrbium. Apud Erythraeos simulacrum ligneum Mineruae μεγέθει μέγα, καθήμενόν τε ἐπὶ θρόνου, καὶ ἠλακάτην ἐν ἑκατέρᾳ τῶν χειρῶν ἔχον, καὶ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς πόλον, *in vtraque manu* ἠλακάτην, *capite caeli orbem gestabat.* Vtrumque ob artes, quarum Minerua praeses erat: eius enim erat et contemplandi caeli et tractandae lanae scientia. Ηλακάτην dicit Pausanias, qui vtique colus est, vt scholia minora Homeri explicant: 4) τὸ γυναικεῖον ἐργαλεῖον, ἐξ οὗ τὸ νῆμα ἕλκουσιν· ὡς ἐκεῖ ὁ ποιητής.

Ηλακάτη τετάνυσο ἰονεφὲς εἶρος ἔχουσα. 5)

Ηλακάτη *est instrumentum, quo mulieres opus habent: ex eo enim stamen trahunt, vt apud Homerum*, (cum Helenae colum describens ait: super aurea corbe, in qua stamen repositum,) *reclinata erat colus reuinctaque lana purpurea.* Etymologus magnus e contrario ἔργανον, περὶ ὃ εἰλοῦσιν αἱ γυναῖκες τὸ νῆμα, *instrumentum, circa quod mulieres arcte stamina circumagendo volvunt.* Fusum dicit et veriuerbium respicit, cum ἠλακάτη est ἠλακτή τις, παρὰ τὸ ἠλάσσω. In veteri epigrammate Ἐργάτιν εὐκλώστου νήματος ἠλακάτην. Formam eius expressam habet Plato decimo de republica: 6) ait enim ἀτράκτου seu fusi Parcarum tres esse partes, ἠλακάτην seu scapum, ἄγκιστρον seu vncum, per quem stamen transit, et σφόνδυλον seu verticulum cauum, ὥστε ἠλα-

4) Ad Il Π. v. 183. 5) Odyss. Δ. 135. 6) f. 471. 472. ed. H. Petri.

Digitized by Google

ἠλακάτην διαμπερὲς διὰ μέσου ἐληλάσθαι, *ita vt scapus per medium verticulum agitetur*, quo simul ἔτυμον vocis explicatur. Hac quasi pictura inducor, vt in semisse apud Fontanam Equitem, 7) fusi a Platone descripti iconem (Fig. in tit.) mihi videre videar, et idcirco muliebre caput, Mineruae esse putem. Fuerunt enim priscae matres Romanae vel maxime domisedae et lanificii studiosae, vt non puderet Quirites, dea et colo fusoque signare semisses. Cum autem Minerua Erythraea vtraque manu gestare ἠλακάτην dicitur, non vtique solam colum intelligi velim, sed etiam fusum, quoniam ἠλακάτη vtrumque significat, ita, vt Catulliano versu habitum deae possis describere: 8)

Laeua colum molli lana retinebat amictum:
Dextera tum leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum;
Atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis,
Quae prius in leni fuerant exstantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodiebant calathisci.

Ea vetustissima ratio tractandae lanae fuit: altera commodior, quam in monumento Apolloniae inter marmora Oxoniensia cernimus, 9) vbi ancillarum vna colum, altera fusum tenet et dominae ministrat, quamquam paullo rudior pictura est, vt vix satis, quae sit, cognosci queat. Hoc autem habitu Minerua est efformata ab Endoeo, quod matres Cretenses eo genere operis studiose occuparentur. Mansit ea industria in colonia Erythraea et Ionicis quoque mulieribus. Quocirca Theocritus Theugenidi vxori Niciae Milesii Ηλακάτην dono dedit in idyllio, cuius hoc est principium;

7) Apud Montefalconem Antiquitatum explicatatum T. III. parte I. Tab. 89. 5. 8) Epigr. LXV. 311.
9) f. 82.

Γλαυκᾶς ὦ φιλέριθ' ἀλακάτα δῶρον Αθανάας
Γυναιξὶ νόος οἰκωφελέεσσι σὸς ἐπήβολος.

O colus amica lanae, munus glaucae Mineruae,
Matronis cura, quae domum suam locupletant.

In eum modum Erythrae a Cretensibus conditae, Mineruam arcis praesidem accepere. His ego potius fidem adhibuerim, Erythraeis ipsis veterem memoriam ita recolentibus, quam Straboni, 10) qui Erythras Ionicas coloniam Boeoticarum, nullo certo auctore prodidit. In Boeotia Homeri 1) veteres critici vrbem Boeoticam βαρυτόνως Ερύθρας, Ionicam autem vrbem ὀξυτόνως Ερυθρὰς pronunciari annotarunt. At Homerus, vt nunc in exemplaribus est, κατὰ τὴν λήγουσαν Boeoticas enunciat. Tum quoque in eo disputant critici, acceperintne Erythrae Boeoticae nomen ab Erythro filio Neptuni et Amphimeduses Danai, an ab Erythra filia Porphyrionis, qui erat Seriphi. Sunt haec commenta veterum grammaticorum, quibus primordia vrbium populorumque fabulis inserere, eximia voluptas et summa gloria fuit. Nulli autem Boeotici aut Dorici generis Erythraeo in agro consedere, sed postremi secundum Cretenses aduenere Iones. Quis eos Erythras deduxerit, ob dissensionem scriptorum ambigitur. Velleius Paterculus 2) principem et auctorem harum coloniarum edidit Ionem, estque illius caussa rei ab eruditis reprehensus et a Iusto Lipsio propemodum laceratus, donec Thomas Lydiatus iam vndique circumuento auxilia submisit ostenditque seu ex vero, seu probabili coniectura, Ionem illum non vtique Xuthi sed Codri fuisse filium, Nelei fratrem. Hellanicus in Atticis 3) deductam Erythras coloniam refert a Neleo Codri filio, a quo ceteras quoque Ionicas colonias constitutas fuisse multo-

10) f. 466. ed. H. Petri. 1) Ill. B. v. 499. 2) l. I. c. 4. 3) Apud Harpocrationem p. 173.

Digitized by Google

multorum opinio est, quos omnes hoc loco testes producere putidum nobis videtur, cum in illius memoria aetatis nihil celebratius Heraclidarum aut Ionum profectione sit. Iones autem ab Heraclidis ἐν καθόδῳ ex Aegialea et Isthmo eiecti, cum in Attico agro, (sterili praesertim et inope) exsuperante multitudine, nouas terras quaerere cogerentur, ducem reperere Neleum Codri filium, qui regno Athenienſi per vim occupato exciderat. Nam cum Medon Nelei frater regno illo precario potitus esset ex Pythii sententia, Neleus Ionas factionis suae, sibi aggregauit Asiamque cum classe petiit. Hanc Ionum ἀποικίαν veterum quidam centum et quadraginta annorum interuallo a Troia capta definiunt, a quo tempore chronicon marmoreum non admodum abhorret, cum centum et triginta duobus annis ab excidio vrbis ΕΦΕΣΟΝ ΕΡΥΘΡΑΣ ΚΛΑΖΟΜΕΝΑΣ conditas prodit. At non vnius ducis, nec anni vnius id opus fuit. Praeter Neleum ceteri quoque Codri filii profecti sunt diuersis annis. In quibus Pherecydes auctor est, 4) Androclum frequentasse Ephesum, Cydrelum nothum Myuntem, Nauclum Teum, et Caenopum, Codri item nothum, Erythras. Huc traho Stephani testimonium: Ἐρυθραί, πόλις Ἰώνων, ἐκαλεῖτο δὲ Κνωποῦπολις ἀπὸ Κνώπου, *Erythra, vrbs Ionica: vocata est autem Cnopopolis a Cnopo.* Stephanus auctorem habet Hecataeum Milesium, cui vt antiquo scriptori et rerum admodum gnaro fidem non negauerim. Quam ob rem Caenopum aut Cnopum conditorem coloniae Ionicae apud Erythras fuisse censeo et Cleopum Pausaniae ex eo nomine esse deprauatum. Polyaenus in stratagematis 5) narrat, Cnopum cum Erythras appugnaret, ex oraculi sententia ad se accersiuisse e Thessalia sacerdotem Hecates Chrysamen. Hanc herbis et carminibus taurum

4) Apud Strabonem 730. 731. Is est Pherecydes Cyrus, qui Cyri temporibus, primus historiam Graecam tractavit. 5) l. VIII. c. 42.

Digitized by Google

excantasse atque cornibus inauratis, corpore sertis et purpura exornato, in conspectu hostium ad aram inter duo castra mediam duxisse. Cum autem taurus oestro ab incantamentis percitus se ab ara propripuisset ad hostes, ab iis omine, vt rebantur, fausto laetis, diis esse immolatum: at cum eius tauri carne in sacris vescerentur Erythraei, omnes in vesaniam versos furientium more saltasse atque ita a Cnopo esse caesos. Sic, inquit, Cnopus ἐκράτησε τῆς Ἐρυθραίων πόλεως, μεγάλης τε καὶ εὐδαίμονος.

Non est operae pretium, vt, quanta religio Mineruae aut Athenis aut in Ionibus obtinuerit, vel verbo dicam: quis enim ab antiquitatis studio, vel vitae quodam instituto vel iudicio et ratione sic abhorret, vt hoc nesciat? Noua Erythraeorum sacra nobis in memoriam reuocat claua nodosa et corytus Herculis. Nam quid nobis cum Libero patre? postquam ea opinio labefactata est, quae haec Harduini de Libero coniectura fulciebatur. Quis nescit Herculis virtutem non minus sagittis insignem, quam claua? Stymphalides aues et cerua Dianae et Nessus et genu Chironis, ipse denique Nemaeus leo testimonio sunt, Herculem non degenerem Euryti 6) discipulum in sagittandi arte fuisse. Corytus in omnibus his numis eximia pulcritudine conspicitur, vt quatuor constringitur angulis, vt bullis seu aereis seu argenteis circum extrema ornatur, vt pars superior clathrata est ad minuendum pondus, vt media est loris deuincta, quae retro reiecta pendent, quo leuari corytus possit et indui humeris, vt arcus denique insertus est, prominente extremo cornu et neruo, ita vt maiori forma descripsimus, (T. V. F. 3.) quoniam ea adhuc desiderata est. Fere eadem forma est corytorum quibus Sinenses et Tattari vtuntur e corio, quales sunt quaedam in Imperatorio museo. Glossae veteres: γωρυτὸς θήκη δερματίνη βελῶν.

6) Heraclisus Theocriti v. 105.

Digitized by Google

βελῶν. Bene habet, quod corytus e corio confici dicitur, leuitatis cauſſa, Virgilius: 7)

quais tela, ſagittae,
Corytique leues humeris, et lethifer arcus.

Ob eandem cauſſam Herculis pharetram Theocritus πολύεϱκτον 8) dixit. At corytum *ſagittarum thecam*, ſeu *pharetram* vetuſtiſſimi non dixerunt. Pharetra eſt ὀϊϛοδόκη, ὀϊϛοθήκη, *venenatis grauida ſagittis*, vt ait Flaccus: ſed γωϱυτὸς eſt θήκη τοῦ τόξου, *arcus tegumentum*, vt Critici minores in Odyſſeam, 9) τοξοθήκη, vt Heſychius. Ioannes Pediaſimus in ſcholiis Heſiodeis, 10) ſollicite diſtinguit corytum et pharetram. Pharetram dicit *telorum thecam eſſe, in quam coniiciuntur ſagittae*, παϱὰ τὸ φέϱειν τὰ τϱῶσαι δυνάμενα, *quaſi quae ferat ea, quae vulnerare poſſunt:* et corytum eſſe, *in quo reponitur arcus*, ἀπὸ τοῦ γῶ τὸ χωϱῶ καὶ τοῦ ἐυτὸν τὸ ἠλκυϛὸν, τὸ χωϱοῦν δηλαδὴ τὸ ἑλκυϛὸν, ἤγουν τὸ τόξον, ἀ γῶ et ἐυτὸν, *quorum alterum recipere ſignificat, alterum autem arcum, qui neruis attrahitur.* Sic etiam Iſidorus Hiſpalenſis. E contrario Etymologus magnus, ita vt veteres Gloſſae. P. Papinii ſcholiaſta: *corytus dicitur ſagittarum theca; pharetra.* Et quidem hoc ad mentem Papinii, cum ſic ait: *caeleſtibus implet corytum telis.* Sin Homerum, vt aequum eſt, audimus, corytus vtique diuerſus fuit a pharetra. Nam in Odyſſea pharetram inter penetralia domus Vlyſſeae repoſitam ſic deſcribit: 11)

Φαϱέτϱη
Ἰοδόκος, πολλοὶ δ' ἔνεσαν ϛονόεντες ὀϊϛοί.

Pharetra tela quae continet, multae autem in ea erant ſtridulis ſagittae pennis. At Penelopen inducit, vt conſcendit ſcabellum et de clauo ſuſpenſum arcum detrahit:

Εὐθὺ

7) Aen. X. v. 169.
8) In Hercule Leont. v. 265.
9) Odyſſ. Φ. 113.
10) Ad Scutum Herculis v. 128.
11) Odyſſ. Θ. 53.

Digitized by Google

Ενθεν ὀρεξαμένη ἀπὸ πασσάλου ἄντυτο τόξον
Αὐτῷ γωρυτῷ, ὃς οἱ παρέκειτο φαεινός.

Arcum de clauo porrexit, simul cum coryto splendido, qui erat circumiectus. Ouidius quoque in Tristibus, 2) coryton et arcum iunxit, cum ait de Sarmatis:

In quibus est nemo, qui non coryton et arcum
Telaque vipereo lurida felle gerat.

Secutus tamen est Papinius auctoritatem Maronis, qui *corytos leues* dixit, cum et pharetram et thecam arcus in animo haberet. Ille vero σκοτεινὸς Lycophron, 3) insolitarum et ambiguarum vocum auceps, γωρυτὸν Σκύθην, incertum, an corytum cum arcu dicat, quem Hercules a Teutaro Scytha, vt ait, acceptum dono dedit Aiaci, an pharetram. Itaque satis lucide adparet, apud vetustiores heroas corytum et pharetram discrepantium nomina rerum fuisse. Habuerunt corytos, in quibus domi arcus conderent. Illorum superiori patentique parti tegumenta imposita fuisse, ne puluis penetraret neruosque corrumperet, verosimile fit etiam ex his numis, in quibus superior pars ad recipiendum tegumentum accommodata est. Quod autem Harduinus talem thecam coryti in numo se videre censet, hoc seu numi vitio, seu errore oculorum accidit, vt thecam crederet id, quod extremum cornu arcus est. Gestarunt quoque humeris corytos, quod ex loris, quibus hi nostri constringuntur et ex tota forma intelligitur. Quocirca in hoc insigni argenteo numo Augusti, (T. V. F. 4.) quem 4) Paulus Petrusius e Parmensi gaza produxit, corytus cum arcu, atque pharetra cum sagittis coniuncta sunt in vno quasi corpore, quo commodius gestentur. Posteaquam breuioribus arcubus vti coeperunt, (nam veteres heroes grandioribus et rigidioribus delectati sunt,) arcum inter sagittas posuere, ita vt pharetra

2) l. V. c. 8. 3) v. 458. 4) Tom. II. tab. X. 9.

Digitized by Google

tra etiam coryti munus nomenque subiret. Id adparet ex numo serrato, qui in gazophylacio Imperatorio adseruatur, a L. Begero quidem e cimeliis Regis Prussiae iam antea editus, 5) sed ob quandam diuersitatem a nobis quoque producendus. (Tab. V. F. 5.) C. Poblicius Q. F. Herculem exhibet, qui in eum fere modum, vt Theocritus cecinit, leonem Nemaeum conficit. Est enim corytus cum arcu et duabus sagittis, quoniam Hercules principio sagittis petiit leonem: est clava, qua irruentem bestiam feriit: iam seminecem belluam constringit et suffocat, more tamen alio, quam Theocritus praescripsit. In plerisque numis, ne quid dissimulem, arcus sine corytis cernimus, siue in manu, siue humeris suspensos iuxta pharetras. Praesertim in Dianae signis, quae in Postumiorum, Ti. Claudii Ahenobarbi, Massilienſis vrbis aliisque numis spectantur. Ad postremum non omnes coryti et pharetrae forma differebant. Nam quales hic in nostris numis coryti sunt, talis est pharetra in numo Antonini Commodi inscripto: HERCVLI ROMANO AVG. 6) quales deinde pleraeque aliae sunt pharetrae, talis est corytus in numo Coensium, 7) in quo Herculem Iouis filium consecrant.

Quam antiquae caeremoniae religionesque in Herculem apud Erythraeos tenuerint, Pausanias declarauit. 8) Erat simulacrum dei non Aeginaeo aut Attico aut Aegyptio Herculi simile, sed in ratibus stabat. Traditum vero est, hoc simulacrum Herculis ab Tyro delatum in Ionicum pelagus primum ad Heran Mesaeu adpulisse. Ea ab Erythraeorum portu soluentibus in Chium, propemodum medio in cursu fuit. Cum rates a promontorio proxime abessent, Erythraei et Chii diuersis studiis ad suum quisque littus trahebant. Interea Phormio quidam Erythraeus ex morbo oculis captus (is Phor-

5) T. II. f. 573. 6) Apud Begerum T. II. f. 679.
7) Ib. T. III. 45. et apud Montefalconem in Antiquit. T. I. parte II. tab. 136. 8) f. 533.

Digitized by Google

Phormio antea e piscatu victum quaesiuerat) admonitus in somnio Erythraeos adiit, iussitque vt matres comam tonderent atque vt ex ea coma viri contexto fune ratem traherent. Id vero ingenuis mulieribus non est persuasum. Igitur Threissae, quae liberis natae parentibus, mercenariam vitam in vrbe agebant, tondendas se praebuerunt. Ex quo, cum Hercules, leniter sequente rate, Erythras esset vectus, solas e Thracia mulieres intrare herois delubrum fas fuit. Funiculum istum Pausanias ipse se vidisse praedicat. Interseritur huic loco etiam ea fabula, quod piscator hoc facto visum recuperauerit. Haec enim illorum temporum insania et horribilis caecitas fuit. Memoriam huius religionis Ioannes Harduinus iudicat consecratam fuisse in eo numo, quem Iacobus Sponius in itinere Attico consignauit. Est enim in aduersa turritum vrbis caput, inscriptumque EPTΘPAI, in altera autem parte prora nauis. A qua opinione non abhorrerem, nisi rates et prora nauis ad artis praecepta factae, nimium inter se discreparent. Malim igitur ad portus et nauigationes Erythraeorum in illo numo explicando respicere. Damastes Sigeensis, Herodoti aequalis, in periplo 9) auctor est: *biremem Erythraeos primos fecisse.* Fortassis ille hoc, vt alia, ex Hecataeo Milesio. Colebant Erythris quoque Herculem cognomento Ipoctonum, φθαρτικὸν τῶν ἀμπελοφάγων ἰπῶν, *quoniam vermes, qui vites arrodunt, sustulit.* Soli enim Erythraei ab hac peste non vexabantur. Testis est Strabo. 10) Hae sunt causae, quae Erythraeos induxerunt, vt Herculis corytum et clauam in elegantissimis numis argentoque suo signarent. Suo inquam argento: erant enim fodinae argenti in agro Erythraeo, in quibus quae ratio fundendi metallum fuerit, Strabo ostendit. 11) Exstat praeterea apud Tristanum numus Erythraeus Elagabali cum templo et simulacro Herculis, cum Otaciliae et Valeriani quoque numi cum vultu Herculis visuntur. A naue

9) Apud Plinium l. VII. c. 56. 10) f. 709. 11) f. 155.

Digitized by Google

A naue ad caput peruenimus: veteres enim Romani, quam nos in numo aduersam, caput dixerunt, nauem autem, quam nos auersam nunc appellamus, vt ex Macrobio et auctore de origine gentis Romanae constat. Harduinus in numo suo caput Alexandri se videre putat: sed mea opinione Herculis est. Alexandrum ob genus Macedonum regum, ductum ab Hercule, ἀντὶ ταινίας καὶ ϛέμματος καὶ πορφύρας βασιλικῆς τῷ δέρματι τῆς κεφαλῆς τοῦ λέοντος se deuinxisse, eumque cultum super gemmis et vnionibus aestimasse, Constantinus Porphyrogenneta [2]) animaduertit, καὶ μάρτυς, inquit, ἀξιόπιϛος αὐτὸ τὸ νόμισμα τοῦ Μακεδόνος Αλεξάνδρου ταιαύτη εἰκόνι καλλωπιζόμενον. Si is hoc non diceret, tamen tot numi qui exstant, per se testarentur. At non idcirco omnes numi, qui capita hunc in modum signata praeferunt, illico Alexandrum potius monstrant nobis, quam Herculem. Vt ille numus Luceriae vrbis apud Laurentium Begerum [3]) et ex eo apud Bernardum Montefalconem, qui clauam habet et arcum et pharetram et caput iisdem fere lineamentis, vt Alexandri regis. Quid Luceriae cum Alexandro magis, quam cum Hercule? siue illa vrbs in Apulia, siue in Gallia Cisalpina sita fuit, quae hunc numum ferendum curauit. Nempe signantur Herculis et Alexandri capita multis in numis, *vt hominem homini similiorem numquam videris alterum:* prorsus vt Syracusani illi Menaechmi. Id quomodo euenerit, non possum certo affeuerare. Possum suspicari, numos eos ad vnum omnes cusos esse post Alexandrum, Herculem autem ad Alexandri vultum fuisse effictum imitatione artificiosissimorum Alexandri numorum, ob admirationem illius herois. Sic eum Lysippus aere duxerat, nam, vt ait Flaccus,

Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia.

Illum

2) De thematibus f. 22. ed. Banduri. 3) T. I. f. 317.

Illum vero artificem in caelum tulerunt, illum exprimere, si qua poterat, secunda gloria fuit. Sic Herculem cum signarunt, Alexandri vultum habitumque corporis et leoninam pellem ex numis eius surripuere. , Nullum igitur Alexandrum eo cultu in numis agnouerim, nisi in Macedonicis, aut vbi nomen eius diserte appositum reperiam. Non inficias eo, exstitisse Ionum studia in Alexandrum ea, vt in luco, qui supra Clazomenios et Chalcidenses (hi proximi fuere Erythraeis) situs erat, Alexandrea agerent Paniones. Testis est Strabo. 4) Et exstitere speciatim in Erythraeos Alexandri beneficia: is enim 5) Chyrrophoria insulas (postea eaedem Hippi dictae) per duo stadia continenti iunxit et planitiem septem millium et quingentorum stadiorum intercidi iussit, vt duos sinus committeret et Erythras Mimante circumfunderet. Sed si Alexandrum Erythraei honoris caussa in aere fingere maluere, quam Herculem suum., cur nomen eius in tot numis non ediderunt? Praeterea numi omnes decem Alexandro superstite signari non potuerunt: eo autem defuncto recentia erant ciuitatum aut in Antigonum et Demetrium, aut in Seleucum aliosque principes studia et adulationes. Tamen quis mihi ex omni antiquitate proferre potest numum ciuitatum Ionicarum illorum cum vultu regum? Satius est igitur Herculem agnoscere in numis Erythraeis, cultu quidem suo, sed habitu oris ad Alexandri similitudinem. Id seu tantum artificum studio imitandi Lysippi, seu praeterea vrbis in Alexandrum quodam honore factum sit, non interpretor.

Nomina, quae in nauibus numorum Erythraeorum cusa fuerunt, haec sunt:

I. (T. IV. F. 4.) ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ ΔΗΜΑΛΟΥ *Asclepiades Demadis filius.*

II. (- - F. 5.) ΑΠΕΛΛΑΣ *Appellas.*

III. (- - F. 6.) ΑΡΙΣΤΕΑΣ *Aristeas.*

IV. (T. IV.

4) p. 740. 5) Plinius l. V. c. 29. Pausanias p. 529.

Digitized by Google

IV. (Tab. IV. F. 7.) ΔΙΟΠΕΙΘΗΣ *Diopithes.*
V. (- - - F. 8.) ΠΕΛΟΠΙΔΗΣ *Pelopides.*
VI. (- - - F. 9.) ΔΙΟΝΤΣΟΣ *Dionyſus.*
VII. (- - - F. 10.) ΜΟΛΙΩΝ *Molion.*
VIII. (- - - F. 11.) ΧΑΡΜΗΣ *Charmes.*
IX. (Tab. V. F. 1.) ΑΝΟΘΕΜΙΣ *Anothemis.*
X. (- - - F. 2.) ΣΩΠΕΙΡΟΣ *Sopyrus.*

Hunc Sopyrum e Patino me adieciſſe, ſupra commemoraui. Quem illi magiſtratum Erythris geſſere, vt eorum nominibus numi inſignirentur? Dicam, ſicuti ſentio, vbi res Erythraeas inde a principio percenſuero. Antiquiſſimis temporibus Erythraei in duodecim Ioniae populis cenſebantur et ad Panionium conueniebant. 6) Sed cum Samiis Chiisque proximiori neceſſitudine ab ſtirpe vsque deuincti, eadem cum iis dialecto vtebantur. Attamen ſiue per inuidiam ſimulacri Herculis, ſiue alia cauſſa, vt inter vicinos, bellum geſſere cum Chiis. Aliquando Λευκωνίας πέρι, (quae qualis ſit ſiue vrbs ſiue regio, haud ſane video) tam infeſtis animis certarunt, vt Chii ſe exceſſuros ſingulos cum chlaena et tunica ſponderent. Monentibus tamen coniugibus, animum recepere ad audaciam et Erythraeos ipſo illo obſtinato furore perterruerunt. Auctor eſt Polyaenus. 7) Et erant mutua eorum odia inſatiabilia, vt Erythraei etiam hoſpitali iure, quo inter Graecos nullum maius, ſpreto, inter menſas enecturi fuerint Chios, niſi aliquis eos de diſcrimine admoniſſet, vt Anticlides proditum reliquit. 8) Res quoque cum Mileſiis geſſere aduerſus Naxios, vt Andriſcus in rebus Naxicis et Theophraſtus auctores ſunt. 9) Libertate ſunt exuti a Croeſo Lydorum rege, vt tributum ex eo tempore penderent. Cum Cyrus aduerſus Lydos duceret, per

6) Herodotus l. I. c. 142. 143. 7) l. VIII. p. 647. ed. Caſaub. 8) Apud Athenaeum f. 384. 9) Apud Parthenium Nicaeenſem in Eroticis c. 9.

Digitized by Google

per legatos ad defectionem sollicitati, conditionem cum ceteris Ionibus, praeter Milesios, respuerunt: igitur Lydis victis et legatis, quos miserant ad regem, ab eo reiectis, arma ceperunt et deserti a Spartanis, quorum auxilium implorauerant, in deditionem venerunt, deterioribus conditionibus, quam Lydi. Harpalus, qui Medos Cyro prodiderat, dux eo bello aduersus Ionas fuit. 10) Victi captique auxilia Persis tulere contra Caras, Cauconas aliosque populos. Pertaesi autem seruitutis, Histiaeo Milesio auctore, Aristagora duce, eiectis tyrannis popularem statum vrbis restituerunt. Sex annos bellum est gestum a Darii Hystaspis praefectis, donec victis Ionibus Aristagoras ad Thracas perfugit, 1) Histiaeus bellum infeliciter restaurauit. 2) Histiaeus ducebat magnam nauium classem. Milesii octoginta naues, Prienenses duodecim, Miusii tres, Teii septemdecim, Chii centum, Erythraei octo, Phocenses tres, Lesbii septuaginta, Samii sexaginta praebuerunt, vt ex eo de potentia singularum vrbium iudicari possit. Sed partem proditione, partem discordia, in ordinem redacti, Xerxem secuti sunt in Graeciam. In pugna ad Mycalen, quae eodem die, Leutychide Lacedaemonio duce, commissa est, quo victus ad Plataeas Mardonius, Iones defecere ad Graecos. 3) Erythraei Athenienses maxime fectati, fractis illis vicesimo Peloponnesiaci belli anno, defecerunt et Chiis contra Athenienses opem tulerunt, vt Thucydides auctor est. Post id tempus tamen Atheniensibus fauerunt ducesque eorum copiis suis adiuuere. 4) Alexander benigne egit cum Ionibus: Antigonus ceterique Asiae reges libertati eorum non sunt aduersati. Hoc maxime cognoscitur ex foedere Smyrnaeorum et Magnetum pro Seleuco Callinico, quod in Arundelianis marmoribus insigne est. Romanos rerum dominos

10) Herodotus l. I. c. 169. 1) Herod. l. V. c. 126.
2) Herod. l. VI. c. 1. 3) Herod. l. IX. c. 102. sq.
4) Demosthenes de Chersoneso f. 38.

Digitized by Google

nos summo honore coluere. Itaque Attalum Pergami regem bello Macedonico a Philippo rege mari pulsum in portum receperunt. 5) In bello aduersus Antiochum regem Romanis quoque portum praebuerunt, ex quo maritimas vrbes ad defectionem sollicitarent et triremes miserunt ad augendam classem Rhodiam. 6) Quare bello confecto Romani Erythraeos pro singulari fide, quam praestiterant, et agro donarunt et in omni praecipuo honore habuerunt. Ita Liuius e Polybio. 7) Hic praeterea addit, agro donatos, quem iure suum ostenderunt esse. Bello Mithridatico Erythrae in potestate regis fuerunt, a L. Lucullo liberatae. 8) Restituto Capitolio, quod L. Scipione, C. Norbano Coss. conflagrauerat, C. Curio Cos. ad senatum retulit, *vt legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllae Erythraeae conquisita Romam deferrent.* Missi sunt P. Gabinius, M. Otacilius, L. Valerius, qui descriptos a priuatis versus circa mille Romam deportarunt, vt ex Fenestella et Varrone et Apollodoro Erythraeo refert Lactantius Firmianus. 9) Herophile illa Sibylla fuit, quam Erythraei in antro Coryci montis apud se natam gloriabantur, patre Theodoro pastore, matre nympha cognomento Idaea. 10)

Ex his rerum Erythraearum conuersionibus intelligi potest, ciues eius vrbis primum a Cnopo in formam reipublicae redactos, sub Lydis Persisque tyrannos accepisse, quibus eiectis vix sextum in annum libertate potiti, iterum iugum subierunt. Pulsis tyrannis Aristagoras e consilio Histiaei Milesii στρατηγους ἐν ἑκάστῃ τῶν πόλεων ἑκάστους *in singulis ciuitatibus praetorem vnum*

5) Polybii Excerpta p. 1013. 6) Liuius l. XXXVI. c. 45. l. XXXVII. c. 8. 11. 7) Liuius l. XXXVIII. c. 39. Polybius p. 1172. 8) Appianus p. 339. ed. Tollii. Tacitus Annalium l. VI. c. 12. et Historiar. l. III. c. 72. 9) Institutionum diuinarum l. VI. c. 6. De ira Dei. c. 22. 10) Pausanias f. 827.

Digitized by Google

instituit. Auctor est, Aristagorae fere aequalis, Herodotus. [1]) Is magistratus qualis apud Athenienses fuerit, satis exploratum habemus. Sunt autem e singulis tribubus quotquot annis lecti numero ad decem, ita vt vndecimus polemarchus adiiceretur, tamquam praefectus. Eorum munus in his fere versabatur, vt vrbem munirent et custodirent resque ad arma necessarias seu bello seu pace procurarent: eorum quoque erant ἐξετάσεις καὶ συντόξεις, censurae quoddam genus, et tributi pro modo facultatum descriptio ad τριηραρχίαν, tum iudicia iis de caussis, si quis περὶ ἀποφάσεως ἢ καὶ περὶ ἀντιδόσεως postularetur, aut si quis bellum aciemque deseruisset: pacis caussa, seu communicata re cum senatu, (vt in psephismate de legatis ad Philippum apud Demosthenem de corona,) seu ex sui sententia collegii, (vt in decreto senatus in Antiphonis vita inuenio,) legatos mittendi ius habebant. Id exemplum imitati sunt Erythraei ceterique Iones, nisi quod vnum praetorem sufficere putarunt, credo quod non ita magna vrbs esset. [2]) Non diuturnus hic status fuit, Persis tyrannos restituentibus, aut potius optimatum in vrbibus potentiam, cui magis fidebant, vt nouarum rerum minus cupidae. Ceterum iustum et aequum imperium fuit, vt Aristoteles in politicis auctor est: [3]) Καὶ ἐν Ερυθραῖς δὲ ἐπὶ τῆς τῶν βασιλίδων ὀλιγαρχίας, ἐν τοῖς ἀρχαίοις χρόνοις, καίπερ καλῶς ἐπιμελουμένων τῶν ἐν τῇ πολιτείᾳ, ὅμως διὰ τὸ ὑπ' ὀλίγων ἄρχεσθαι ἀγανακτῶν ὁ δῆμος μετέβαλε τὴν πολιτείαν. *Erythris quoque, cum vrbs sub Persarum regum imperio paucorum dominatione regeretur antiquis temporibus, tametsi qui praeerant, bene rem publicam administrabant, tamen tantummodo idcirco motus populus, quod a paucis regeretur, rei publicae statum mutauit.* Summa igitur potestas ad populum deuoluta, qui praetores quotannis e corpore suo legit. Quemadmodum autem

1) l. V. c. 38. 2) Aristoteles Politicorum l. VI. c. 8.
3) l. V. c. 6.

Digitized by Google

autem in plerisque Ioniae vrbibus antiquum Aristagorae institutum, iterum excussa Persarum dominatione, seruatum non est, vt summus magistratus praetor esset, ita Erythris nihil inuenio mutatum. Milesii sub Imperatoribus etiam archontas habuere, vt in numo Commodi ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΜΕΝΕΚΛΕΟΤΣ. In numis Seueri Prytaneam et Soterium, in Aurelii numo Euaresium, in Gallieni Diogenem archontem Harduinus vidit. Prienenses in eum modum archontem Iulium Saturninum in numo Valeriani, Chii Prasinum iterum et Aurelium Chrysogonum Epaphroditum et Cothyan Primum archontem signarunt. Samii in numo quodam ΕΠΙ. ΑΥCΑΝΔΡΟΥ. ΙΕΡΕ. *sub Lysandro Pontifice*, Ephesii plerumque aut Ἀρχιερέα aut Γραμματέα posuerunt. Clazomenii sub Claudio ΕΠΙ ΗΓΕΜΟΝΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ ΚΛΑΖΟΜΕΝΩΝ, in Iuliae Domnae numo autem *sub Philone praetore iterum*. Haec sunt testimonia leuium quarundam iis in ciuitatibus conuersionum. At Phocaeenses, Colophonii, Teii, Erythraei non nisi praetores habent in numis. Vt de Erythraeis tantum dicam, in numis sub Traiano apud Harduinum ΑΥΤ. ΝΕΡΟΥΑΝ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ. ΕΠΙ. CΤΡΑ. ΠΡΕΙΜΟΥ. in Elagabali numo ΕΠ. CΤΡ. ΑΥΡ. ΝΕΙΚΩΝΟΣ. Β. *sub Nicone iterum praetore*, in Alexandri Seueri numo ΕΠ. CΤ. Π. ΑΙ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΤΟ. Β.

Volupe esset, hos decem praetores suis annis assignare, vt ea re aliquantum iuuari possit Ionicarum ciuitatum historia. Nunc, quoniam eius copia nobis non fit, id agemus, vt saltem aliquam in aetatem numos inseramus. Atque cum Herculis vultus omnia Alexandro similia habet in his numis, sequitur ex mea opinione, sub extremam huius herois aetatem et paullo post cusos esse. Idem postulat elegantia numorum. Nam Graecia his artibus vsque ad ciuile bellum populi Romani eni-

Digitized by Google

tuit, ita vero vt Alexandri temporibus summum fastigium consecuta, labi paullatim et deficere sit visa. Ad postremum quae Harduinus de Erythris Boeoticis et de moneta a Thebis eam in vrbem translata praedicat, ea vero, vt dicam sine iracundia, in officina Archontii Seueri, lepidi senis, cusa fictaque sunt. Illis temporibus cum Thebae euersae, et post paullo cum hi numi cusi sunt, Erythrae in Boeotia, vt Terentianeo verbo alia in re vtar, fuere nullae.

NVMVS
GYRTONES VRBIS THESSALICAE
ILLVSTRATVS.

In Graecarum vrbium memoria desiderati adhuc sunt Gyrtoniorum numi. Ioannes Harduinus, qui in vrbium populorumque numis illustrandis maxima laude paene vnus omnium versatus est, huius vrbis numum alium, quam ex Pyrrhi Ligorii schedis nullum citat. Et illum ne describit quidem, credo quod diffidebat Ligorii fidei, quem decoxisse satis constabat. 1) Lucas Holstenius autem numum illum e Ligorii schedis ita describit in castigationibus Stephani Byzantii: *Circum caput muliebre* ΓΥΡΤΩΝΙΩΝ, *in cuius altera parte caput iuuenis cum galea cristata conspicitur, iuxta cuius frontem leguntur duae litterae* ΠΕ. *quas Ligorius, forte non male,* ΠΕΡΡΑΙΒΙΑΝ *significare putat. Equidem* ἐπέχειν *malo.* Hunc, quem produxi, (T.V.F.6.) aeneum numum Buxbaumius ex oriente attulit, tanto artis

1) Vide Raphaelem Fabrettum in *Columna Traiani* et in *Collectione inscriptionum* passim.

Digitized by Google

artis lumine nitentem, vt alios eius similes paucos, ab elegantiori autem opera et ingenio Graecos viderim nullos. Aduersa habet caput virile laureatum, cuius barbae ramentum metalli inter cudendum adhaesit, quod eximiam artem aliquantum obfuscauit. Eo est insignior auersa, quae caput matronae cum diademate refert et hanc epigraphen ΓΥΡΤΩΝΙ . . . . *Gyrtoniorum.*

Thessalism antiquitus Pelasgi incoluere et iuxta eos Perrhaebi, vtrique testati et illustres Homericis versibus, cum Thessalicum nomen nondum exstaret. Eodem auctore Homero, 2)

Οἱ Ἀργισσὰν εἶχον καὶ Γυρτώνην ἐνέμοντο,
Ὀρθὴν, Ἠλώνην τε, πόλιν τ' Ὀλοοσσόνα λευκὴν,
Τῶν αὖ ἡγεμόνευε Μενεπτόλεμος Πολυποίτης
Υἱὸς Πειριθόοιο, τὸν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς.

Qui Argissam tenebant et Gyrtonem incolebant,
Orthen, Elonamque vrbemque Oloossona albam,
Eorum dux fuit (bello Troiano) *Meneptolemus Polypoetes,*
Filius Piritboi, quem immortalis genuit Iupiter.

At Guneus ex Cypho duas et viginti naues duxit, quem Enienes et Perrhaebi sequebantur. 3) Fuere igitur Gyrtonii cum ceteris ciuitatibus foederatis sui iuris et inter Pelasgos censebantur, postea partem sunt Perrhaebis, partem Thessalis adscripti. Strabo Perrhaebiae attribuit, quam iuxta Peneum vsque ad mare antiquitus protendi meminerat, minora vero in Homerum scholia Thessaliae, Apollonii Rhodii scholiasta 4) alterutri, Stephanus Byzantius vtrique: Γύρτων πόλις Θεσσαλίας καὶ Περραιβίας, ἣν Ὁμηρος Γυρτώνην καλεῖ, ὡς Ἰτώνην καὶ Ἰτῶνα. 5) Scilicet quod Perrhaebia in Thessalia erat sita. Claudio Ptolemaeo quid acciderit, cum illius situm vrbis describeret,

D 4

2) Il. B. v. 738. 3) Ib. v. 748. 4) l. I. v. 57.
5) Sic quoque e Stephano Eustathius ad Homeri Boeotiam f. 333. ed. Rom.

Digitized by Google

beret, non satis exploratum habeo, tantum coniecturis ducor. Ita in editis legitur:

ΠΕΛΑΣΓΙΩΤΩΝ.

Γόννος	μ′η.		ιβ.	--	λ′ϑ.	L′.	ιβ.	
							Gonnus 48.	12. - 39$\frac{1}{2}$. 12.
Λάρισσα	ν.			--	λ′ϑ.		ς′.	
							Larissa 50.	0. - 39. 6.
Φεραὶ	ν.	L′		--	λ′ϑ.		ς′.	
							Pherae 50$\frac{1}{2}$.	0 - 39. 6.

ΣΤΥΜΦΑΛΙΑΣ.

Γυρτώνη	μ′ς.	L′	γ′	--	λ′ϑ.	L′.		
							Gyrtone 46$\frac{1}{2}$.	3. - 39$\frac{1}{2}$.

ΕΣΤΙΩΤΩΝ.

Φαιστὸς	μ′ζ.		ϑ.	--	λ′ϑ.		γ′.	
							Phaestus 47.	4. - 39. 3.
Γομφοὶ	μ′ζ.		γ′.	--	λ′ϑ.		ς′.	
							Gomphi 47.	3. - 39. 6.

ΘΕΣΣΑΛΩΝ.

Ὑπατα	μ′η.	L′	γ′.	--	λη′.	L′.	γ′.	
							Hypata 48$\frac{1}{2}$.	3. - 38$\frac{1}{2}$. 3.

Stymphalia in Arcadibus fuit, ad quos nihil aut Gyrtone, aut hic Ptolemaei locus. Idcirco acutissimus Palmerius emendauit, vt esset ΣΤΥΜΦΑΙΑΣ. Stymphaea regio in Epiro est, super Thesprotiis. Et huic regioni numeri quoque congruunt graduum, quos in Ptolemaeo positos cernimus. Idcirco Gerardus Mercator vrbem quoque in Epiri finibus collocauit, ad quos nihil pertinere, vel ex eo certum est, quod Gyrtone haud longe a Larissa sita fuit. Quare, vt plerique alii numeri, ita hi quoque in geographo corrupti fuerunt, nam verum situm Ptolemaeus ignorare non poterat. Si itaque gradus longitudinis emendes, habebis Gyrtonem suo in situ prope Larissam. Scribes autem sic:

Γυρτώνη μ′ϑ. L′ γ′. - λ′ϑ. L′. *Gyrtone* 49$\frac{1}{2}$. 3. - 39$\frac{1}{2}$.

Ita

Ita scripsisse videtur Ptolemaeus, dein cum corrupti essent numeri, vt ad Stymphaeam quadrarent, sciolus aliquis id nomen regionis inseruit, ex quo iterum corrupto, facta est denique Stymphaliâ. Id autem ipse vrbium ordo suadet. Nam Ptolemaeus monuit [6]) se in qualibet regione situs oppidorum a borea prosequi, donec in noto desinat. Itaque Gonni, Larissa, Pherae, Gyrtone, altera infra alteram tamquam australior ponenda fuit. Addidit Ptolemaeus se situs quoque vrbium ab occidente versus orientem citare. Sed illud in eo non est perpetuum. Hoc loco cum Epirum subiectam Macedoniae, in qua Thessalos, tamquam minores et, vt tum erat, attributas gentes, censet, perpetuo respicit et ad eam paullatim appropinquat, situs vrbium ab oriente versus occidentem persequitur. Sic Phaestus, Gomphi et omnis Estiaeotis regio, sic Thessaliotis ad occidentem post Pelasgiotas ponuntur et denique Phthiotis regio extrema est, quod et Pelasgiotidi et Thessaliotidi ad meridiem praetenderetur. Quae cum ita sint, Pelasgiotidi Gyrtona attribuit Claudius. Hieronymus apud Strabonem tradit 7) τὸ καλούμενον Πελασγικὸν πεδίον *Pelasgicum campum*, *vt tunc nuncupabatur*, habuisse vrbes *Larissam*, *Gyrtona*, *Pheras*, *Magnetin* et alias quasdam. Alia videtur esse Pelasgiotis regio, ad quam nihil Magnetis, alius Pelasgicus ager, in quo etiam Magnetis censebatur. Μαγνῆτις etiam Sophocli et Parthenio est Μάγνησις *Magnesia*, caput prouinciae eius nominis. Sed Ptolemaeus nullam prouinciam Magnesiam edidit. Vrbem Magnesiam et eius regionis alias tres Pelasgiotis, ceteras vrbes Phthiotis adscripsit. Ex quo vides errorem Plinii, cum Gyrtona in Magnesia collocat, veluti inter Pelasgiotida et Magnesiam prouinciam nihil discriminis sit. Decipere eum etiam Strabo poterat, [8]) qui sic fatus est

6) l. II. c. 1. 7) f. 505. 8) f. 503.

Digitized by Google

Περὶ τὸν Πήνειον καὶ τὸν Πήλιον οἰκοῦντες καὶ οἱ τὴν Γυρτῶνα ἔχοντες καὶ ἄλλοι πλείους, *ad Peneum et Pelium colunt cum Gyrtonii, tum alii plures.* Recte de Peneo fluuio, at Pelius mons in Magneſia potius erat ſitus. Magneſiae igitur vrbs erat Gyrtone, ſi Pelio monti ſubiecta fuit. Aut denique ex eo natus eſt error, quod Plinius Gyrtoni finitimam vrbem Lariſſam eſſe acceperat, eam autem iudicauit Lariſſam dici, quae ad Oſſam in Magneſia ſita fuit. Ad ſitum autem vrbis confirmandum oportebat animaduerti, quod tres iſtis in regionibus Lariſſae eſſent. Vna ad Oſſam in Magneſia, non admodum celebrata, nota tamen Straboni et Stephano, altera ἐπὶ θαλάσσῃ dicta Pauſaniae, Cremaſte cognomine, in Phthiotide, aliquanto interuallo a mari, tertia Pauſaniae. παρὰ τὸν Πηνειόν. Strabo et ex eo Stephanus Cremaſten illam etiam Πελασγίαν dictam fuiſſe teſtantur: ſed fortaſſis aliquis error ſubrepſit, vt id nominis attribuendum ſit potius Lariſſae ad Peneum, quam nobilem Theſſaliae vrbem vocat Liuius: 9) *Lariſſam*, inquit, *non illam in Theſſalia nobilem vrbem, ſed alteram, quam Cremaſten vocant, ſubito aduentu cepit.* In hac Lariſſa ad Peneum obiit Hippocrates Cous medicorum facile princeps atque in agro inter eam vrbem atque Gyrtona interiecto ſepultus eſt, vt e vita eius apud Soranum Epheſium cognoſcimus, cuius ad aetatem monumentum ſuperſuit. Ex quo etiam Ioannes Tzetzes in Chiliadibus 10) θανὼν, ἐτάφη μέσον δὲ Λαρίσσης καὶ Γυρτῶνος.

In antiquis fabulis quoque non obſcura fuit Gyrton. Fuit quondam

prales Elateia, Caenis,
Theſſalium virgo pulcerrima, perque propinquas
Perque tuas vrbes (tibi enim popularis Achille)
Multorum fruſtra votis optata procorum. 1)

Illius

9) l. XXXI. c. 46. 10) Hiſt. VII. Chil. CLV. 945.
1) Vide praeter Naſonem, Scholia in Apollonium Rhodium l. I. v. 59.

Illius amore virginis captus Neptunus, voti compos fit et post gaudia optionem permittit, quae vellet, petendi. Illa de amisso pudore praefata, in alterius conditionem sexus transire cupit,

grauiore nouissima dixit
Verba sono, poteratque viri vox illa videri,
Sicut erat: nam iam voto deus aequoris alti
Annuerat.

Scholiasta Luciani, qui Samosatensi hoc scurra dignus obtigit, in Gallo, 2) fabulam hanc lepidiorem fecit, cum per se esset nequissima. Ait enim, puellam Neptuno negasse, ni iuraret, facturum se prius, quae ipsa petiisset: petiisse eo annuente, vt illico e virgine esset mas: fecisse ita Neptunum Stygia numina et iusiurandum metuentem eaque mala fraude ductum voto excidisse potiundae puellae. Nec sic tamen Caeneo consistere licuit per Maronem, apud quem Aeneae in vmbris occurrit

Iuuenis quondam, nunc femina Caeneus,
Rursus et in veterem fato reuoluta figuram.

Vt Ouidius Perrhaebum, ita Palaephatus Peripateticus Thessalum fuisse scribunt: at Hyginus tradit 3) Magnesium fuisse Caeneum Elati filium eundemque apud Gyrtonios egisse et ea in vrbe genuisse Coronum filium. Quid si cui per insomnium porta eburnea immittantur hae cogitationes, Caenin et Caeneum vtroque sexu alternis in numi partibus spectari? Quid? si Archontius ille Severus hunc quoque numum Rufo Celso alicui, aut Celonio Iuliano, aut Fabio Sofiano, aut si cui alii fallendi artifici protulit, hi autem ex virili muliebrique eodem in numo vultu, talem nobis fabulam et Hyginum excuderunt? Plane, vt e numis Sidonis, Tyri aliarumque vrbium effictas esse fabulas contendis iucundissime Harduine. Si cui ista non satis arguta videntur, huic per me licet conditorem auctoremque Gyrtones in illis signis quaerere: habemus enim iterum vtriusque optionem sexus;

2) p. 18. 3) p. 34. ed. Munkeri.

Digitized by Google

sexus. Phlegyam primum in agro Gyrtonio consedisse reperio. Nam Strabo testis est, 4) ab eo Phlegya Phlegyas dictos, qui postea Gyrtonii dicti, a Gyrtone Phlegyae fratre, vt Stephanus Byzantius, aut a Gyrtona Phlegyae filia, vt eruditi in Apollonium Rhodium critici. 5) Haec vt intelligas, genealogiam apponemus:



Polypoeten ducem secuti sunt ad bellum Troianum, Homero teste, Gyrtonii. Is, eodem teste, Pirithoi erat filius, Pirithous Iouis. Nam alii, vt Pausanias et docti Critici Apollonii Rhodii, Diam Pirithoi matrem Ioui succubuisse ferunt, alii Ixioni marito filium hunc peperisse tradunt, in quibus est Apollodorus. Ixion Lapitharum, populi ad Peneum, rex, Phlegyam patrem habuit, vt scholia minora ad primam rhapsodiam, quamquam alii diuersa tradunt: Phlegyas Chrysen matrem, Halmi filiam, Sisyphi neptem, vt Apollodorus γενεαλογεῖ. At Strabo Phlegyam hunc Ixionis fratrem prodit. Ergo Gyrton Phlegyae secundum Stephanum frater, frater quoque Ixionis, Gyrtone vero Phlegyae filia Pirithousque patrueles fuerunt. Quod aliter fuit, si communem fabularum fidem sequimur. At Onomacritus vetus argonauticorum auctor Phalerum Alconis filium conditorem vrbis prodit his verbis: 6) Ἀλκῶνος

4) p. 593. 5) l. l. v. 57. 6) v. 143.

Digitized by Google

Αλκιώνος δὲ Φάληρος ὑπὸ Αἰσήποιο ῥέεθρον
Ἦλυθεν, ὃς Γύρθωνος ἀλιζεφὲς ἔκτισεν ἄστυ.
Phalerus Alconis filius ab Aesopo flumine
Venit, qui munitam Gyrtonen vrbem condidit.

Deinde eum cum Argonautis profectum esse canit. Alcon autem ille, Erechthei erat filius, Athenienſis.

Sed nihil horum in numo quaerendum eſt. Nam vt liquido dicam, nullius alterius vultus ille laureatus eſt, quam Iouis Olympii. Nam eo in agro Gyrtonii coluerunt, in quo ſedes huius religionis et numinis ad Peneum fluuium in Tempis Theſſalicis et ſummo Olympo fuit. 7) Matrona autem in auerſo numo Iuno Pelasgia eſt, a Theſſalis maxime culta, a qua non diuerſam arbitror Iunonem Olympiam, niſi quod hoc nomine coleretur a mulieribus in Elide, cui etiam Iunonia celebrabant, quinto quouis anno Olympicum ſtadium ingreſſae.

Numus cuſus videtur florentiſſimis Theſſalorum rebus et arte fingendi in aere ad ſummum faſtigium euecta, hoc eſt, poſt Philippum Amyntae regem. Is enim cum tyrannos e Theſſalia eiecit, reſpirare ſibi ſunt viſi Theſſali et animos accipere. Ex eo tempore Philippus tam beneficiis, quam clandeſtina vi, Theſſalorum voluntates obnoxias tenuit. Quare Demoſthenes in Philippica tertia: 8) Αλλὰ Θετταλία πῶς ἔχει; οὐχὶ τὰς πόλεις καὶ τὰς πολιτείας αὐτῶν ἀφῄρηται καὶ τετραδαρχίας κατέστησε παρ' αὐτοῖς, ἵνα μὴ μόνον κατὰ πόλεις, ἀλλὰ καὶ κατὰ ἔθνη δουλεύωσιν; *At, qui ſtatus Theſſaliae eſt? nonne et vrbes ademit? et ſtatum rerum publicarum peruertit et quatuor principatus inſtituit, vt non modo ſingulae vrbes, ſed gentes quoque ſingulae ei ſerviant.* Id tamen nihil offecit Theſſalorum rebus, qui aliter rationes ſuas de libertate inibant, quam populus Athenienſis. Sub Alexandro M. militarunt Theſſali, fidiſſimi

7) Pauſanias f. 412. 417. 8) f. 47. ed. Aurelianenſis.

Digitized by Google

fidissimi omnium et ab eo tempore Macedoniae regibus semper obnoxii. A Philippo denique Demetrii filio oppressi Romanos gratanter acceperunt. Victo rege, T. Quintius Flamininus ἐλευθέρους, ἀφορολογήτους, νόμοις χρωμένους τοῖς πατρίοις, inter ceteros quoque iussit Thessalos et Perrhaebos. 9) Cum Antiochus Magnus Thessaliam cum exercitu ingressus vrbes partem deditione, partem pugnando in potestatem accepit, Lariſſa frustra obsessa, Gyrton ne petita quidem e vicino armis. 10) Ex quo intelligi potest, vrbem fuisse munitissimam. Nam etiam Perseus, cum Thessalos ad societatem belli aduersus Romanos armis cogeret, Mylasque moenibus firmissimis vi cepisset, non ausus est Gyrtonem in propinquo sitam tentare, quam T. Minucius Rufus et Hippias Thessalorum praetor quam praesidio intrauerant. 1) Extremum beneficiorum S. P. Q. R. in Graecos, libertas Macedonum. Post ea haud longe ab extrema seruitute Graecorum conditio discrepauit. Hoc illud spatium est, quo libertas Thessalorum et Perrhaeborum primum a Philippo firmata, tum nequidquam a Philippo Demetrii filio et Antiocho et Perse regibus attentata, Romanis opportuna vindicantibus, postremo sub initio perturbationum in Romana re publica oppressa est. Artium autem illarum, quae in aere fingendo metalloque versatae sunt, summa dignitas sub Alexandri Macedonis aetatem fuit. Nam Plinius auctor est, 2) post Olympiadem centesimam vicesimam artes eas cessasse, centesima autem quinquagesima quinta reuixisse, cum tamen artifices fuere, illis, qui antea viguerant, longe inferiores. Hic numus tantum in arte decus seruat, vt ad illam priorem artificum aetatem referri mereatur.

9) Polybius p. 1108. IIII. Liuius l. XXXIII. c. 32. 10) Liuius l. XXXVI. c. 10. 1) Liuius l. XLII. c. 54. 2) l. XXXIV. c. 8.

DE

DE ORIGINE ET PRISCIS SEDIBVS SCYTHARVM.

Vt omnes intelligant iam inde a principio, quae mea de Scythicis gentibus opinio sit, ita praedico, me nequaquam ex earum stirpe Sarmaticas, Russicas et Sclauonicas gentes, aut Hunnos veteres nostrosque Hungaros, aut denique Tattaricos populos repetere, sed Lituanos et veteres Prussiae incolas, 1) tum Curones, Liuones, Aestios, Fennos, et Lappones, et paucos alios. Ista tam directa confessio obseruabitur animis haec nostra legentium; donec in progressu id a nobis paullatim constitutum reperient. Cum Ruthenos non patior supposititiam Scytharum esse prolem, iam fructum eum refero, quod turbari stirpes et inseri nobilissimam per se gentem alienis populis non sino. Simul et illud operae pretium facio, quod de ea regione, quae a Scythico nomine antiquitus nobilitata fuit, nunc accessio ingentis Russorum imperii est, exquirendo veterem memoriam elicio et quasi exprimo, quod aut verum sit, aut ad veritatem quam proxime accedat, ne dicam, illis me adiumento esse, qui in edisserendis Hungarorum, Polonorum, Tattarorum, Turcarum, aliorumque populorum originibus, ad Scythas veluti tempestate delati, tamquam ad saxum adhaerescunt.

Nam,

1) Non tuli inique ea, quae erùditi viri in Memoriis Treuultinis in me iecerunt, cum nostram de Prussicis originibus sententiam attingerent: spero enim eos pro aequitate sua, plus mihi, cognita caussa, concessuros esse.

Digitized by Google

Nam, qui ante nos de Scythicis rebus commentati sunt, vnō insigni maxime errore implicati constrictique fuerunt, a quo nisi prouidemus, oleum et operam in restituenda veteri gentis illius memoria perdimus, multorumque aliorum populorum origines aut proximae originibus coinquinamus. Multos et magnos viros citare possem, ni satius sit, eorum nomina, ex quibus quotidie in aliis proficimus, in hac aberratione silentio obtegere, quam quasi pompam hac praeterducere. Extendunt autem Scythicum nomen vastissimis terrarum spatiis ab Istri propemodum fontibus et Vistula Balticoque mari, iuxta Oceanum septemtrionalem et Pontum Euxinum Caspiumque mare, vsque ad extremum orientem. Eo in errore veteres quoque scriptores praeluserunt, nostrisque fuere offensioni. Primus eorum de quibus constat, Ephorus in quarto historiarum libro, orbem terrarum inter Scythas, Indos, Aethiopas et Celtas diuisit. Fragmentum eius loci Cosmas Indicopleustes in Topographia christiana conseruauit. 2) Non sum nescius, quod a Diodoro Siculo 3) obiecta est Isocrateo illi Ephoro veri negligentia et quidam quasi stupor: sed quam lenissime pronunciare velim, postquam historiae eius interciderunt, vt iudicari non possit. Video igitur Ephorum, cum locorum positus per certa capita distribuere et explicare constitueret, insigniorum nomina gentium vastioribus spatiis adhibuisse, nulla mala fraude, at successu infelici. Nam Ephoro quoquo modo dicta, pro exploratis habebant Graeci plerique et Romani, ita glisscebat error posteritate. Igitur tot tamque diuersae stirpis gentes non modo intra communem quandam regionem definitae, vnum omnes Scytharum nomen his

2) f. 148. 3) f. 26. ed. Steph. Αλλ' ἴσως ἄν τις παρὰ Ἐφόρῳ ζητήσειεν ἐκ πάντος τρόπου τὰκριβὲς, ὁρῶν αὐτὸν ἐν πολλοῖς ἀλογωτάτῳ τῆς ἀληθείας. *Apud Ephorum accurationem consummatam frustra quis quaesiuerit, qui videat in multis eum parui pendisse veritatem.*

Digitized by Google

his auctoribus subierunt, sed etiam ab illa regionis appellatione in eandem nationem sunt conflatae. Sic Cimmeriorum res cum Scythicis, Scytharum cum Sarmaticis, Russicis, Hunnicis, Tattaricis commiscentur. Sunt qui deinceps non modo regiones, sed etiam tempora confundunt. Nam quaecumque regionum aut gentium illarum nomina apud omnis aeui scriptores reperiunt, ea ad describendam geographiam adhibent, tamquam aleatores tesseras, quibus temere in tabulam iactis, quaecumque sors exit, situm illarum definiat, τρεῖς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι, quae quidem secum, si verum spectant, commentata et meditata habere debebant. Nobis adhibenda diligentia est, ne noster labor in easdem reprehensiones iure meritoque incurrat, neue quis nos debito testimonio priuet, nihil nos ex vano haurire voluisse et inexplorata non edidisse pro compertis.

Scythas plerique a Magogo Iapeti filio ortos referunt, quorum in numero Samuel Bochartus facile princeps est. In ea opinione nemo est antiquior Iosepho, 4) qui quidem Scythas nomine citat. Hausisse eum videtur ex Ezechiele, 5) qui terram Magog ad septemtrionem Caucasi inter Tanaim et Volgam ponit. At idem ille cum populum Scythicum *Gog in terra Magog* appellat, satis perspicue ostendit, alium populum Magog ante Scytharum irruptionem illa loca incoluisse, quae adhuc priscum nomen apud gentes Asiaticas retinuerint. Tantum igitur abest, vt Ezechiele auctore Scythas a Magogo repeti conueniat, vt is etiam aduersarius huic opinioni sit. Alii Turcas quoque et Tattaros Magogicae stirpi adserunt, quos quasi ab aboriginibus suis Ezechiel *Magog* nuncuparit. Itaque de primis Scytharum parentibus et auctoribus non liquere puto. Hoc tamen mihi visus sum ex argumentis minime vanis coniectura, consequi, Scytharum maiores ex Armenia descen-

4) Antiq. Iud. l. I. c. 7. 5) c. XXXVIII. XXXIX.

Digitized by Google

scendisse ad austrum atque tum orientem petisse hibernum, donec ad septemtrionem Caspii maris, a tergo vrgentibus aliis familiis, concesserunt. Ex eo tempore ad septemtrionem maris Caspii et ad Volgam eos degisse reperio, iuxta Massagetas et Issedonas. Scythae ipsi se mille ante Darii expeditionem annis ortos tradidere apud Herodotum. 6) Interseritur huic loco a Scythis fabula: Targitaum Scytharum patrem Ioue et Borysthenis fluminis filia natum, tres habuisse filios. Nomina eorum haec sunt: Leipoxais, Arpoxais et minimus natu Colaxais. Colaxais imperium caeleſti prodigio adeptus est, a quo inter Scythas nobilissima domus οἱ βασιλῆες οἱ καλέονται Παραλάται, *reges, qui dicuntur Paralatae*: a Leipoxai Αὐχάτα, ab Arpoxai Κατίαροι καὶ Τράσπιες. Colaxais rursum in tres diuisit filios gentem. Vniuersi se Σκολότους τοῦ βασιλῆος ἐπωνυμίην, *Scolotos, quod regum cognomentum est*, appellarunt. *Scythae* sunt vocati tantummodo a Graecis, vt diserte monet Herodotus. Inde autem manauit vocabulum, quod, cum Graeci, qui inter eos in coloniis Ponticis degebant, admirabilem eorum in sagittando artem et industriam cernerent, sagittariosque ab iis *Scythas* dici audirent, id nominis toti genti attribuerent. Et manet adhuc vocabulum in Scythicae originis linguis. Hodie Lituanis *Szauti iaculari* et *iaculatorem* significat, a quo est apud Constantinum Szyruidum *Szaudu*, *arcu*, *sagittis iaculor*, et *Szaudikle*, *sagitta*, *spiculum*; Fennis et Liuonibus sagittarius est *Skytta* et *Kytta* seu *Kyt*, sic Curonibus et Aestiis et Lapponibus. Veteribus denique Prutenis, vt Praetorius in orbe Gothico nos docet, fuit *Szythi*. Manauit etiam in aliorum et diuersae stirpis populorum linguas. Et apud Graecos Scytharum nomen per monumenta euasit celebrius, quam Scolotorum, verum quidem, sed obscurum nomen. Mansit tamen Scolotorum nomen apud Athe-

nien-

6) l. IV. c. 7. ed. Gron.

Digitized by Google

nienſes in ludibrio. Nam publici miniſtri et vigiles Athenis dicti ſunt Τοξόται, iidem et Σκύθαι et Τοξόται. Tolotae a Scolotis deprauatum. Scythae iidem, quod ſagittarii eſſent et in medio foro habitarent ſub pellibus. Sic apud Romanos per contemtum a Phrygibus, Dacis, Syris, Getis, ſerui nomina habuere.

Quantum in hac Scytharum narratione apud Herodotum verum eſſe videatur, quaerendum nobis duco. Ego vero eiusmodi veteres gentium memorias contemnere non ſoleo. Forte quod a Ioue et Boryſthenitide Herodotus interpretatus eſt Targitaum prognatum fuiſſe, id eo factum, quod pater ei Pappaeus aliquis (Pappaeum autem ſummum deum dixere Scythae, Iouem ſuum Herodotus putauit) et mater e Cimmeriis ad Boryſthenem, regia domo oriunda eſſet. Sub Targitao Scythae in vnum corpus et rem publicam coaluere, diuiſi poſtea in tres eius filios totidemque tribus. Plerique populi a conſtituta primum re publica aut inſigni aliqua conuenſione originem repetierunt. Chaldaei Calliſthem de vetuſtate eorum ſciſcitanti, mille nongentorum trium annorum ſummam edidere, teſte Porphyrio apud Simplicium de caelo. Ex quo colligitur, Chaldaeos centum et quindecim annis diluuio poſteriorem gentis ſuae originem poſuiſſe, ab eo tempore cum rei publicae formam ſubierunt. Ergo cum Scythae mille annis ante Darii expeditionem ſe ortos tradunt, initium rei publicae ſuae nobis aperiunt. Si expeditionem Darii ante annum periodi Iulianae 4200 collocamus, hiſtoria Scythica caput tollit circiter annum 3200, ſiue annis 1514 ante epocham Dionyſianam, extremo tempore ſeruitutis Iſraelitarum in Aegypto.

De priſca autem Scytharum regione Herodotus ita acceperat: Scythas, Nomadas fuiſſe, et in vaſtis paſſim circum opportuna paſcuis loca trans Araxem coluiſſe, inde pulſos a Maſſagetis bellum intuliſſe Cim-

Digitized by Google

meriis ſuper auſtrali mari ſeu Ponto Euxino habitantibus. His veluti parum conſonantia ex Arimaſpeis Ariſteae Proconneſii addit: Arimaſpos pepuliſſe Iſſedonas, Iſſedonas a tergo vrſiſſe Scythas, Scythas, non, niſi cedendo, ab infeſta Iſſedonum vicinitate ſe defendere potuiſſe, idcirco inuaſiſſe Cimmeriorum regiones. Hic vero Herodotus: 7) Οὐδὲ οὗτος συμφέρεται πέρι τῆς χώρης ταύτης Σκύθῃσι, *ita nec Ariſteae cum Scythis conuenit in regione, quam primitus incoluerint, conſtituenda.* In quo autem, Herodote, Ariſteas Scythaeque diſſentiunt? Scythae, ſe primitus vltra Araxem coluiſſe tradunt: at Ariſteas iuxta Iſſedonas, hoc eſt, ad orientem Caſpii maris. Ita videlicet eſt. Araxem quem Scythae dicerent, Herodotus ignorauit, putauitque, illum eſſe in Media ἐκ Ματιηνῶν, 8) quae ad meridiem vicina Armenis prouincia eſt. 9) Is autem Araxes longiſſime vtique ab Iſſedonibus et oriente diſtat. Sed non vidit Herodotus, Scythas ab hoc flumine non potuiſſe ſe in Cimmeriorum regiones infundere. Quae enim illa fuit diſcurſatio, ſi Scythae per Medicas prouincias patefacto itinere, traiectoque Araxe, in Cimmeriorum terras irruiſſent, atque inde perſequentes hoſtium agmen, fallentibus fugientium veſtigiis, per errorem viae in Mediam, eadem qua iuerant, reuerſi, ex inopinato incidiſſent. Hoc ne obiiceretur, timuiſſe videtur Herodotus. 10) Igitur regionem ab Iſtro ad Cercinitin vocat *veterem Scythiam*, tamquam ex ea regione Scytharum maiores per Boſporum Thracicum in Aſiam minorem ſuperioremque et Araxe traiecto per clauſtra Caucaſea in Cimmeriorum terras conceſſerint. Siue ita ſcenam, ſeu quemcunque in modum inſtruxerit Herodotus, vndique haeret et tenetur.

Dicam, ſicuti ſentio, neque tam Herodotum, quam eos, quorum teſtimonio eſt vſus, producam quaſi in forum ad tribunal, exquiſitiusque tamquam in iu-

dicio

7) l. IV. c. 13. 8) l. I. c. 202. Seu potius Ματιηνῶν, vt Gronouius recte edidit. 9) l. V. c. 48. 10) l. IV. c. 99.

Digitized by Google

dicio teſtes admotis quaeſtionibus percunctabor. Dicebant Herodoto, Scythas trans Araxem iuxta Iſſedonas et Maſſagetas coluiſſe: pulſis Scythis Maſſagetas vlteriora Araxis [1]) ſub oriente Caſpii maris tenuiſſe e regione Iſſedonum, qua in latiſſimam planitiem terra ſe diffundit. [2]) Eum Araxem dicebant cum Iſtro de magnitudine certare et in oſtiis multas amplecti inſulas, Lesbo aequales magnitudine. Nihil horum ad Araxem Mediae conuenit: non Maſſagetarum ſitus, non magnitudo fluminis, non tot et tantae in oſtiis inſulae. Omnia autem ad Volgam. Ad orientem Maſſagetae veteres: longitudo fluminis Iſtrum tertia parte ſuperat: oſtia ad octoginta et amplius, [3]) quae inſulas ingentes circumdant. Quod ait Herodotus, Ἀράξης λέγεται καὶ μέζων καὶ ἐλάσσων εἶναι τοῦ Ἴστρου, *Araxes et maior et minor eſſe Iſtro dicitur*, id quoque confirmat, de duobus fluuiis eum inaudiuiſſe, quorum alter, hic Volga maior Iſtro, alter, qui nunc quoque *Rus*, minor fuit. Et fuiſſe vtique Volgae veteſtis temporibus nomen *Araxes* ſiue *Rus*, *Ros*, et *Rhas*, ſatis exploratum habeo. Onomacritus et incertus auctor peripli Ponti Euxini Tanaim dicunt ex Araxe flumine in Maeotin exonerari. Ariſtoteles quoque in meteorologicis [4]) auctores habet, ἐκ Παρνάσου (ex Paropamiſo dicere ſe putat) maximo omnium ad orientem hibernum monte, Bactrium, Choaſpen et Araxem fluere, τούτου δὲ ὁ Τάναϊς ἀποσχίζεται, μέρος ὢν, εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην, *ab hoc Araxe Tanais diuiſus (pars enim eius eſt) in Maeotin paludem exoneratur*. Ortus eſt error e Tanais et Araxis vicinitate. Accedit Agathemerus, [5]) qui *Iaxartem*, *Oxum*, *Rhymnum*, *Rhos*, (qui eſt Mediae *Araxes*,) *Cyrum*, (qui eſt *Kur*, cum hoc Araxe ſe miſcens,) et denique *Araxem* Caſpio mari infundi ſcribit. Quis non videt, eum ab oriente

 littora

1) l. l. c. 201. 2) l. l. c. 202. 3) Nicol. Vitſenii *Noord en Oost Tartarye* f. 700. 4) l. l. c. 13. 5) p. 235. ed. Gron.

Digitized by Google

littora Caſpia obire, donec ad ſeptemtrionem deſinit in Volga? Claudius autem Ptolemaeus Volgam vocat Πᾶ *Rha*, quod nomen adhuc frequenter in ore habent Rutheni, vt ne ab aetate quidem et temporum populorumque miris conuerſionibus obliterari potuerit. Inter cetera ſic loquitur Claudius: Ἐϛι καὶ ἑτέρα τοῦ Πᾶ ποταμοῦ ἐκβολὴ πλησιάζουσα τῇ τοῦ Τανάϊδος. Voſſius ad Melam in eo emendat vocem ἐκβολὴ et reſcribit ἐπιϛροφὴ. Sed relinquendus eſt ſuus Ptolemaeo error, qui Volgam et Tanaim miſceri atque orientalem quidem Volgae alueum in Caſpium mare, occidentalem autem in Tanaim exonerari credidit. Duo quoque fluminis illius oſtia Pomponius Mela habet, 6) ſed in Caſpio tantum mari: *Multi*, inquit, *in Caſpio ſinu magni paruique amnes fluunt: ſed, qui famam habet, ex Ceraunii montibus vno alueo deſcendit, duobus exit in Caſpium, Rha.* Ammianus Marcellinus: 7) *Huic Tanai Rha vicinus eſt, amnis, in cuius ſuperciliis quaedam vegetabilis eiusdem nominis gignitur radix, proficiens ad vſus multiplices medelarum.* De *Rha* barbaro eum loqui intelligo. Videtur autem illud nomen *Rhos* et *Rha* eique alia ſimilia ex antiqua mortalium communique lingua ad Scythas aliosque populos permanaſſe, quo fluuium dixere. Apud Arabes eſt *Roba*, apud Turcas et Perſas eſt *Rud*, apud Ruthenos Рѣка *Reca*. Quae fluminis adpellationes, et apud Graecos ΡΕΙΝ et fortaſſis Rhenus, Rhodanus, Rhaduna apud Gedanum, tum Eridanus ſeu Rhudon Ptolemaei et Marciani Heracleotae, (nunc Duna apud Rigam) et Ruſſa in Pruſſia, non niſi reliquiae priſcae linguae ſunt. Eſt eodem referendus Ἐριϛ fluuius apud Lycophronem, 8) cum Caſſandra canit Amazonas Ἐριν Lagmum Telamum et Thermodontem reliquiſſe et inuaſiſſe Athenienſes. Vbi Ioannes Tzetzes Ἐριϛ Λάγμος Τήλαμος Θερμώδων, ποταμοὶ Σκυθίας. Ex vicinitate Thermodontis Eris ille cognoſcitur ſitus fuiſſe

6) l. III. c. 9. 7) l. XXII. c. 16. 8) v. 1333.

Digitized by Google

fuisse in Ponto. Xenophonti est Ἰρις 9) et ex eo fortassis etiam Plinio. In Mesopotamia duo flumina fuere, quae Arabes appellauere *Roba*, hoc est nihil aliud quam *fluuios*. Alter apud Edessam, quem *Scirtum* Macedones coloni dixere, alter eo inferior, qui a Ptolemaeo et nunc ab Arabibus *Chaboras* dicitur. Ex illo fecere Graeci Καλλιρόην, vt in historia Edessena ostendi, ex hoc ipse Xenophon 10) fecit Araxem, alium vtique ab Araxe Mediae, quem Xenophon non attigit. Mansit etiam postea corruptum Araxis nomen. Nam geographus Arabs, quem Iosephus Scaliger inspexit, 1) Carcesiam vrbem ait allui a flumine

الهرياس السبي الخبور

Al Harias cognomento Al Chabor. Harias est ab *Araxe* Graecorum in Mesopotamia, *Araxes*, ab *Rhoa*. Graecarum autem aurium tam admirabile fuit fastidium, vt barbaros vocabulorum sonos non ferrent. Itaque seu noua nomina gentium, locorum hominumque e lingua sua effingebant, seu barbara ita ori aurique Graecae aptabant, vt vix tenue remaneret vestigium, vnde essent ducta. De ea consuetudine Plato in Cratylo disputat. Is quoque in Timaeo vocabula Atlantici sermonis retinere non audet, nisi Graece enunciata. Sed vaga fuit enunciandi talia lubido, nullis definita praeceptis, vt in primis e Persicis et Medicis et Armenicis nominibus intelligi potest.

Est igitur Volga ille Araxes, cuius ad orientem prisci Scythae vicini Massagetis et Issedonibus degerunt. Massagetas enim non modo Herodotus, sed etiam omnis veterum turba ad borapelioten Caspii maris collocat. Laonicus Chalcocondylas ad septemtrionem Caspii maris ponit, 2) et praeterea adiicit, eos ante id tempus ad alteram Araxis ripam egisse, nunc autem traiecto flumine citeriorem partem tenere. Quis non videt Ara-

9) Ἐν ἀναβάσει l. V. c. 6. 10) ib. l. I. c. 4. 1) De emendat. temp. f. 399. 2) f. 62. et 67. ed. Paris.

Digitized by Google

xem illum esse Volgam? ni cui visum sit quoque, meridie non lucere. Hic fluuius cum latissime pateret et a multis gentibus accoleretur, mirum non est, si quosdam suo insigniuit nomine. Vt hunc Bulgari a Volga profecti, nomen a fluuio tractum conseruant, ita Russos opinor ab eodem dictos et Roxalanos, quasi Alanos ad Russum fluuium. Ptolemaei Βορυσθενοι, quasi *ad Russum* populi.

Hunc quoque illum esse Araxem iudico, ad quem contra Massagetas male res gessit Cyrus. Herodotus, cum audiuisset, Cyrum transmisso Araxe petiisse Massagetas et petiisse a Babylone, illum ipsum in Media Araxem dici putauit in Clio. Qui eum non satis intellexere, Araxem alium sibi quaesiuere sub oriente, vt traiecto eo, petere Massagetas posset Cyrus. Isaacus Vossius Oxum sibi elegit, quem Christophorus Cellarius secutus est. Nihil tamen habent, quod pro ea sententia pugnet, et longius ab Oxo siti fuere Massagetae, quocirca veteres quidam, teste Plinio, vltra Iaxartem posuere aras Cyri, veluti ille esset Araxes. Iaxartem autem Scythae, vt ait Plinius, 3) seu quicumque alii fluminis accolae, *Silyn* vocarunt, aut fortassis *Sihyn*, quod nomen adhuc permanet. Neque tamen etiam pro Iaxarte aliqua idonea verosimilitudo pugnat. Profectus autem est Cyrus in hanc expeditionem, vt nobis videtur, non contra solos Massagetas, sed in primis contra Scythas. Haesit enim semper Regum Persarum animis, quam impotenter Scythae deuictis Medis in Asia superiori egissent. Atque illud tot bellorum initium est ab Herodoto indicatum, qui summa cura hoc egit, vt ostenderet, per quas causas bella ex bellis seminata fuerint. Babylonem Cyrus cepit secundum Vsserii rationes anno periodi Iulianae 4176. Anno vno post et paullo amplius, si Xenophonti credimus, gentes a Syria vsque ad mare Erythraeum sibi subiecit. Inde adhuc sunt anni minimum

3) l. VI. c. 16.

Digitized by Google

mum ſeptem vsque ad extrema Cyri. Hoc omni tempore tum in Aſia minori, tum ad Caucaſum et in Scythia res potuit gerere, donec apertis per arma regionibus, traiecto nauibus et per pontem a ſe factum, Volga, Maſſagetas eſt adortus.

Quo autem tempore Scythae Araxem traiecerint et Tanaim, oſtendam poſtea. Nam id potius et prius quaerendum eſt, quibus regionum ſpatiis Herodoti aetate coluerint.

DE

SCYTHIAE SITV,

QVALIS FVIT SVB AETATEM

HERODOTI.

Qui primi omnium Graecorum, quos ex veteris memoriae miſerabili ſtrage relictos accepimus, de Scythis aliquid prodiderunt, Onomacritus et Aeſchylus, poſt Anacharſidis Scythae in Graeciam aduentum ſcripſere. Is, vt Herodotus teſtatur, Gnuri filius, Saulii regis Scytharum frater fuit: Gnurus autem Lyci, Lycus Spargapithis. Quamquam Samoſatenſis in Scytha, patrem non Gnurum, ſed Daucetam, neſcio quo auctore, citat, et Diogenes Laertius fratrem Caduidem regem. Athenas venit, teſte Soſicrate Rhodio et Ολυμπιάδων ἀναγραφῇ, Olympiadis XLVII. anno primo, archonte Eucrate, qui anno vno interiecto, Soloni ſucceſſerat: annis admodum XVIII. poſtquam Aſiae imperio excidere Scythae et ciuile bellum reperere domi. Ex quo opinor factum, vt nullae res Scytharum ita Graecorum monumentis celebrarentur, quam quod de bello

Digitized by Google

civili recens gesto ab Anacharside audiuerant. Erat autem Graeca natus matre: vt potius credam Diogeni Laertio, Graece locutum, quam Luciano aut commentitiis Anacharsidis epistolis, non nisi Scythicae linguae facultatem habuisse. Situs tamen locorum Scythicorum nondum planissime explorati potuisse videntur. Anacharsin Athenis aut in alia Graeciae vrbe cognoscere poterat Anaximander Milesius, haud minor viginti annis. Is inter primos ab Agathemero [1]) refertur, qui geographiam tabulis comprehenderunt. Ab eo fortassis Onomacritus sua mutuatus est, cum Argonautica, Orphei nomine, Athenis Olymp. LXV. ederet. Pindarus quidem Abarin quoque, quem alii Scytham, alii Hyperboreum putant fuisse, sub Croesi temporibus Athenas veniisse cecinit, sed videtur Anacharsin habuisse in animo, qui iis fere temporibus in vrbe fuit. Nec dubito, quin illius auctoritate decepti fuerint Eusebius et Hieronymus, cum ad Olymp. LIV. annum 2. et initia Croesi, Abarin ponunt e Scythia veniisse in Graeciam. Hippostratus III. Olympiade, alii apud Harpocrationem Olymp. XXI. eo veniisse contendunt. Immo Firmicus Maternus, vt eum Iosephus Scaliger et Maussacus emendarunt, Troianis temporibus aequalem facit. His autem temporibus nulli Scythae noti esse potuerunt, vt cum Herodoto, Harpocratione et scholiasta Aristophanis ὑπερβόρεων malim Abarin Hyperboreum dici, atque ex Graecis ad Pontum coloniis repetere, quos ego Hyperboreos in Delum et Athenas sacrificia legatosque misisse censeo, vt in alia dissertatione postea ostendam. Nisi Herodoti Melpomene potius vera nobis cecinit, Abarin illum inficetam esse fabulam. Anacharsin vtique nullus Scytha videtur secutus in Graeciam, si eum frater in nemore Graecis sacris operantem, odio externarum religionum, sagittis traiecit: quamquam me non fugit, alios auctores esse, ad centum vsque annos vitam produxisse

1) p. 1. ed. Hudson.

Digitized by Google

duxisse Anacharsin. In Onomacrito autem, siue ab Anaximandro, siue ab alio acceperit, multa ieiuna et futilia sunt, vt in ignotis adhuc regionibus et populis. Quaedam tamen, vt explorata, ab Herodotea narratione propius absunt. Nam quoad Onomacriti heroes cursum nauigationis per Ponti littora meridionalia peragunt, nota et vera locorum nomina legimus: cum autem ad occidentem et orientem flectunt iter, tum nec Amazones, nec Tauri suis in sedibus colunt, et ab Araxe fluuio scaturigines Thermodontis, Phasidis Tanaisque deriuantur, quod in tanta antiquitate et longinquitate, non abhorrente a commentis fluuiorum cursu, ferendum est. Ad septemtrionem autem Onomacritus permiscet omnia, populosque, quos fando audiuerat, hac illac temere proiicit. Quod autem in eo vitium est maximum, Maeotin paludem cum mari septemtrionali coniungit perpetuo alueo. Illic ponit Pactos, Arcteos, Lelios crudeles: illic

Τοξοφόρους τε Σκύθας, Ἄρεως πιεσὺς θεράποντας,

et Argonautas per Tauros, Hyperboreos, Nomadas, Caspios, Riphaeos in oceanum Hyperboreum seu Mortuum ad Macrobios ducit et ad Cimmerios intra Riphaeum et Caspium montem in tenebris viuentes, deinde in Hiberniam perque Herculeum fretum ad columnas Herculis, idque quo magis sit ridiculum, paucorum dierum decursu. Haec imperite fingendi licentia patefacit Onomacriti inscitiam, cui nihil fere praeter nomen Scytharum vicinorumque quorundam populorum innotuerat. Itaque cauendum est sedulo, ne hunc hominem ignotis rebus vanisque figmentis oblectantem alios, tamquam bonum et accuratum de illis terris testem citemus, vt fecere ante nos nonnulli eruditi viri. Qui secundum eum Argonautica scripserunt, non quae gentes reuera antiquissimis temporibus isthic coluerint, sed quas sua aetate aut quocunque alio tempore isthic recen-

Digitized by Google

recenseri acceperant, ab Argonautis petitas tradiderunt. Itaque in iis maiori etiam opus est cautione, quam quae ab illis eruditis viris, quos dixi antea, adhibita est, qui dissonantia in Onomacrito et ceteris argonauticis scriptoribus comparando fecere, vt erroribus plena essent omnia.

Aeschylus Onomacrito concinit in Promotheo vincto, Scythas supra Maeotin coluisse. Sic enim canit:

Καὶ Σκύθης ὅμιλος,
Οἱ γᾶς ἔσχατον πόρον ἀμφὶ
Μαιῶτιν ἔχουσι λίμναν.
Et Scythica turba,
Quae terrae extremam regionem circum
Maeotin tenet paludem.

Idem Scytharum regionem in solitudinibus collocat et ad oceanum vsque producit, quocum misceatur Maeotis. Noti isthic sunt ei Scythae Nomades,

Οἱ πλεκτὰς στέγας
Πυθάρσιοι ναίουσιν ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις
Ἐκηβόλοις τόξοισιν ἐξηρτημένοι.
Qui casas vitiles
Incolunt, sublimes super rotundis curribus,
Arcubus longe iaculantibus instructi.

Noti eidem Chalybes et Amazones et angustiae Maeoticae.

Ista Scythicarum regionum ignoratio mansit vsque ad Darii expeditionem: tum enim per Ionas ceterosque Graeci corporis, qui in exercitu eius erant, inuestigatum est, quod in eum latuerat diem. Ex eorum numero Scylax Caryandensis circum littora exploratum est a Dario missus, cuius periplus exstat. Pontica littora multo

Digitized by Google

sollertius descripsit quam Onomacritus et quaedam eorum tractuum alia, conuenientius Herodoto. Herodotus Scylacem nouerat a Dario Hystaspe ad describenda Asiae littora missum: Europae autem et Scythiae littora eundem obiisse non nouerat. Aelius vero Dionysius Halicarnassensis in libro de Alexandria primo auctor est, Scylacem Europae et Scythiae periplum dedicasse Dario, vt habet incertus auctor in elogio Scylacis edito primum ab Hoeschelio. Siue Darii mandato, siue priuato consilio littora illa obierit, seu ab aliis nautis tradita tantum consignauerit (Caryanda autem patria eius, Cariae iuncta fuit, et Carum nauigationes sunt notissimae) 2) nihil tamen est verius, quam ad hanc aetatem referri debere eius periplum. Haud sum ignarus, Henricum Doduellum, quem ego virum semper feci maximi, Scylacem hunc longe infra Herodoti aetatem ponere, sed is nescio quomodo mihi in tota illa disputatione, tamquam in salo sine remigio et velis iactari videtur. Quae enim sunt tanta argumenta, vt eius sententiam praeferam Isaaci Vossii ceterorumque opinioni? Quia, inquit, quaedam in periplo Scylacis leguntur, quae memoriam inferiorum aetatum attingunt. Fateor id ita esse, sed ex iis quaedam acutissimi iudicio viri ad Olympiadem CXI. alia ad Olymp. CXVI. nonnulla ad Olymp. CXXXV. referenda sunt, quod sex et nonaginta annorum interuallum est. E contrario in Scylace reperias certas antiquioris aeui notas. Agnouit id Doduellus quoque in multis et in vno maxime, quod Scylax Tyrum vocat insulam, quae peninsula post Macedonis expeditionem Persicam fuit. Vixit igitur ante id bellum. Praeterea Scylacem scripsisse ea aetate necesse est, cum Africae omnis Asiaeque littora notiora essent, quam Italiae, Galliae, Hispaniaeque. Idcirco apud eum Volsci tantum et Campani et Samnites, at Roma nulla, fama vrbis nondum per Graeciam peruulgata. Ex quo mihi res fit

2) l. l. c. 171.

Digitized by Google

sit sine controuersia, cetera aliis temporibus conuenientia, scribarum curiositate allita fuisse Scylaci, deinde in librum recepta, vt multis aliis; praesertim huiusmodi scriptoribus accidit. Post hoc tempus tantum Athenis cognoscendi has regiones desiderium obtinuit, vt optimates consumerent in foro totos dies, ἐν τοῖς θαύμασι, καὶ πρὸς τοὺς ἐκ τοῦ Φάσιδος καὶ Βορυσθένους καταπλέοντας, *spectandis praestigiis et cum iis qui a Phaside aut Borysthene adnauigauerant*, vt ab iis cognoscerent miracula, vt habet apud Athenaeum Aristoteles. 3) Haec vero θαύματα peperere insanas de Scythis fabulas, quo non immerito Heraclidis Abarin retulisse videtur Maussacus.

At Herodotus alio ingenio fuit, qui cum Olbitis Ponticisque aliis sic est versatus, vt non omnino fabulas sperneret omnes, haud ignarus, in iis nonnumquam veritatis aliquid recondi, tamen, quod esset in omni re verissimum, sagaciter inuestigaret. Quibus igitur in locis sub Darii expeditionem Scythae degerint, vt ab Herodoto est vulgatum, explicabo. Tenuere autem regiones inter Borysthenem et Tanaim. Ad meridiem illis Tanais, vt noster ait, nulli vero ad eius vlteriorem ripam Scythae, nisi exules a reliquo corpore et rebelles, sed longius ad orientem a ripa Tanais reiecti. Iam Herodotus ab Istro ad Borysthenem decem dierum iter esse scribit, a Borysthene ad Maeotin paludem decem quoque dierum, ab oriente Scythiae ad occidentem viginti numerat dies, a Ponto totidem ad Melanchlaenos, ad septemtrionem Scythiae oppositos. In diem ducena stadia numerat. Quem nunc in modum nos expediemus, cum omnis de stadiis quaestio difficultatibus maximis impedita est? Videor mihi viam reperisse, qua quam potest fieri proxime accedam ad veritatem. Eratosthenes, vt Strabo auctor est, in gradum vnum aequatoris stadia Ιοσσ. dabat, at Claudius Ptolemaeus ex diligenti, vt

3) f. 6.

vt ait, obſeruatione, tantummodo ſtadia 10. quem magna veterum turba conſequitur. Herodotea ſtadia concordant cum ſtadiis Ptolemaei, vt patet perſpicue, comparantibus Herodoti dimenſiones, quas ſubieci, cum exactiſſimis tabulis Delisliamis, quas in his terrarum tractibus collocandis ſecuti ſumus. Ait autem Herodotus:

Pontum Euxinum latum eſſe qua eſt latiſſimus	3200 ſtadia
Os Ponti ſeu Bosporum eſſe latum	4
Os Ponti eſſe longum vsque ad Propontidem, admodum	120
Propontidem eſſe latam	500
Et longam	1400

Secundum has igitur Herodoti rationes, in iis regionibus, de quibus quaerimus, in gradum longitudinis vnum ſtadia CCCXLVII. erunt numeranda, ſingula pedum ſexcentorum, vt Herodotus diſerte poſtulat: ſeu pedes 208200. Nunc dimenſionem Scythiae ad calculum exigemus:

	dies	*ſtadia*	*gradus cum pedibus*	
Ab Iſtro ad Boryſthenem	10	2000	5	159000
A Boryſthene ad Maeotin	10	2000	5	159000
Ab oriente ad occidentem. Scythiae	20	4000	11	109800
A Ponto ad Melanchlaenos ſeu ſeptemtrionem	20	4000	8	0

Duae dimenſiones Herodoteae, quas primo loco poſui, non admodum abhorrent a veritate, ſi ab Iſtro ad Boryſthenem propter littus iter inſtituas, quae cauſſa eſt, vt Maeotis quoque a Boryſthene aequali ſpatio dirimatur. Nam vtrobique, per littorum in interiora recedentium ſinus, curſus interceptus fuit. At in agris Scythicis libero patentique campo, qui nec ſiluis nec mon-

Digitized by Google

montium iugis impediretur, rectum erat iter. In vno ambigi potest, cum ab occidente orientem versus viginti viam dierum esse Herodotus scribit, a quibus quasi carceribus suos cursores in stadium hoc emittat. Egregie autem aperit sententiam suam Herodotus, cum Scythiam intra Agathyrsos, Neuros, Androphagos, Melanchlaenos includit. Quod eius dictum nisi in oculis feramus, nusquam cohaerebit res: nunc autem omnia inter se optime colligata a nobis comparataque reperietis, vt aut sic fuisse Scythas sitos putem, aut, quoniam in his nulla tanta esse certitudo potest, haud longe nos a veritate aberrasse. Est igitur Scythia sita intra 45. et 57. fere gradum longitudinis, at 47. et 55. gradum latitudinis, e qua coloni transgressi Borysthenem, aliquantum terrarum, vsque ad Tiram occuparunt. Ego vero haud grauate non modo eius Scythiae, sed et vicinarum gentium, quae seu intra huius imperii proximos fines, seu aliquanto etiam longius sitae fuerunt, regiones ex Herodoto exhibebo in tabula. (Tab. VI.)

Primum omnium is ordo est fluminum, quae Herodotus habet. 4) Ex Scythia quinque fluuii decurrentes augebant Istrum. Porata (Ammiano Marcellino Porora) magnus fluuius, ab oriente descendens, ad hoc tempus priscum nomen retinet. Quis enim ignorat Prutam? Magnus vtique fluuius in quem incidunt Colazinus, Cosmanus, Zuzur, Zur, Bassenus, Caroccia, Caminea, Caldarussa, Zizia, Valemare, Valebratuleni, Mosna, Nirnoua, Calmazuia, Sapusna, Strimba, Serata orientalis et occidentalis, Cigieza, Larga et Ilana, vt eos nomine recenset Demetrius Cantemirus Princeps eruditissimus in historia Moldauiae MSta. Graeci postea nomen Poratae, Herodoto teste, inflexerunt, vt deprauatum esset Πυρετὸς, quasi *Igneum* dicas, vnde Constantino Porphyrogennetae est Βρυῦτος 5) et nunc *Prut*. Tiarantus Hero-

4) l. IV. c. 47. 48.

5) De administr. imperio f. 108. ed. Band.

Digitized by Google

Herodoti, *Alaut* fluuius est. Nam ab Herodoto inter Tiarantum et Poratam tria magna flumina ponuntur, quot vtique inter hunc fluuium et Alautam intersunt. Quo accedit, quod Ptolemaeus quoque Alautam suum sic posuit. Ex tribus autem Ordissus est is, qui adhuc nomen vetustum retinet: *Argischa* enim vocatur. Post Herodotum dictus a Graecis Ἀρδιαῖος, vt adparet e scholiis in Hesiodum. 6) Naparis Herodoti est *Ialonitza*, Ararus, Ptolemaeo Hierastus, (quod nomen vetus Prutae fuisse Cantemirus putauit,) Constantino Porphyrogennetae Σίρετος, corrupto veteri vocabulo, nunc quoque *Siretus* et *Moldaua* quibusdam dicitur. Est enim fluuius Moldauiae proprius ex vltimis finibus versus Poloniam profluens atque duobus ostiis in Danubium se exonerans, vndique montibus et saltibus cinctus, vt Cantemirus Princeps testatur. Secundum hos fluuios Maris nos aduertit, qui adhuc a fontibus ipsis retinet nomen vetus *Marosch* seu *Merisch*, donec ad Segedinum, amisso nomine, Tibisco miscetur, quocum in Istrum se exonerat. Maris autem Herodoto separatur a Scythicis fluminibus, nec nobis memorandus, nisi ad eum Agathyrsos poneret Herodotus. Fluuios, qui ab Haemo et a Thracia exonerantur in Istrum, non attingo, quoniam nihil ad propositum nostrum conferunt. Sequitur Tiras, qui apud Turcas in *Turlae* cognomento aliquantum veteris nominis retinet, Constantino Porphyrogennetae et Graecis aliis *Danastris*, vnde nunc *Dniester* dicitur. Oritur e lacu, Scythas a Neuris separante. Ex lacu dico, Herodoti fide, qualiscunque scaturigo fluminis sit. Secundum Tiram est Hypanis fluuius, qui nunc *Bog*. Rudbequius Pripelium esse censuit: cui alibi satisfeciſſe mihi videor. 7) Hypanis oritur e lacu, qui μήτης Τπάνιος Herodoto dicitur et in Scythica regione ad occidentem est situs, iuxta quae loca ἄγριοι ἵπποι λευκοί. Ostium

6) p. 261. ed. Heinsii. 7) De numo Rhodio p. 9.

Digitized by Google

Ostium fluminis huius Dio Chrysostomus 8) sic describit: Prope a mari efficere ingens stagnum, limosum et tranquillum serena tempestate: fluuium ipsum esse profundum et vehementem, ripam paludosam, arundine et arboribus obsitam, adeo vt arborum quaedam in stagno quoque adpareant, malis nauium similes: isthic salis esse copiam. In Hypanim, teste Herodoto, infunditur paruus et amarus riuus Amaxampes dictus Scythis, (quod ille Graecis ἱερὰς ὁδοὺς significare scribit,) qui terminus est Alazonum et Scytharum Aratorum. Abest autem a mari octingentis stadiis: nam quatuor dierum cursu ad mare vsque ab Amaxampe amarus dicitur fluxisse Hypanis. Alio loco 9) Ἐξαμπαῖον regionem ponit Herodotus intra Borysthenem et Hypanim, dicitque ex ea regione fluere Exampen riuum, quem antea Amaxampen vocauerat. Cum ad hunc vsque riuum paene aequali interuallo Hypanis et Tiras fluunt, paullo infra riuum amarum, Tiras in ambitum deflectit et Hypanis quoque diuergit secundum Herodotum. Quae signa me induxerunt, vt Amaxampen ea in regione ponerem, vbi nunc fluuiolus *Sinauda* situs est. Borysthenes Hypanim excipit, incerto auctori peripli Ponti Euxini Danapris dictus, ex eoque nunc *Dniper* veteri Scythico vocabulo. Post Herodotum quidam qui longinquiora, quae comperta non habebant, tradere tamen sunt ausi, ex montibus, quos Alaunicos vocant, fontes Borysthenis repetunt. Sed mirandum non est, si omnium capita fluminum aut in lacubus et paludibus, aut in montibus ponuntur a priscis geographis, ne quid ignorare videantur. Et Borysthenis quidem fontes Matthias Miechouius Canonicus Cracouiensis adnotauit, in Sendomiriensis agri planitie scaturire, non in montibus, quales eo in agro sunt nulli. Borysthenes fluuius est, teste Herodoto, nulli nisi Nilo secundus: purissimo alueo labitur et sata penes se fecunda habet salisque copiam in ostio καὶ κήτεα μεγάλα ἀνάκανθα τὰ Αντα-

8) f. 437. 9) f. 157.

Ἀνταιαίους καλέουσι, quem piſcem torrent accolae fluminis. Cognoſcebatur Graecis fluuius ab Gerrheo regione, quae quatuordecim nauigatione dierum diſtabat a mari. Ab eadem regione Gerrheo decem dierum via Scythae Aratores ad Boryſthenem colebant. In oſtio Boryſthenes et Hypanis eodem lacu miſcebantur, priusquam in Pontum ſe exonerabant. Oſtiorum vtriusque fluuii latitudo aequalis, lacus ducentorum ſtadiorum tractu porrigebatur. Promontorium, quod eſt extremum, medio inter vtrumque fluuium ſitu, Hippoleon vocabatur, Cereris delubro inſigne. In eo autem promontorio, cuius e regione in mare ſe praecipitabant e lacu fluminа, propugnaculum Alectoros (coniux ea Sauromatarum regis fuit) Dionis Chryſoſtomi aetate erat. Ad ortum ſolis Panticape ex lacu quodam a borea fluens Hylaeamque regionem ſtringens, infundebatur Boryſtheni. Situm eius iſthic pono, vbi *Samara* nunc eſt, aut paullo infra hunc riuum. Nam Scythae Agricolae, cognati Scytharum Agricolarum ad occidentalem Boryſthenis ripam degentium, a Panticape vndecim itinere dierum, hoc eſt ad Gerrhum vsque colebant. Igitur haud longe a mari Panticape abfuit. Dionyſius vtique Periegetes aliique haud longe a Ponto oſtia eius deſcribunt, ex quo opinor factum, vt quidam Panticapen comparantes cum Hypani, dicerent, infra Olbiam ſeu Boryſthenem vrbem Boryſtheneis miſceri fluctibus. 19) Secundum Panticapen Hypacris ex lacu per medios Scythas Nomadas delapſus a dextero relinquens Hylaeos, ad Cercinitin vrbem infundebatur Ponto. Gerrhus autem fluuius in ipſis fontibus regionem Gerrhum attingens, medius inter Scythas Nomadas et Regios fluebat, donec in Hypacrin aquas fundebat ſuas. Apud Claudium Ptolemaeum confuſa ſunt omnia: Hypanis aliquot gradibus orientalior Boryſthene deſcribitur, vt poſſis ex eo ſuſpicari, Hypacrin eſſe in Ptolemaeo ſcribendum. Di-

19) Plinius l. IV. c. 12.

Digitized by Google

versus ab eo apud Ptolemaeum est Cercinitis fluuius, qui in sinum Cercinitin Pontumque se exonerat, vt de Gerrho et Hypacri Herodotus habet: at Gerrhus a Ptolemaeo longe hinc reiicitur ad orientem, veluti qui misceatur Maeoti. Quod ne quis adeo miretur, in Ptolemaeo sciat numeros graduum esse deprauatos. Si enim Alexandrinum geographum recte inspicias, Hypanis ad occidentem Borysthenis collocatur, disertis verbis. Est ergo Cercinitis Ptolemaei idem, qui erat Herodoti Hypacris. Qui autem factum sit, vt Gerrhus in Maeotin defluere videretur Ptolemaeo, qui Herodoti testimonio Hypacri et Ponto miscebatur, illum scrupulum facile tollam e Plinii egregio quidem, sed corrupto loco: [1]) *Sinus*, inquit, *Cercinitis appellatur, flumen Pacyris, a tergo lacus Buges fossa emissus in mare. Ipse Buges a Coreto, Maeotis lacus sinu, petroso discluditur dorso. Recipit amnes, Gerrhum, Hypanim, ex diuerso venientes tractu. Nam Gerrhus Basilidas et Nomadas separat: Hypanis per Nomadas et Hylaeos fluit, manu facto alueo in Bugem, naturali in Coretum.* Vbi Pacyrin esse Herodoti Hypacrin, Harduinus iam adnotauit: Bugen esse Βύκην λίμνην, Bycen Flacci et Bucen Melae idem monuit. Sed manet scrupulus, quod Coretum non animaduertit esse legendum *Cercinitin*, idque ex Herodoto, quem Plinius hoc loco secutus est. Nam qui poterat Gerrhus ad orientem in Bycen lacum, Hypacris ab occidente in Coretum seu vltra Bycen exonerari et *duo tamen flumina*, vt Mela loquitur, *vno ostio effluere, diuersis fontibus et aliunde dilapsa*, et quidem influere in Cercinitin, vt non obscure Plinius innuit? Ita igitur est: Hypacris et Gerrhus vno ostio in Cercinitin et Pontum voluebantur, ducta tamen vsque in Bycen et Maeotin paludem fossa, per quam altero ostio, sed manu facto, exonerabantur. Haec est celebris illa fossa, quam a vernis Scytharum ductam Herodotus commemo-

1) l. IV. c. 12.

Digitized by Google

memorat. Constantinus Porphyrogenneta ait, 2) illam sua aetate fossam terra obrutam fuisse κατεχώθη ἡ αὐτὴ σούδα καὶ εἰς δάσος ἐγένετο πολύ. Tanais, vltimus fluuiorum Scythicorum, nunc *Tan* et *Don*, ἐκ λίμνης μεγάλης, Herodoto teste, fluebat, (quae λίμνη nunc *Iuan* nomen habet) et praecipitabat se in Maeotin. Sed perquam est obscurum, quos Herodotus dicat fluuios *Lycum*, *Oarum* et *Syrgin* in Maeotin incidere. Lycum etiam Ptolemaeus habet ad occidentem, tribus citeriorem gradibus Tanai, itaque forte est fluuius *Silik*, qui aliquid veteris nominis retinuit, nisi illud ipsum vetus nomen est, ex quo Graeci pro consuetudine sua inflexo fecere Lycum, vt minus barbare sonaret. Oarus autem, si est Ptolemaei Agarus, rationes Herodoti turbat: esset enim ad occidentem Lyci ponendus. Nunc obscurum est quidem, quo in loco eum positum fuisse oporteat, certum est tamen, inter Lycum et Tanaim ab Herodoto collocari. Syrgis alibi Τέγις dictus Herodoto 3) influit in Tanaim. Necesse est igitur esse eum, quem Tanaim minorem vocant et *Sevierſky*, quod vestigium est veteris vocabuli. Haec flumina Herodotus dicit a Thyssagetis fluere; 4) non vtique ex ipsa Thyssagetarum terra, sed ex vicina regione, nam paullo post quam id dixerat, Oarum fluuium in desertis ponit, quae infra Thyssagetas, seu ad meridiem iis erant. Reliquus est Araxes seu Volga, vt supra demonstraui. Duo maria Pontus Euxinus et Caspium mare notiora sunt, quam vt de iis quidquam dicendum esse videatur. Aristeas ille Proconnesius Νοτίην θάλασσαν vocat Pontum, *australem* Scythis respicientibus: at Herodotus Βορείην, a Graecia. In Herodoto id quoque summam hominis accurationem et fidem indicat, quod Caspium mare non vt nostrum nonnulli quadratum, sed quod paucis ante annis deprehensum est a Ruthenis, longius porrectum prodit, pro portione latitudinis. Ad occidentem Caspii maris

2) l. c. f. 113. 3) l. IV. c. 123. 4) l. IV. c. 123.

Caucasum collocat, ad orientem vero immensam planitiem, cuius partem non minimam Massagetae teneant. Haec planities celebratissima est apud Arabes Persasque scriptores nomine *Kaphgjak* et *Dascht*, quod *planitiem* significat. Describit denique, sine nomine tamen, montes ad remotiorem orientem. Volga enim ad occidentem, altiori ripa includitur, vnde ea regio *Nagorna*, id est, *montana* hodie dicitur. Nequaquam isthic montes sunt, sed planities altiori cum ripa. Ad orientem autem ingens est planities, quae regio idcirco *Lugavoia* hoc est *campestris* vocatur. Sunt igitur montes illi, ab Herodoto memorati, nulli alii, quam qui nunc dicuntur Vergaturii, olim *Riphaei* dicti.

Postquam haec, quae nulla vis temporum, nulla fortunae iniuria labefactare potuit, maria, flumina, montes, planitiem, suis in locis terminaui, his vtar argumentis ad describendas suis regionibus gentes. Timonax primo de Scythis libro 5) quinquaginta diuersas Scytharum gentes esse scribit. Cum autem incertum est, qua aetate Timonax haec scripserit, sitne hoc de suae aetatis populis intelligendum, an ita a superiorum temporum scriptoribus acceperit, nihil compendii ex eius testimonio facio. Sequar igitur naturae quasi ordinem, ac positus populorum ex Herodoto definiam, confirmaturus opinionem meam idoneis argumentis, vbi opus esse videbitur. Iam ab Istro, in littore Ponti Tiritae occurrunt iuxta ostia Tirae, vbi nunc Biellogrodum et Burziaki populi. Mediterranea Scythae Aratores tenuere a fluuio Tiaranto vsque ad Tiram, quos fluuios Herodotus idcirco Scythiae adnumerauit. Tenuere igitur Valachiam, Moldauiam et exiguum tractum Transiluaniae. Magis ad occidentem erant Agathyrsi, gens et ipsa a Scythis profecta, vltra Marin fluuium, hoc est in Transiluania occidentali. Transgressis Tiram, ad littus Callipidae et supra eos Alazones, vtrique intra Tiram et

5) Apud Schol. Apollonii Rhodii l. IV. v. 321.

et Hypanim. Alazonum situs certioribus notis intelligitur, quam Callipidarum. Nam mater Hypanis secundum Herodotum discernit Alazonas a Scythis: ad orientem, Alazonum fines sunt e regione Amaxampes. Relinquitur nunc regio ad mare vsque Callipidis iuxta Olbitas, vt Halicarnassensis habet. Olbitae populi ἐπὶ τ' Τπανιν *supra Hypanim*, Alazones παρὰ τὸν Τπανιν *ad Hypanim*, vtrique ad occidentem Olbiae vrbis, Alazones tamen borealiores Callipidis. Ergo Alazones in palatinatus Podoliae meridionali parte ad Caminiecum et in Bracłauienſi, qua inter Bogum et Nisterum porrigitur, Callipidae vero in orientali Braclauiensium tractu et in Ozacouiensi agro. Intra Hypanim et Borysthenem Olbitae Graeca colonia, vbi nunc *Dzikie Pole* campi deserti et Ozacouiensis agri aliqua pars est. Vlteriora insederant Scythae Ἀροτῆρες Aratores, cognati Scythis, quos supra in Valachia et Moldauia constitui, tum necessitudine proxima, tum morum similitudine. Diremta erat vtriusque quasi Scytharum Aratorum corporis coniunctio, ad septemtrionem apud fontes Tirae per Neuros, ab Alazonibus per fontem Hypanim ipsum, vsque ad Amaxampen. Gerrhus ad Borysthenis fluuii orientem regio, aberat a mari quatuordecim dierum iter. Ab ea regione decem dierum itinere, Scythae Agricolae colebant vsque ad Olbitas. Incoluere igitur palatinatum Braclauiensem, quidquid regionum a fontibus Bogi ad Kiouiam vsque inter Borysthenem et Hypanim est, praeterquam quod ad confluentes vtriusque fluminis Olbitae coluere. Neuri a fontibus Tirae supra Scythas Aratores vsque ad Borysthenem egerunt, in parte palatinatus Leopolienſis, Belzenſis et Volhynienſis orientali. Quae regio ab iis est Neuris dicta. 6) Magis ad occidentem Gelóni et Budini, vbi nunc Chelmenſis et Breſcianenſis palatinatus est. Antiquitus Neuri ad orientem Borysthenis sedes habuerunt, supra Scythas Agricolas, 7)

6) Herodotus l. IV. c. 51. 7) Ib. c. 105.

Digitized by Google

Νευροὶ seu Νευρῆται dicti Graecis scriptoribus, 8) Sed vna γενεᾷ ante Darii expeditionem, quoniam tanta vis serpentium ex eorum terra nascebatur et a septemtrione e solitudine aduenichat, vt persistere amplius ea in regione non possent; ad Budinos commigrarunt, a quibus in vicinitatem agrorum admissi sunt. Anno periodi Iulianae 4199. Babylonem recuperauit Darius atque ex eo tempore profectus ad bellum Scythicum, vt Herodotus initio Melpomenes testatur. Vnam γενεὰν ab annis tribus et viginti describere videtur Herodotus, 9) vsque ad annos quatuor et triginta. Ergo Neuri circiter annum periodi Iulianae 4176. aut 4165. traiecerunt Borysthenem. Nihil tamen addit Herodotus, ex quo satis constet, vbi Neuri antea coluerint, seu vbi suas Geloni Budinique habuerint sedes. Ego quibus rationibus inductus suis eos locis posuerim, dicam. Budini, magna gens, Scythicae stirpis fuere, pulsi autem priscis temporibus a ceteris sui corporis, ex Scythia ad occidentem Borysthenis concesserunt. Ex eo enim nata est fabula Graecorum de Gelono et Agathyrso fratribus Scythia pulsis, quae ab Herodoto commemoratur. Vt autem Agathyrsi ad occidentem, ita Budini eodem se receperunt. Geloni autem, Graeca colonia, teste Herodoto, misti Budinis, partem quiddam Graecae consuetudinis retinuere, partem adsciuere a barbaris mores Scythicos. Ex ea re euenit, vt Budini Gelonorum quoque nomine cierentur. Perperam vero hoc, iudice Herodoto, cum diuersae stirpis, diuersorum morum essent Geloni mistaque Graecis et Scythicis lingua vterentur, Budini tantum Scythica; cum Geloni agrum colerent, hortos haberent, vrbesque frequentarent, Budini autem tantummodo pecuariae rei operam darent. Ex ea tamen confusione fabula est excusa de Gelono, tamquam Scythicae fami-

8) Eustathius ad Dionysii v. 310. 9) Nam l. I. c. 7. in duas et viginti γενεὰς ἀνδρῶν nondum integras numerat annos 505. et l. II. c. 42. ait tres γενεὰς efficere annos centum.

Digitized by Google

familiae patre, cum nihil ad Budinos pertineret, nedum ad Scythas. Vrbs Gelonus in Budinis sita, Gelonis illis cognomentum originemque debuit. Muro circumdata fuit, cuius singula latera triginta stadiorum erant, sedes omnes e lateribus, templa deorum Graecorum et arae, simulacra autem lignea. Stephanus Byzantius vrbem in Sarmatis ponit: Γελωνοὶ πόλις Σαρματίας. Haec Budinorum et Neurorum migratio memorabilis est in septemtrionali historia. Nam, vt ex mythologis septemtrionalibus intelligimus, ab eo tempore Odinus primus et Femni, seu Neuri et Budini profecti sunt ad sinum Bothnicum et in ipsam Scandinauiam. Ergo Neuri coluere antea ad Desnam fluuium, postea vero in imo pede Lithuaniae et parte quadam Volhyniae, Budini autem et Geloni in Polesiae finibus. Supra Neuros et Budinos Herodotus deserta ponit ad septemtrionem, interserens, quantum constaret sibi. Nam, vt habet in Theseo Plutarchus, qui veterum situs regionum describebant, si qua fugerent cognitionem eorum, arenis et siccitate squalere agros, limosas esse paludes et Scythica iuga et mare glaciatum fingebant, ne in tabulis inane spatium pro incomperto relinqueretur. Veneti tamen et Electrides insulae ad mare Balthicum et Eridanus, qui nunc Duna est ad Rigam, nota fuere Herodoto nomina, sicuti alibi nobis dictum est. 10)

Vltra Borysthenem ad litus, Hylaea est regio, quae a Panticape et Hypacri includitur, sola totius Scythiae siluestris. Nunc isthic locorum Tattaria Minor est. Supra eum tractum Scythae Γεωργοὶ seu Agricolae, trium itinere dierum, iuxta Panticapen porrecti in orientem, et Borysthene aduerso vndecim dierum, itaque fere ad fluuium vsque, quem Desnam nunc vocant, in tractibus Veraniae orientalis. Isthic Gerrhus regio et sepulcra regum Scythicorum erant. Supra vero ἔρημος ἐπὶ πολλὸν *ingens solitudo* et vltra eam Androphagi ἔθνος

10) Vide Dissertationem de numo Rhodio.

ἴδιον καὶ οὐδαμῶς Σκυθικὸν *gens peculiaris et minime Scythica*, in agri Smolenſcenſis Vitepcenſisque tractibus. Poſtea iam ſola et inculta loca, ὅσα ἡμεῖς ἴδμεν *quantum ſcimus*, inquit Herodotus. Traiecto Panticape, Scythae Nomades iuxta Gerrhum fluuium ad ſeptemtrionem vergunt, pars et ad occidentem Hypacris ſita. In Cherſoneſo Tauri colebant maguam partem ad occidentem, nam orientem peninſulae Scythae Regii Ἀριοῖ ſeu Optumi dicti tenebant, qui inde ysque ab hac regione ad Gerrhum et Cercinitin ſinum, vtraque foſſam e Gerrho ductam in Bycen, boream verſus ad lacum, ex quo Tanais oritur, atque ad orientem ad oſtia Tanais ſe porrigebant, quas regiones nunc Tattari Crimmenſes, Nogaici, Coſacique incolunt. Supra Scythas Regios Melanchlaeni, gens minime Scythica, in agro Moſquenſi vicinoque ad orientem tractu. Quod ad boream pergebat magis, lacubus, paludibus et deſertis ab Herodoto repletum. Plutarchus, [1]) ab his, qui Scythiam et Thraciam peragrauerant, frequentes lacus et paludes iis in locis reperiri compererat, ex quo Poſidonius frigoris vehementiam per has regiones oriri credidit. Satis frigide hoc, vt opinor, Poſidonius. Vltra lacus et deſerta πτερὰ κεχυμένα *plumas effuſas* aerem obtinere ferebant, vt proſpectus iter facientium interciperetur: quod de niuis copia Herodotus interpretatur. Poſteritas tamen huic Scytharum ioco indulſit, quae Pterophoron regionem adpellauit, *ab aſſiduo niuis caſu, pinnarum ſimilitudine*, vt ait Plinius. [2]) Regionem ad Maeotin, per quam Lycus et Oarus fluunt, Maeotida vocat Herodotus. Vltra Tanaim in intimo ſinu Λάξιοι aut potius Λάζιοι Sauromatae colebant. Intimus ſinus eſt, qua Maeotis longiſſime recedit intra Aſiae littora, vbi Tanaim accipit. Hi Lazii Sauromatae boream verſus coluere quindecim dierum via. Quo minus ad ſtadia hodies comparem, obſtaculo mihi eſt, quod, cum omnis ea

1) p. II. f. 951. 2) l. IV. c. 12.

ea regio montana eſt, plura in gradum vnum ſtadia et incerto numero conſumuntur. Vt, cum Herodotus a Maeoti ad Phaſin triginta dierum iter eſſe dicit, id vero quatuor admodum graduum ſpatium eſt, per montes et diuertigia viarum, cum in planitie triginta dies gradus duodecim efficerent Herodoto. Poſti itaque Lazios eo in loco, vbi multis poſt Herodotum temporibus colnerunt. Herodotus 3) hic errauit, cum Λαξίους παρὰ τὴν λάξιν ſeu ſortitionem, neſcio quam, dictos eſſe opinatus eſt. Nam veluti ad hoc ἔτυμον ludens δαπτέραν τὴν λάξιν dictos ait Budinos, ſupra Lazios, magis ad boream. Amazonas Herodotus ſcribit profectas a Sarmatis iuxta Iſtrum et Ponti Maeotisque littora ad ſeptemtrionem, apud Cremnos excenſionem feciſſe, et praedatorum more emenſas ſpatium, quod a Cremnis ad oſtia Tanais eſt, ad ſeptemtrionem conſediſſe et commiſtas poſtea cum Scythis, conſilium cepiſſe traiiciendi Tanaim. 4) Hic ſedes poſuere ſuas inter Lazios et Budinos, vtrisque ad meridiem. Lingua vſae ſunt Sarmatica: Scythicam aegre didicere a Budinis, quorum concubitus petebant, ita vt σολοικίζειν dicantur Herodoto. Supra Budinos ad boream deſertum eſt ſeptem diebus continuatum, videlicet a Syrgi fluuio et ſcaturigine Lyci atque Oari fluuiorum. Altius deſerto illo Thyſſagetae, Valerio Flacco Thyrſagetae, populus magnus, nec a Scythica ſtirpe, et cum iis Iyrcae, iisdem in tractibus colebant, apelioten verſus. Orientaliores his Scythae Rebelles ſeu Exules, qui a Regiis Scythis profugerant. Omnis eorum regio πεδιὰς καὶ βαθύγεως campeſtris. A Scythis Exulibus incipiebat ſcrupea et confragoſa regio, quae denique in excelſos montes ſurgebat. Iam in his regionibus montes ſunt nulli, niſi vltra Volgam Riphaei, quos nunc Vergaturios vocant. Hi nobis in ordinando ſitu illarum gentium pro cynoſura erunt. Eſt quidem tota ripa occidentalis Volgae dicta *Nagorna* ſeu

mon-

3) l. IV. c. 21. 4) Herodotus l. IV. c. 110.

Digitized by Google

montana: sed qui eo in fluuio nauigarunt, montes nullos viderunt, tantummodo ripam altiorem, cum orientalis ripa paluſtris eſt et vna ingens planities. Ergo montes praeter Riphaeos, reliqui ſunt nulli. Sub radicibus horum montium Argippaei ab Herodoto ponuntur, iidem Sacri dicti et Calui a caluitie, quam et viri et mulieres ab incunabulis perpetuo ſeruarunt. Hi Calvi καὶ σιμοὶ καὶ γένεια ἔχοντες μεγάλα, iuris aequique periti legumque magiſtri, inuiolabiles non armis, quae nulla habent, ſed religione omnium circa eos populorum. Ad eos Scythae et Graeci mercatores a Boryſthene et Ponto omni commeabant. Scythae ad eos ſe proficiſci dicebant, per ſeptem interpretes et linguas. Neceſſe eſt igitur, multos populos minores diuerſarum ſtirpium interiectos fuiſſe, qui nunc ignorantur. Vltra Argippaeos ad boream nemo peruenit ob altitudinem montium, quorum ad radices Argippaei agebant. Argippaei ferebant, intra eos montes colere Aegipodas, vltraque eſſe, qui ſex menſes dormiant, quod extremam indicat ſeptemtrionem. Ad orientem Argippaeorum Arimaſpi erant, ita, vt his quoque eſſent ad boream Aegipodes et Gryphes auri cuſtodes. Supra omnes Hyperborei incertis ſub arcto ſpatiis collocantur. Omnes hae gentes ſupra Argippaeos et Iſſedonas neque Scythis neque Graecis mercatoribus noti fuere: ſoli Argippaei et Iſſedones de iis aliquid ferebant. Iam Maſſagetae ſub ortu ſolis, trans Araxem, ad Caſpium mare e regione Iſſedonum ampliſſimis terrarum tractibus continebantur. Iſſedones autem ad occidentem habebant Argippaeos vicinos, ad boream Arimaſpos, ad meridiem, forte et ad orientem Maſſagetas, et pertingebant ad Caſpium mare, vt haec dilucidius ex ſubiecta a nobis tabula adparebunt.

Sic igitur Herodoto duce gentium illarum ſitus deſcripſimus, vt natura ſpatiorum et indicia probabilia pati ſunt viſa. Quantum a nobis diſſentiat Olaus Rudbeckius et quam vagis ratiociniis populos illos per omnem

ſeptem-

Digitized by Google

septentrionem ferat, in compendio dicam. Callipidae, inquit, sunt ad Boryſthenem. Halizones, vbi nunc Halizum est. Scythae Aratores in Polonia Liuoniaque. Neuri ad Viſtulae orientalem ripam, ad Narvam vsque, denique Scythae Agricolae, qui ad orientem Boryſthenis erant, in Moſcuenſibus agris. Scythae Regii sunt Tattari Crimenſes. Melanchlaeni sunt Moſcuenſes ad Ladogam vsque et Onegam. Budini sunt ad Baltheum mare. Thyſſagetae in Carelia et Sauolaxia. Iyrcae sunt in Ruſſia ad Iyrgowitz. Scythae Calui sunt Lappones, Sacri sunt Vpſuiones. Argippaei sunt Sueci, qui ab *Arkippar* Suecico vocabulo *telis pugnare* dicti, ad quos Scythae per septem linguas commearunt, Polonicam, Ruſſicam, Lithuanicam, Eſthonicam, Finnicam, Lapponicam. Iſſedones denique sunt in Eſthonia. Quibus ego confutandis non immorabor, cum per se quisque nullo negotio intelligere poteſt, ex iis, quae diximus, nimis ſoluto vagoque cursu tetendiſſe a Boryſthene in Scandinauiam, vt nec flumina, nec montes, nec paludes retardarent, Euro leuiorem vento, atque eo in cursu seminaſſe paſſim Scythas Herodoti, veluti dentes Cadmei draconis.

Nicolaus Vitſenius in prima editione ſeptentrionalis et orientalis Tartariae 5) parte prima de regionum harum antiquis incolis egit Herodotumque produxit, ſed nusquam explicuit. In altera autem editione 6) partem illam primam prorſus omiſit. Ne quis denique miretur a nobis Eridanum Herodoti et Venetos iis in locis poni. Diximus cauſſam in diſſertatione de numo Rhodio, et dicendi erit locus aliis, cum multa praeterea, quae hic praetermiſimus, explicandi poteſtas dabitur.

5) *Noord en Ooſt Tartarye* Amſt. 1692. f. 107.
6) Amſt. 1705.

DE

DE MVRO CAVCASEO.

Cum Petrus Magnus Derbentum et circumiectas regiones bello Persico deditione in potestatem accepit, vt erat animo non modo in belli pacisque consilia erecto, sed etiam qui grauissimas imperii curas tali otio temperaret, ex quo aliquis doctrinae honos, artibus accessio, publice priuatimque fructus et vndique gloria compararetur, quidquid spectatu dignum in illa expeditione occurrebat, partem per se contemplatus est, partem per fidos industriosque homines explorauit. In primis aduertere exercitus Russici oculos inaccessa Caucasi iuga, communita castellis et muro, vt adparebat, firmissimo et vt tradebatur a gnaris regionum, vasta longitudine porrecto inter Caspium mare et Pontum. Pars muri, quae subiecta erat oculis, de omni reliqua mole coniecturam mouebat, quanta et quam admirabilis esset, praesertim in illa solitudine, super illis montium fastigiis et cum praeterea hominum seruo et ipse lapidum color ad vetustatem vltimam tam insignis artificii opus referret. His rebus incensus ad spectandum muri situm Demetrius Cantemirus Moldauiae Princeps ad Imperatorem se contulit, ostenditque cupere se, suscepta circum murum excursione, tam nobile gentis alicuius rerum dominae monumentum explorare. Collaudatus ab Imperatore cum viginti admodum dimachis murum, qua potest, obit, tractum eius, diuergia, propugnacula et vicina muri describit, viam metitur. Longius processuro metus obiiciebatur a Dagestanorum insidiis, quas manipulus ille, si vndique in ignota et confragosa regione barbari

bari coorirentur, effugere non poterat. Redüit Cantemirus e discrimine tanto sub vesperam incolumis, et quae cognouerat, in commentarios retulit. Ad ceteras virtutes eo in Principe summa animi magnitudo erat, multo vsu periculisque exercita, et doctrinae eruditionisque incredibiles amores, vt, quae ad veterum superiorumque temporum memoriam in horum populorum rebus requireres, haud aeque ex alio cognoscere posses: cuius laudis testes sunt commentarii, quos partem perfecit de Turcarum et Moldauorum rebus, partem de antiqua Dacia, aliosque complures adfectos reliquit. Chartas, in quibus muri situm descripserat, communicatas accepi ab Antiocho Cantemiro Principe patris virtutum aemulo et imitatore studiorum: commentariorum quoque laceras schedas, in quibus perpauca, quae memoriam fugitura sunt visa, nouauerat, eiusdem beneficio Principis excussi, interea dum carerem maxima parte eorum, quae sapientissimus Demetrius ab se animaduersa, e memoria repetiturus fuerat, nisi diabetes, cum eum in Derbentina expeditione inuasisset, paullo post incomparabilem virum extinxisset. Elaborandum igitur mihi videbatur, vt monumentum, quod doctissimi Principis eruditione et luce ingenii multo illustrissimum futurum erat, ita ex antiquitate explicarem, vt desiderium illius aliquantum lenirem mea opera.

Demetrius igitur tractum muri, quem obiit et orgyis stadiisque Ruthenicis dimensus est, et montium vicinorum conualliumque situs et viarum anfractus recessusque inter equitandum tumultuario opere consignavit, in castris autem paullo exactius descripsit. Sunt fortasse in his quoque, quae retractaturus ad amussim erat: sunt quae nos dubios relinquunt. Quia autem nihil, quod eo pertineret, in schedis Principis repertum est, maluimus ita, vt consignatam accepimus tabulam, pu-

Digitized by Google

publice exhibere, (Tab. VII.) quam priuatim quidquam ex coniectura immutare. Atque vt inde ab vrbe incipiamus, a qua est profectis, et quum ex eius schedis diligenter descriptam habemus, Derbentum caput Schirwani (quae prouincia a Cyro flumine ad territorium vrbis porrigitur, ex quo Dageſtana, hoc est, montana regio ad Circassios vergit) ad mare est situm in loco decliui. Inde iam occidentem versus mons in asperam rupem surgit, in qua arx locata est. Eam ex vrbe petunt per portam *Kyrclar*, et via media est fossa per durissimum excisis saxum, quadraginta in longum orgyias, in latum quatuor, tres in profundum. Ab summa arce ad centesimam orgyiam pagus est *Piridimisky*, quasi *genium* seu *daemonem Damascenum* dicas. Est enim in illo pago monumentum cuiusdam *Piridimisky*, quem Damasceni filium regis fuisse perhibent. Titulum in ingenti sculptum lapide Demetrius legere non potuit, quod litteras Cufieas et ipse ignorabat et nemo alius, qui interpretaretur, erat. In vrbe turris diuerso a ceteris et squalidiori lapide ad septemtrionem constructa, vltimam antiquitatem referebat: et adfirmabant ciues, hic Alexandrum coepisse fundamenta vrbis iacere. Sunt autem, si ab arce descendas ad mare, in septemtrionali muro hae vrbis portae. Prima *Driardizi Capusi*, altera *Kyrclar Capusi*, tertia *Babulbab* seu *porta portarum*, magnificae structurae opus, quod adhuc vetus nomen vrbis conservat. Latum est duas orgyias, altum vnam. Superius limen non arcus in modum testudine firmatur, sed lapides ingentes postibus ad rectos angulos innituntur, nullis inter se ferramentis deuincti. In subterranea portula (*Babulkyiamar*, *portam extremi iudicii* vocant) figurae, incertum an hieroglyphicae, exstant. Ferunt autem, portulam aequali cum ceteris altitudine exstructam paullatim subsediſſe, et cum tota hausta fuerit, censorium illum humano generi adfore diem. Ab vrbe profectus

Deme-

Demetrius per ſeptem ſtadia Ruthenica, *) vt ipſe teſtatur, murum explorauit. Adparet enim e tabula, exploratas ab eo fuiſſe 3285 orgyias, quae efficiunt ſex ſtadia et ducentas octoginta quinque orgyias reliquas. Nam cum excelſa iuga, ſcrupeam viam et ſaltus vallesque ſtudioſe perreptat, dum metitur murum, dum ſub meridiem corpus curat, eundo redeundoque dies effluxit. Addit tamen in ſchedis Demetrius, certo conſtare, murum ad fontes Ihrani fluminis in finibus Georgiae per quadraginta et quinquaginta ſtadia produci. Illius ego fluminis nomen nusquam locorum in Georgiae limite reperio, igitur venit mihi ex dimenſione illa Demetrii et ex ipſo ſitu in mentem, eſſe fluuium *Yori* in tabulis Delilianis ad 63. gradum longitudinis et $44\frac{1}{2}$ gradum latitudinis. Montes conſpiciuntur ad Derbentum diuerſa altitudine: ſummum faſtigium eſt montis *Schadagy*, quaſi *Regium* dicas *montem*, quia Nuſriuanus filius Kieicubat in eius vertice domum condidit, in quam animi cauſſa recreandi nonnumquam diuertit. Altitudinem quadrante dimenſi, octodecim ſtadiorum obſervaſſe ſibi ſunt viſi. Secundus ille ab Ariarathe habetur, mediam amplius partem niuibus obtectus. Montes plerique in Caucaſi tractu, vt a Conſtantino Principe Demetrii filio, qui cum patre murum obiit, accepimus, praerupti et aſperi rupibus virgultisque conſiti, nonnumquam in cacumine planitiem protendunt. In conuallibus ſunt vineae. Vnum vicum ſe videre Conſtantinus meminit, in quo Iudaei Perſicae Ebraeaeque linguae callentes. Per montium iuga et valles murus continuatus, nunc in ruinis iacet. Turres quaedam cum portis integrae, praeſer-

*) Stadium Ruthenicum dicitur *Verſta* et continet 500 *Saſchen* ſeu Orgyias Ruthenicas. Vnum Saſchen habet 3 *Arſchin* ſeu vlnas Ruthenicas. Vlna vna Ruthenica eſt aequalis $28\frac{8}{100}$ digitis Londinenſibus.

Digitized by Google

fertim in vallibus, Moſcuenſis vrbis turribus non diſſimiles. Craſſus eſt murus orgyiam Ruthenicam tantummodo vnam. Lapides ſunt, vt Xenophonteo verbo vtar, κογχυλιάτοι, quales ea in regione reperiuntur, trium vlnarum Ruthenicarum longitudine, craſſitie vnius vlnae: lateres nulli vsquam viſi. Nec ferramentis aut caemento deuincti ſunt lapides, ſed politura ſola et ſtruendi artificio ita commiſſi, vt vix rima adpareat. Non omittendum duxi hoc loco, quod cognitum eſt ab interprete Georgiani Principis, qui in hac vrbe aliquanto tempore egit. Hic Princeps cum cogeretur, ab inſidiis in tuta ſe recipere, Teſliſio ſeptemtrionem verſus Oſſetum petiit et inde ad radicem Caucaſi vertit in Tuchetum, tum in Tianetum et Eretum, donec in finibus Schamachiae vrbis, ſuperata aſperitate montium, planitiem tenuit. Tum vero Bocuam conceſſit atque inde nauigiis Derbentum. Ab Oſſeto octo dierum itinere Caucaſum a ſiniſtro, et in cacumine eius, muri rudera conſpexerunt. In Delilianis tabulis, 1) ad Pontum Euxinum ſub 44. gradu latitudinis et $58\frac{1}{2}$ gradu longitudinis, prope ab Dandaro vrbe muri veſtigia notata ſunt, quae ſecundum Cudurum fluuium ab auſtro in boream vergunt, atque ad extremum paullulum inflectunt in orientem, quinque admodum et ſeptuaginta ſtadiorum Ruthenicorum tractu. Siue a Soſcamo Sabba Principe Georgiae, ſiue a Cruſio aut Zurabeco eius muri notitiam clariſſimus geographus habuerit, eſt profecto inſigne argumentum continuati inter vtrumque mare Caucaſei muri. Inueni poſtea P. Archangelum Lambertum miſſionarium e congregatione de propaganda fide, in itinere Iberico 2) murum illum, quem in tabula exhibet, ita fere deſcribere: *Regionem eſſe vaſtam, et murum ſupra ſexagies mille paſſus ductum: paſſim ab turribus et tuſtode milite defendi: a praecipuis vrbis Odiſci ciui-*

1) *Regionum vicinarum maris Caſpii* A. 1723. editis. 2) Dans le *Recueil de voyages au Nord* T. VII. p. 176.

Digitized by Google

ciuibus, singulis mensibus, delectos milites eo mitti, qui dimissis superioris mensis excubitoribus, custodiam agant: a mari regionem paullatim assurgere vsque in altissimum Caucasi culmen: inferiorem regionem, partem a natura et paludibus, partem ab arte et ligneis arcibus muniri, ne cui inultis militibus iter pateat. Iam ab hoc muro vsque ad eum fluuium, ad quem Cantemirus certo compererat murum ab oriente protendi, non magnum spatium intercipitur, in quo seu deleta sunt vestigia muri, seu non explorata et memoriae prodita.

Non dubito, multos fore, qui mirentur, cum relatum legent de tam nobili vetustatis monumento, per Petri M. expeditionem ab obliuione vindicato: alios, qui scire cupiant, quantum de eo ante hoc tempus cognitum fuerit: plerosque qui conquerantur de totius muri situ tractuque non penitus omnia exacta et comperta teneri. Quibus ego, quantum in me est, satisfaciam explicaboque quae memoria teneo: nam quae exploranda adhuc sunt, ea posteritatis cura esto.

Graeci fere aliquid de Caucaso monte (quem Scythae *Graucasum a candida niue*, quasi Alpes quasdam adpellarunt) 3) per Ponticas colonias cognouere. Eum igitur, quod in regione longinqua (vt tum erat) atque idcirco fabulis apta situm existimabant, duriori supplicio mulctatum Promotheum credidere, si e Iouis mandato ad Caucasum alligaretur, quo vtique liberatum eum veniret nemo, nisi Hercules aliquis. Hesiodus Promotheum tantummodo columnae alligauerat: at Aeschylus, primus, quod quidem constat, relegauit in Caucasum illum, qui inter Pontum et Caspia littora assurgit. Herodotus, quod Halicarnassi natus et in Asia multum versatus esset inter praefectos regios, earum conditionem terrarum, quae sub Persis continebantur, exactius quam quisquam alius cognouit. Is in Euterpe Caspium mare

3) Plinius l. VI. c. 17.

Digitized by Google

tradit quindecim dierum longitudine et octo dierum latitudine comprehensum, ad occidentem habere Caucasum praetentum vastitate et altitudine eximia, multisque diuersarumque nationum mortalibus frequentatum, qui vestes pingebant succo, ita vt animantium figurae non pictae, sed intextae viderentur, durabili lanae colore. Eo monte (vt is in Thalia ait) Persarum imperium terminabatur, et ab eius incolis quinto quoque anno centeni pueri et totidem puellae tributum mittebantur regi. Ad septemtrionem Caucasi nihil iam Persici iuris erat et ad orientem Caspii maris planities immensi spatii, Massagetarum sedes, nota erat. Claustra quoque duo in Clio obscure attingit, per quae Cimmerii Scythaeque diuersis regionibus viisque effusi sunt in superiorem minoremque Asiam. Nihilo notior Caucasus per expeditiones Alexandri imperiumque Lysimachi aut Asiae Syriaeque regum, quoniam illorum quoque res in obscuro iacent. L. Lucullus, rebus aduersus Mithridatem gestis, haud longe ab eo monte abfuit. Cn. Pompeius Romanorum primus prope a Caucaseis claustris consedit. Lucanus 4) Pompeium ita loquentem inducit in Pharsalicis:

Si vos, o Parthi, peterem cum Caspia clauſtra,
Et ſequerer duros aeterni Martis Alanos,
Paſſus Achaemeniis late decurrere campis.

Ex eo tempore clauſtra duo Caucasi, ad orientem Caspia, (a vicino mari, a quo etiam tractus montis ad orientem diuergens, Caspius dictus, si qua Eratosthenis fides,) 5) ad occidentem Caucasea innotuere, temere inter se confusa a scriptoribus, quod Plinius non vno loco reprehendit. Ita Lucanus perperam vocat Caspia, cum ea Pompeius, aut Romanus quisquam imperator numquam

4) l. VIII. v. 222. 5) Apud Strab. f. 568. ed. Henr. Petri.

Digitized by Google

quam attigit. Nam, vt de Pompeio dicam, is, quod ex Appiano et Plutarcho liquido constat, postquam ad Euphratem assecutus Mithridatem, magno nocturno proelio superauit, fugientis vestigiis inhaerens, primum diuertit in Armeniam, progressus deinde in Albaniam, (quae intra Caucasum Armeniamque sita erat,) in Iberos ad opprimendum Mithridatem mouit. Mithridates autem, cum interim Dioscuriade hibernasset, perlustrata in circuitu ora Pontica, profugit in Bosporum et ad Scythas. Ea via sequi oportebat Romanos. Itaque, vt Appianus dilucide habet, 6) clausira Scythica, qua nemo penetrauerat antea, Pompeius insedit et in reditu Albanis ob defectionem bello illato, illico vertit in Armenos. Cum ad Caspium mare tenderet, obiecta ei sunt terriculamenta ab aliis alia, et praecipue serpentum multitudo, teste Plutarcho: 7) misit tamen suorum aliquos exploratum, atque aquam e Caspio mari allatam, vt ante eum Alexander, vt nuper Ruthenicus quoque exercitus, dulcem reperit. Ita enim est in littoribus, qua flumina accipiuntur, nondum amisso sapore. Eodem errore Plinius 8) etiam eos, qui Corbulonis res in Armenia sub Nerone gestas enarrauerant, Caspia et Caucasea clausira confudisse indignatur. Addit deinde etiam 9) tabulam earum regionum a Corbulone missam in vrbem, nomen Caspiorum clausirorum isthic ponere, vbi Caucasea erant. Ergo Cornelius Tacitus quoque alicubi 10) ab errore eo circumuentus est. Claudius Ptolemaeus Caucaseas portas in Iberia Sarmaticas dixit, Caspias vero, Albanias, et has nimis longe remouit a mari Caspio, nisi fortasse aditum, vbi primum Caucasi iuga separantur et conualli locum faciunt, indicare voluit.

Quales autem illae portae fuerint, e Varrone, sine is, quo vsus est Plinius, M. Terentius, sine P. Aticinus sit, vterque Pompeio vsque ad summum discri-

6) p. 400. ed. Tol. 7) f. 638. 8) Plinius e Varrone.
9) l. VI. c. 13. 10) Annal. l. VI. c. 33.

Digitized by Google

men familiaris) e Varrone igitur et M. Agrippa nobis constaret, nisi commentarii eorum intercidissent. Nunc incertum est, quantum ab alterutro acceperit Plinius, quantum e Corbulonis commentariis inseruerit. Nam Corbulo rebus magnis in Armenia gestis, adeo Romanos impleuit fama clauſtrorum Caucasi, vt Nero, in vanis glorioſus, expeditionem in Sarmatas moliretur per Caucaſeas portas, quas Caſpias peruerſe dicebant, quamvis, vt ait Plinius, [1]) a portis Caucaſeis vix pateret aditus ad Caſpias, per oppoſitos montes. Plinius igitur, ſeu ab expeditionis Pompeianae comitibus et exploratoribus, ſiue a Corbulonis militibus acceperit, Caſpias portas, ſcribit, [2]) „inter iuga praerupta anguſto tranſitu „ſitas, longitudine VIII. millium paſſuum, *toto opere „manu facto*, ita vt vix ſingula plauſtra commearent: „dextra autem laeuaque ambuſtis ſimiles ſcopulos impen„dere: aquae inopiam in XXXVIII. millia paſſuum (in „quibusdam codicibus tantum XXVIII. M.) perdurare: „anguſtias impedire corriuatum e cautibus ſalis liquorem, „tum ſerpentum multitudinem tranſitum, praeterquam „hieme, non permittere.“ De portis Caucaſeis autem Plinii apponam verba: [3]) *Portae Caucaſeae magno errore a multis Caſpiae dictae, ingens naturae opus montibus interruptis repente, vbi fores obditae, ferratis trabibus, ſubter medias amne diri odoris fluente, citraque caſtello, quod vocatur Cumania, communito, ad arcendas tranſitu gentes innumeras: ibi loci, terrarum vrbe portis diſcluſo, ex aduerſo Harmaſtis oppidi Iberum.* Praecipua illa Iberiae vrbs eſt, quam Ptolemaeus Harmacticum vocat.

Poſt id tempus nihil magnopere de Caucaſeis Caſpiisque portis eſt relatum, vsque ad Conſtantinopolin ſedem imperii Romani conſtitutam, vbi et vicinior Caucaſus erat vrbi rerum orientis potenti et barbarorum irruptiones in Armeniam, Aſiam, Syriam conſecutae ſunt frequentes, de

1) l. VI. c. 13. 2) l. VI. c. 14. 3) l. VI. c. 11.

Digitized by Google

de quibus tam Graeci quam Syri ſcriptores commemorant. Itaque Claudianus ſub Arcadio, paullo ante Stiliconis caedem, de bello Getico canens, inquit:

Nonne videbantur, quamuis adamante rigentes,
Turribus inualidis fragiles procumbere muri,
Ferrataeque Getis vltro ſe pandere portae?
Nec vallum denſaeque ſudes arcere volantes
Cornipedum ſaltus, iamiam conſcendere puppes
Sardoniosque habitare ſinus et inhoſpita Cypri
Saxa parant, vitamque freto ſpumante tueri.

Secundum eum Procopius Caeſarienſis multis rebus in oriente admotus, Caucaſi portas duas Tzur et Caucaſeam in bello Gothico 4) nominat. In bello Perſico autem 5) portas Caucaſeas ampliſſime deſcribit. Ait enim: Taurum Ciliciae excurrere in Armeniam, Perſarmeniam, Albaniam et Iberiam, et quanto procedit longius, tanto accreſcere in altitudinem: traps Iberiae fines inter arctiſſimas anguſtias eſſe tramitem, ſeu clauſtra quaedam L. ſtadiorum longitudine et deſinere in monte praerupto et inſuperabili, niſi, quod per eum natura ſic eſt molita exitum, vt manu patefactus videatur. Eam portam Caſpiam ab antiqua vsque memoria adpellari ait. Egreſſis portam aperiri campum vbertim irriguum, ampliſſimo regionis ſpatio et alendis aptum equis, in eoque Hunnos ad Maeotin vsque colere, qui inoffenſo itinere vsque in Iberiam hac excurrere poſſint equites, alia via nec ſine ſumma moleſtia, nec niſi omiſſis equis penetrari eodem poſſe: neceſſe enim eſſe praecipitia montium et anfractus cum diſcrimine perreptari. Eam montis clauſtrorumque naturam Alexandrum contemplatum portam muniuiſſe valuis et caſtellum ſuper ea poſuiſſe, vt ſeptemtrionales populos includeret. Cum Procopius

4) l. IV. c. 3. 5) f. 28. ed. Pariſ.

Digitized by Google

Caſpiam portam dicit, quae erat Caucaſea, ea vetus multorum fuit offenſio, vt ſupra e Plinio docui. Et is error adeo infecit omnes ſcriptores, vt cum nomine memoria ipſa Caucaſearum portarum paullatim aboleretur. Caſpiarum autem portarum (quae ex eo tempore celebriores euaſerunt) hanc deſcriptionem Euſtathius Theſſalonicenſis in parecbolis Dionyſianis 6) dedit: Medos in orientem eſſe verſos vsque ad Caſpias portas, quae intra Mediam continentur clauesque Aſiae adpellantur: montes autem eſſe, aut potius praeruptas rupes in modum portarum, et ſeu a mari, ſiue a Caſpiis incolis nomen habere: hac a ſeptemtrione in Hyrcaniam et Caſpiam Perſiamque iter eſſe, gentesque boreales tranſitu prohiberi.

Haec fere ita de Caucaſeis et Caſpiis clauſtris noſtri homines prodiderunt, nemo autem ex omni vetuſtate, ſeu Latinus, ſeu Graecus ſcriptor, muri, qui ductus eſſet in Caucaſo, mentionem iniecit. Arabes vero et Perſae murum hunc celebrant ſcriptis et nomine

سو ياجوج وماجوج

ſeu aggeris obiecti Gogo et Magogo. Thomas Hyde in epiſtola de menſura et ponderibus Sinenſium, exiſtimavit ſe illum murum in Sinis reperiſſe. In eo autem eruditiſſimum virum ratio fugit. Abulgaſus Bagadur Chan in *Schagjare Turki, genealogia Turcarum*, de muro Sinico fatus ait:

في عرب سد دير تركي برلان دورقورقه
ديرلار خطاي خلقي اونكو يه

Arabice vocatur Sed, quod Perſice eſt Dir ſeu porta, veteri lingua Turcica Turcurga, Chataica ſeu Sinica lingua Vngu li. Haec ita corrupte ſcripſit Abulgaſus, cor-

6) Ad v. 1034.

corruptius in Ruthenicam, ex ea in Germanicam, sic denique in Gallicam linguam translatus editusque. 7) Nam illud *Vngu li* est *Van li*, quod *decies mille stadia* significat, quo nomine Sinenses regni sui quasi moenia vocant. Ab eo muro autem Abulgasus distinguit hunc, quem Alexander M. opposuit gentibus *Jagjugj et Magjugj*, 8) quas Tattari dicunt, habere nares similes caninis, et murum aeneum nequidquam lingere adhuc: proxime autem ante illum extremum et censorium diem perrupturas moenia naribus esse. Ab hoc denique distinguit murum, quem *Nuschiruan* 9) e regione Schamachi circa regnum suum duxit.

Hic ille est, quem in ruinis adhuc iacere comperimus. Alter ab eo non est diuersus, sed fabuloso nomine et commentis Mahometanis obscuratus. Nam cum Mahometes in Surata decima octaua ab Alexandro inter duos montes murum condium ait, ex eo est quaesitum ab sectae illius et superstitionis hominibus, vbi terrarum is esset. Eledrisus multa ridicula tradit, Alsalemo Altargjeman (seu Interprete) auctore. Alsalemus ait, se missum esse a chalipha quodam, qui in insomnio aggerem hunc Alexandri inter terras suas et inter Gogum Magogumque medium, veluti patere viderat, vt qui ille esset agger, diligenter exploraret: dedisse sibi chalipham praesidium quinquaginta equitum et quinque millia denariorum et munus praeterea decies mille drachmarum, equitum autem vnicuique quinquagies mille drachmas stipendium et commeatum in annum vnum, centum denique mulos, qui aquam et necessaria alia portarent. Quis ille chalipha fuerit, neque Abdalla Ebn Chordaba, neque Eledrisus, qui memoriam rei ex Alsalemo conseruarunt, prodidere. Quoniam autem Alsalemus pro-

7) p. 118. 119. 8) In Germanico et Gallico interprete *Jadsutz-madzutz* l. c. 9) Ex quo illi fecere *Nau - Schiruanadill Sultanum Sazaarem Schamathiae*, inuito Abulgaso.

Digitized by Google

fectum se refert ab vrbe Sermenraia, ex eo notam temporis duco. Nam Motâsemus chalipha Abbasidarum octauus, sub auspicium principatus, quem A. C. Iocccxxxiv. iniit, sedem imperii Bagdado transtulit Sermenraiam, haud longe a Bagdado sitam ad Tigrim. Ceteri chaliphae deinceps ad Motadedum, eadem in vrbe commorati sunt. Motadedus A. C. Iocccxciii. sedem imperii Bagdado restituit. Sex igitur chaliphae, annis fere sexaginta, Sermenraiae egerunt, eoque tempore plerosque interpretes Graecos inter Arabes fuisse ex Abulpharagio intelligimus, quorum numero hic Alsalemus Altargjeman inserendus est. Alsalemus Sermenraia cum litteris chaliphae profectus est ad Isaacium Ebn Ismael Armeniae dominum, *Tephlisium*. Ab Armeno cum commendaditiis litteris ad regulum *Alsarir*, atque deinceps ad regulum *Lan* et dominum *Phila∫chae* peruenit. Ab hoc quinque impetratis ducibus, septem et viginti diebus ad extremos fines regionum *Besegerd* penetrauit. Haec tam obscura nomina in Romana editione (in qua Eledrisus pessime habitus truncatusque meliori parte est) interpretari nos oportet. A Tessisio venit in *Alsarir*, quae regio sita est ad Caspium mare et *Alserir Aldeheb* (*thronus aureus*) vocatur, in qua censetur Derbentum. *Lan* videtur corruptum ex *Labgjan*, quae vrbs in Gilana regione est, Laginum Europaeis dictum, quadritui via a Casbino. *Phila∫chah* quale sit, augurari non possum. At *Besegerd* est regio *Besa*, seu vt Arabes pronunciant, *Phasa*, quasi *borealem* dicas, quod ad ortum brumalem Persepoleos vrbis sita est. Hinc in regione nigra (Cimmerias tenebras inaudiuerat vanissimus homo) decem itinere dierum adeo foetere aerem sensit, vt aegre dirum odorem balsamis temperaret. Itinere mensis vnius, per loca a Gogo Magogoque vastata confecto, denique post sex alios dies ad Chacanum Otcos venit, qui propinqua monti huic tenuit, cuius in hiatu agger erat. Hic ille murum inspexit duobus fere

Digitized by Google

fere ſtadiis ab vrbe ſitum. Ex eo conſequitur, comminiſci eum iter per Perſiam Indiaeque aliquam partem. Nam in reditu quoque ſe ait ductum ab illis caſtellis verſus Choraſanum in Samarcandiam. Et cum ad Gihonem ſeu Orxanthum, in regione Ilak, a Schabalegico agro vsque ad exitum vallis Alſchaſch, etiam muri veſtigia, teſte Abulfeda, reperiuntur, hinc ille Alſalemus fabulae totius apparatum petiiſſe videtur. Agite ergo, inſpiciamus cum Alſalemo murum. Mons conſidebat in vallem centum quinquaginta Sauadicis ſeu Eracenſibus latam cubitis. Iſthie porta erat ferrea, quinquaginta cubitos alta, duabus paraſtatis munita, quarum vnaquaeque lata erat XXV. cubitos, extraque portam prominebat, craſſitie decem cubitorum. Tota porta conſtructa erat lateribus ferreis aere inductis. Paraſtatae autem quinquaginta cubitos altae, tectum impoſitum habebant centum et viginti cubitorum. Super tecto eminebat aliud aedificium vsque ad cacumen montis, cuius in ſummo culmine ferreae pinnae conſpiciebantur et in pinna quauis ſumma, cornua duo ſibi obuerſa. Valuae clauſae erant, vnaquaeque quinquaginta cubitos lata, quinque craſſa. Peſſulus quoque cernebatur ſeptem cubitos longus, vnum in ambitu craſſus. Is peſſulus viginti quinque cubitis a terra aberat, et quinque cubitis peſſulo altior ſera et clauis longa cubitum vnum et ſemis, cum duodecim anſis de catena pendentibus. Limen portae inferum decem cubitorum latitudine et longitudine centum cubitorum. Praefectus illarum arcium cum decem equitibus obire ſolitus portam, et malleis peſſulum percutere, tum vt audiant populi vltra portam, adeſſe cuſtodes, tum vt ipſi, quid geratur, reſciant. Ibi vero ferebant, ſe admotis auribus, murmur animaduertere ingentis populi, qui vltra colat. Non longe a loco illo caſtrum a ſe viſum refert, decem ſtadiorum amplitudine et arces duas prope portam, altas latasque ducentos cubitos, interque eas fluuium manare. In vna earum aſſer-

Digitized by Google

asseruari instrumenta, quibus exstructum sit propugnaculum et ferrea caldaria et cochlearia adesse, in quibus lateres ferrei sint apparati. Lateres quoque aliquot ab Alsalemo sunt visi, longitudine cubiti vnius et amplius, palmae autem vnius altitudine. Denique, vt fabula desinat in risum, visam narrat aliquando super pinnis muri, multitudinem hominum e gente Gogi et Magogi, quos adeo metuebant, quibus tanta clausira, tot arces, tot turres opposuerant, ferrea et aenea omnia, contra quos inaccessum natura sua montem muro et arte firmauerant: eorum autem tres vento adflatos decidisse de pinnis. Viros fortes et bellatores optimos opinabimini? immo vero duorum cum semisse palmarum pumiliones fuere.

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Ita ex somniis chaliphae exorsa fabula, in somniis Alsalemi desinit.

Gregorius Malatiensis quanto propius a Caucaso aberat, tanto probabiliora, quam ille Africanus Eledrisus, de situ muri protulit: neque is tamen sine commento. Alexandrum, ait, rogatum, vt *aggerem Jagjugj* exstrueret, murum condidisse ex lapidibus ferreis et aeneis, qui accenso igne in vnum solidum saxum coaluere, cubitos duodecim longum, octo latum: vbi autem eum perfecit, venisse ad locum aggeris magni *Babolabuab*, in conuallibus regionum *Kaphgjak*, effossoque fundamento, per montes ipsum produxisse vsque ad mare Romanum seu Constantinopolitanum *Colzum*. Regio قفجاق *Kaphgjak* ab Arabibus, Persis et Armenis etiam *Dascht* (quod Antonius Giggaeus *solitudinem* interpretatur, Golius autem *planitiem desertam*) et وشت قبجاق *Dascht Kaphgjak* vocatur. Situm eius Arabsiades in historia Timuri ita describit: 10) *Regio Dascht ab austro mare Colzum, impetuosum et naufragiis infame habet, et mare Mezri, porrectum inde a regione Romanorum seu Constantinopolitanorum.*

10) p. 108.

Digitized by Google

rum. Haec duo maria se contingerent, nisi montes Circassii interiecti essent, quo minus miscerentur: ab oriente habet fines regnorum Chouaresmiae et Otrar et Sagnak, et post ceteras regiones pertingit ad Turcestaniam, et terram Getarum, porrigitque se ad confinia Sinarum, in regnis Mogul et Chatai. A septemtrione autem Emirus Siberiae et Berar et Kaphar et arena est, sicut montes: et postea cingitur deserto, in quo ferae et aues siluestres vagantur, quae sunt recreationi principibus: nemo persequitur fines eius deserti et extrema eius nemo obit: ab occidente attingit regio Russiae et Bulgariae et quidquid christiani nominis prouinciarum est. Hanc regionis *Kaphgjak* descriptionem obscuram faciunt quaedam locorum ignota nomina, quae explicanda nobis sunt. Et primum ab austro est *mare Colzum.* Mohammed Alfraganus [1]) aliique ita vocant, sinum Arabicum, ab vrbe in littore Aegypti, quae Ptolemaei est Clysma. Arabsiades autem mare Caspium dicit. Est enim Arabi huic familiare, vt, quod vocabulum alienissimum est ab vsu, id maxime vsurpet. Bernardus da Parigi, [2]) Angelus a S. Iosepho et Meninskius Persis Turcisque *Calsun* et *Colzum* mare Caspium vocari testantur. Thomas Hyde autem [3]) Persam quendam producit, qui eius nominis tamquam imperite adhibiti caussa, reprehendit populares suos. Gregorius Malatiensis *Colzum* vocat Pontum Euxinum: sed aut Gregorius se fefellit, aut imperiti scribae manu hoc insertum fuit. Mare *Mezri* non Aegyptiacum est, sed Magnae Vrbis siue Constantinopoleos: nam مصر *Mezr* quamcunque *vrbem magnam* vocant. Montes Circassii est ipse Caucasus. Ad orientem terminatur notis regionibus. Chauoresmia et Turcestania non ignobiles. Regio Getarum est قتا *Kata*, vt Arabsiades et quidam alii, vt plerique autem, *Chata*, in quo auctor Logat Mesnaui cauillans ait,

1) p. 36. 2) *Vocabulario Italiano Turchesco* p. 1321.
3) *Commentario in R. Abraham Peritsol.* p. 65.

Digitized by Google

ait, qui sic scribunt, reuera خطا *Chata*, hoc est *errare* scribere. Cataia illa est extra Sinas, vetus Getarum nomen, vt alibi euictum dabo. Paullo obscurius Arabsiades Cataiam hanc et Mogulensem terram vsque ad Sinarum regiones intra *Kaphgjak* includit. Sed Tagj Altauarich Saadi Effendi in annalibus Ottomannicis et ex eo auctor Nimetullah seu lexici Persici, in voce *Turc* testantur, Cataeos et Chotenos incolere دشت قبچاق *Deshti Kaphgjak*. Abulgasius Bagadur Chan in



Schagjare Turki regionem hanc describit intra flumina تين واقبل وبايق *Tin et Atil et Jaik*. Tanaim dicit et Volgam, qui Etel etiam Constantinopolitanis scriptoribus vocatur et notum nomine suo Iaicum. Praeterea scribit in Kaphgjak coluisse *Vrussos et Olacos et Magjaros et Baskiros*, pulsos autem esse a Kaphgjako, qui filius fuit ducis cuiusdam in exercitu Oguzi Chani. Is quia postumus a matre in caua arbore editus, ab eo nomen habuit. Nam veteri lingua Turcica *caua arbor* est *Capschak*. Ab hoc regio, vt is ait, dicta, quod eam et ipse et posteri eius tenuerunt quatuor mille annos, vsque ad Gingiscanum. Sunt in his fabulosa, praesertim quod diluuium excedit ille Abulgasi calculus: attamen satis vetus id regionis nomen est, nec Graecis ignotum. Nam cum Polybius *Aspasiacas Nomadas* inter Tanaim et Oxum commemorat, 4) Ασπασιακαὶ plane corruptum est ex *Kaphgjak*. Planities autem ipsa Herodoto et Procopio quoque innotuit, eamque R. Abraham Peritsol vocat *deserta continentis terrae, pertinentia ad Gomer et Magog*, Plinius 5) autem *planitiem immensam et Aegypto similem*.

Me non poenitet, a proposito esse digressum ad explicandum huius situm regionis, quod et geographiae pars, quae magna obscuritate vrgetur, explicatior mea opera

4) p. 862. ed. Gron. 5) l. VI. c. 17.

Digitized by Google

opera euasit ad historiae lucem, et simul id effeci, vt nobis constaret, quibus in conuallibus aggerem Gogi et Magogi Gregorius reponat. Quod autem scribit ductum fuisse a باب الابواب *Babolabuab* ad Pontum vsque Euxinum, id nos magis confirmat. Nam Derbentum recentius nomen est a Persis inditum et دربند *Derbend, ianuae seu portae vinculum* significat, Germanicis fere vocibus. Turcae *Demir capi, ferri portam* dicunt. Et Haytho Armenus: [6]) *Mirulis*, inquit, *dicitur porta ferri, quam Alexander firmauit propter nationes gentium varias et diuersas in profundo Asiae habitantes, quas nolebat posse habere ingressum in Asiam maiorem absque suo mandato. Et est illa ciuitas sita in quodam districtu maris Caspii et tangit magnum montem Cocas. Cocas* est Caucasus. At Arabes hanc vrbem haud fere aliter quam veteri nomine *Babolabuab, portam portarum* nuncupant, in quibus Nassireddinus Tusaeus et Vlugbegus Tattarus eam longitudinis et latitudinis dimensionem ponunt, quae adhuc Derbento eorum auctoritate in tabulis tribuitur.

Quoniam illum adeo celebrem aggerem suis spatiis et regionibus definiuimus, de eo quaeramus, quod opinionibus et sermonibus orientalium populorum vulgatur, Alexandrum M. auctorem conditoremque eius muri esse. Non opus est, vt commoueamur, cum tot testes Arabas, Persas, Tattaros nos circumsistere et vrgere videmus. Nam fieri aliter non potest, quam vt fabulentur, cum Mahometem suum sequuntur, fabulatorem inficetum et ridiculum. Gregorius Malatiensis quidem e Iacobitarum secta Maphrianus fuit, sed et is adulatus est Mahumetanis, quocumque potuit in loco, vsque ad turpitudinem, et tantum non fuit eius iudicium, vt satis scirent, *quid distent aera lupinis.* Mahometes autem in Surata XVIII. ita scenam instruit: Dulkarnainum ex mandato Dei progressum vsque ad eum locum, vbi

6) p. 9.

Digitized by Google

vbi primum sol oritur, inde prosequentem iter intra duos veniisse montes, intra quos populi, nescio, qui, eum exorauerint, vt se contra Gogum et Magogum defenderet ducto aggere: illum vero ope eorum ferrum liquefactum ad murum construendum adhibuisse, vaticinatum praeterea, fore aliquando, superante Gogo et Magogo murum, vt ferrea illa moles in cineres subsidat. Quid huic homini facias? Elephanti corio circumtentus fuit, non suo. Interim assentatores eius illud Artrotrogi mussitasse videntur: *assentandum est, quidquid hic mentibitur.* Verum in hoc loco interpretes nonnihil dissentiunt. Sunt, qui illum Dulkarnainum contendunt fuisse Arabiae Felicis regem, filium Harethae et patrem Abrahae regum, quorum ex genere Balcais regina Sabae fuisse fertur, quae ad Salomonem venit. 7) Maior autem meliorque pars Alexandrum a Mahomete hic indicari sentiunt, quem cur *Dulkarnain* seu *bicornem* dicant, multae sunt sententiae ab eruditis explicatae. Nec vero haec de Alexandro finxit Mahometes, sed anîles fabulas e Iudaeorum, Arabum, Graecorum scholis et circulis acceptas, tamquam Palladia intulit in commentarios suos *summaque in arce locauit.* Iosephus autem inter Iudaeos primus est, qui tribus verbis Alexandrum claustra Caspia ferreis portis communiuisse tradidit. 8) Cuius quanta in his fides sit, vel ex eo puto liquere, quod Alexandro Pamphylium mare scribit ita ad transitum se apperuisse, vt Iudaeis, Mose duce, sinus patuerat Arabicus, 9) καὶ τοῦτο inquit πάντες ὁμολογοῦσιν οἱ τὰς Αλεξάνδρου πράξεις συγγραψάμενοι. Quae illa est impudentia! Rem eandem de Alexandro, auctore muri et debellatore Caucaseorum populorum orientales omnes in scripta retulerunt, quo etiam illud spectat, quod Mufladinus Sadus Schirasensis in Gulistan canit, Alexandrum magnis cum molestiis ingressum esse Cimmerias tene-

7) Abrahamus Ecchellensis in *chronico orientali* f. 254
8) De B. I. l. VII. c. 29. 9) In archaeol. *l. II.* c. 7

Digitized by Google

tenebras. 10) Samaritani autem in libro Ioſuae, ſeu chronico gentis ſuae ſub primis Conſtantinopolitani imperii temporibus edito, (quod e codice Goliano deſcriptum habeo) Alexandrum comminiſcuntur, Indiam, Perſiam et *BiladilRum*, hoc eſt, Aſiam minorem et quidquid in Syria Meſopotamiaque Romani iuris eo tempore erat, ceterasque prouincias ſub iugum miſiſſe, tum autem deſiderio videndi *terram Seir* ingreſſum eſſe tenebras: *Et ingreſſi ſunt* (Macedones) *iter trium dierum in tenebris, deinde tenuerunt terram, quae ſupra regionem hanc ſita erat et hoſtiliter inuaſerunt contemplatique ſunt in luce.* Tum vero gemmarum, vnionum, aurique montes viſi ſunt: quid enim e Cimmeriis tenebris repente prodeuntes et ad deſuetam lucem caecutientes non videre ſibi viderentur? De muro tamen illo nihil Samaritani. At Hegeſippus, non ille quidem adeo antiquus, ſed qui plurima a Iudaeis, hoc eſt, e vano hauſit, ita omnia narrat: „Per clauſtra ferreae portae, quae Alexander „praerupto Tauri montis iugo impoſuit, cum ceteris „gentibus fuiſſe coercitos Alanos: incoluiſſe autem eos „Scythicum Tanaim finitimaque eius et Maeotin palu„dem, et veluti quodam carcere illius arte et ingenio „incluſos, vt ſuis ſe continerent terris, alienas non in„curſarent.“ Haec ita in oriente percrebuere, vt ad Procopii quoque aures peruenirent. Et Geruaſius Tilberienſis ſic fatur: 1) *In India eſt mons Caſpius, a quo mare Caſpium vocatur, inter quem et mare, Gog et Magog, ferociſſimae gentes a Magno Alexandro incluſae fuerunt, quae humanis carnibus et belluinis crudis veſcuntur.*

Iam quae ex incorruptis Graecorum monumentis comperta tenemus, ea minime nobis permittunt credere illis, Alexandrum ad hunc Caucaſum excurſionem feciſſe. Alex-

10) f. 503. 1) T. I. Script. Brunſuic. f. 911.

Digitized by Google

Alexander Olympiade CXI. 2. primo vere Eleunte ſoluit et ad Sigeum adpulit, ad Granicum autem pugnauit Thargelionis ſexto die, ſeu Maii Iuliani die XXII. Inde Cariam, Phrygiam, Lyciam, Pamphyliam ingreſſus, ſuperatis Ciliciae et Amanicis Tauri clauſtris in Syria ad Iſſum menſe Macmacterione, qui nobis October eſt, praelium alterum commiſit. Ex eo per ſe quisque intelligit, tempus Alexandro ſuperfuiſſe nullum, quo veluti otioſus excurreret ad Caucaſum. Poſt ea Tyrum obſedit ſeptem menſes et ſumma vi cepit Olymp. CXII. 1. Hecatombaeonis τριακάδι, ſeu Sextilis Iuliani viceſimo. Vrbe ea occupata Aegyptum petiit, ordinatisque rebus ab ora Helleſponti vsque in Aegyptum, ad Thapſacum rediit Olympiadis CXII. 2. Hecatombaeone, ſeu Quintili Iuliano. Cum exercitu Perſico pugnauit ad Arbelam ſeu Gaugamala, Pyanepſione, ſeu Nouembri menſe. Darius eo praelio victus mulieres et reliquum regiae ſuae apparatum ad Pylas Caſpias miſit. 2) Alexander autem magnis itineribus Perſepolin feſtinauit, et Darium in Media caſtra habentem ſecutus, cum iſthic neque Scythas, neque Caduſios auxilia ei miſiſſe, vt fama vulgauerat, ab Ecbatana cognouit, cum paucis equitibus perſecutus eſt fugientem in Parthiam. Hic quidem Arrianus ſcribit, 3) Alexandrum ex Media in Parthiam irrupiſſe per Pylas Caſpias, ſed quaecumque illa intra Mediam Parthiamque clauſtra fuerunt, non vtique ſunt Caſpiae, quae quaerimus. Quod ſane Plutarchus vidit; 4) qui ex eo argumentum ducit, Iberos Macedonum imperium declinaſſe, Αλεξάνδρου διὰ ταχέων ἐκ τῆς Ὑρκανίας ἀπάροντος, *quod Alexander raptim exceſſit ex Hyrcania.* Inde vero Bactrios et Indos adiit et ex his terris redux Babylone deceſſit. Non ſatis mihi eſt, coarguiſſe fabulam, niſi ipſam originem eius patefaciam. Alexander Zopyriona miſerat in Pontum, belli ducem. Is mouit in

2) Arrianus p. 205. ed. Blanc. 3) p. 208. 4) In Pompeio f. 637.

Digitized by Google

in Scythas, 5) hoc est, ad Caucasea claustra; et, si Macrobio credimus, 6) vsque ad Borysthenitas peruenit in armis. Caesus autem est cum XXX. millium exercitu. Nunc fabularum *accipe insidias, et crimine ab vno disce omnes.* Habes enim insigne exemplum ingenii eorum, qui superioribus seculis, ex minimis quibusque argumento suspicandi capto, alia commenta ex aliis seuerunt. Scythae (vt illi interpretabantur) et Sarmatae et Poloni, gens eadem vnumque corpus. Ergo victoria Scythica vertitur in gloriam Polonici nominis. Victi superatique sunt graui bello Macedones a Polonis, vt Vincentio Cadlubeco visum est, victus (quid enim dissimulem?) Alexander. Porro, Quirites! veritatem amittimus. In XXX. millibus non est verosimile caesos fuisse ad vnum omnes, sed aliquos cladi superfuisse. Quonam existimemus, eos se recepisse? Incluſi erant ab asperrimis regionibus et infestissimis gentibus. Spes omnis terrestri itinere per inuictos populos reuertendi conciderat. Ergo tutius mari Caspio et nauibus se committebant. Quo autem exitus patebat? Nempe in orientalem et septemtrionalem oceanum. Iam in portu nauigabant, cum Balticum e septemtrionali mari tenerent, et expedita erat via in Franconiam, Saxoniam, Prussiamque. Nam Scandinauia, vt veteribus visum, insula est. Vnum ego testimonium adponam e geographo Rauennate, 7), qui ea hausit ex Graecis: *A parte septemtrionale habet totus mundus finem praedictum oceanum, qui venit de India Serica Bactriana et portas Caspias,* (lege *portis Caspiis*) *qui oceanus tangit Scythiam eremosam, iterum Amazones, vbi eas, postquam egressae sunt de montibus Caucasiis, fuisse legimus: postmodum tangit ipse oceanus Roxolanos, nec non Sarmatas, item Scythas, postmodum Rerefenos, et Sidefenos: verum etiam Germani, vbi egit habitare,* (fortassis *etiam Germanos ibi aiunt habi-*

5) Iustinus l. XII, c. 2. 6) p. 238. 7) p. 293. ed. Porcheronis.

Digitized by Google

habitare,) *Danos*, *nec non Saxos* (*Saxones*) *etiam Frixos* (*Frisios*). Amazonas autem egressas, vt ait, e Caucasiis montibus, iuxta Calchidem ponit [8]) et *Scanziam* seu Scandinauiam non aliter quam insulam vocat.

Quid, malum, inquies, his coniecturis potest excogitari pinguius? Verum illud quidem, attamen vertere haec in historiam iis temporibus, cum tam infeliciter scriptores vtebantur vetustarum rerum monumentis. Itaque Otfridus monachus Francicas stirpes, Vitechindus Corbeiensis et Gotofredus Viterbiensis Saxonicas repetunt a Macedonibus. Albertus Stadensis etiam Prussicas, Rugianas et Holsaticas. *Inuenitur*, inquit, *quod reliquiae fuerint Macedonum et mortuo Alexandro, per totum orbem sint dispersi: quia enim Alexander virtute eorum deuicerat Asiam, eo defuncto, se illi terrae amplius committere non audebant, sed cum trecentis nauibus recesserunt, quae omnes perierunt, exceptis quatuor et quinquaginta, quarum octodecim Pruciam occuparunt, duodecim Rugiam, quatuor et viginti applicuerunt ad Albiam, quarum vna, trans Albiam, Silvam incoluit et succidit, in qua postea sunt inuenti et Holsati appellati.* Nondum satis exculta fabula, accessit Gobelini Personae nobile ingenium: iter enim aditusque omnes patefecit ὁ δαιμόνιος Macedonibus fugitiuis in Prussiam. *Macedones*, inquit, *quos Alexander apud montes Caspios, tamquam sibi fideliores ad custodiam patriae reliquerat, audientes eum esse mortuum, turbati sunt valde et perpendentes odium incolarum, per terram redire in Macedoniam desperabant: quare trecentis nauibus praeparatis, miserunt se in mare Caspium et diu nauigantes per mare oceanum, sedes sibi quaerebant: sed dum longius oberrabant, maris tempestate omnes naues eorum praeter LIV. perierunt, de quibus tandem XVII. naues intrabant Pruziam et XII.*

naues

8) p. 140.

Digitized by Google

naues terram Rugen et littora maris propinqua. Intelligitis, opinor, fabulas similes esse lolio, satas e paruo semine, nactasque vbera, sed luxuriantia magis quam culta ingenia, in immensum illis temporibus accreuisse, nunc vbi messis facienda est, purum historiae frumentum secernendum esse a lolio.

Est praeterea alia fabulae illius et huius origo. Alexandrum res gessisse ad Caucasum, a Graecis quibusdam Arabes acceperunt. In iis est Dexippus, 9) qui Alexandrum ad Caucasum et Maeotin, partis victoriis, in Indiam vertisse scribit. Dexippum Diodorus Siculus secutus est, 10) vt ex fragmentis illius colligo. Ceteri scriptores tantummodo Caucasum commemorant, omissa Maeotide. Vocant autem Caucasum, non hunc nostrum, sed Paropamisum supra Indiam et Bactriam. Originem erroris apperuere Strabo, 1) Plutarchus in Alexandro 2) et Arrianus in Indicis, 3) quamquam hic in historia Alexandri incautius egit, Aristobuli auctoritate deceptus, qui adeo stolide se dederat in historia, vt, cum in Hydaspe Alexandro recitaret, is librum eum abiiceret in fluuium, parum vt abesset, quin Aristobulum simul daret praecipitem prae indignatione. 4) Cum Alexander, superatis Bactris, in Sogdianam et ad Paropamisum deflexisset, venit Macedonibus in mentem Caucasus, quem in scena audiuerant Athenis, vt per Graeciam omnem, celebrari, atque vt eum in partem gloriae traherent, Paropamisum vocauere Caucasum, fluuiumque Orxanthum, vt Plutarchus putat, credidere esse illum Scythicis armis terribilem Tanaim. Iam ad Tanaim et Maeotin audiuerant Amazonas antiquitus degisse. Ergo eas quoque Alexandri rebus sine pudore miscue-

 runt

9) Excerpta Eusebii Graeca f. 57. et Cedrenus. 10) l. XVII. c. 83. 1) f. 787. 2) f. 690. 691. 3) p. 511. 4) Lucianus *quomodo historia conscribenda* p. 610.

Digitized by Google

runt elegantes homines. Veniſſe reginam cum magno comitatu quaeſitum ex Macedone liberos, et vt impletam ſe ſenſit, rediiſſe ad Tanaim ſuum. Apud Plutarchum multa exſtant, ex quibus haec vanitatis coarguuntur. Quis enim grauior eſt auctor Alexandro ipſo? e cuius accuratiſſimis ad Antipatrum mandatis hoc vnum proditum eſt, Scytharum regem nuptias filiae obtuliſſe. Et cum Oneſicritus haec de Amazonibus hiſtoriae ſuae inſeruiſſet, Lyſimachus rex, qui expeditionis ad Paropamiſum comes fuerat, recitantem Oneſicritum memorabili dicto repreſſit: καὶ ποῦ τότε ἤμην ἐγώ; *atque, vbi, malum, ego, cum hoc accideret, fui?* Vt autem ille de Caucaſo error Macedonum animis ſe inſinuaret, magna regionum imperitia effecit. Nam Graeci poſt Herodotum, vt ex Argonauticis maxime ſcriptoribus et Dionyſio Periegete et Euſtathii parecbolis Dionyſianis liquido intelligimus, Aſiam ſub ſeptemtrione omnem arctioribus ſpatiis contrahebant, vt Pontum Euxinum proxime ad Caſpium mare et aliquanto borealiorem ponerent, Maeoti palude Caſpioque mari alueo quodam communi coniunctis. Ita Tanaim ab oriente ducebant, et Caucaſum montem ſub Tanai porrigebant vsque ad extremum orientem. Turbato totius orbis ſitu, Choraſmios prope Colchos et Scythas ponebant et Pharaeſmenem Choraſmiorum regem, vt eſt apud Arrianum, narrabant, ad Ponticam et Scythicam expeditionem ſe Alexandro obtuliſſe ducem, veluti viarum, ob tantam regionis vicinitatem, gnarum. Nempe Diodorus 5) in deſcriptione Aſiae, ad orientem et ſeptemtrionem prouinciam recenſet vltimam Sogdianam et Bactrianam, haud longe a Tanai, et Indiam Caucaſo terminat. Idem ille Diodorus 6) Alexandrum tradit ſedecim diebus traiecto Paropamiſo, vrbem condidiſſe Alexandriam in Caucaſo, qua in Mediam via aperiatur. Habuit igitur in animo clauſtra Caſpia et Derbentum vrbem. Ab hoc quoque

5) l. XVIII. c. 5. 6) l. XVII. c. 83.

Digitized by Google

quoque orientali Caucaſo Polybius 7) Oxum fluere tradit. Praeter hanc geographiae adeo perturbatam faciem, alia res etiam Macedonas in errorem ſeduxit, Strabone iudice. Inuenerant in Paropamiſo ſacram quandam et horribilem ſpeluncam: eam illico comparabant cum tragoediis ſuis, in eaque Prometheum fuiſſe vinctum et ab Hercule liberatum ferebant. Talibus cothurnis inceſſit fides rerum ab Alexandro ad Caucaſum geſtarum. Neque id adeo mirandum eſt. Sunt enim in Alexandri rebus multa alia incredibilia, vt Hieronis alicuius aut Gelonis aut Clearchi res multo celebratiores euaſerint fide et auctoritate prodentium, quam tanti herois, ſicuti Arrianus cenſet. Et adhuc indignabitur quisquam, ſi orientales multo his vaniores, temere omnia credidiſſe dicimus, et confuſa perturbaſſe magis, et fabulis aſſuiſſe fabulas?

Quae neque futura, neque facta ſunt, tamen illi ſciunt.

Falſon' an verò?

Non flocci faciunt: dum illud, quod lubeat, ſciant.

Ex quo fonte igitur opinio illa manauerit, inuicte declaraui. Simul adparet, qua cauſſa Derbentum ab Alexandro conditum ferant. Nam, vt Arrianus 8) habet, ad Paropamiſum Alexandria ab eo eſt condita. Plinius 9) oppidum illud ſupra Indiam collocat. Eius rei memoria conſeruata eſt, ſed tracta in diuerſa, gentium ambitione. Nam Mugalenſes quoque contendunt in regione ea, quam tenent, Alexandrum res geſſiſſe et vrbes condidiſſe. Teſtimonio illis ſunt loca, nunc deſerta quidem, ſed ruinis ingentibus aduertentia oculos iter facientium, quorum octo numero nonnemo cum per Selengam Sinas peteret, ſe animaduertiſſe Nicolao

7) p. 863. 8) p. 230. 9) l. VI. c. 23.

Digitized by Google

Vitſenio 10) retulit. Nec tantum eductas e ſaxo domos, ſed ſtratas quoque lapide vias. Haud longe a muro Sinico rudera et columnae lapideaeque turres adparent. Haec oppida Alexandrum euertiſſe Mugalenſes opinantur. At in alia Mugalenſium deſertorum regione 1) vrbs eſt *Iki Burchan Koton* ſeu *Trimiugzing*, (Rutheni *Bogatiri*, hoc eſt, *heroum vrbem* vocant) eam autumant vrbem Alexandrum condidiſſe. At, vt diximus ſupra, alii Alexandriam eam ponunt ad Caſpia clauſtra, rurſum alii ad Caucaſea, vbi adhuc nominis illius oppidum eſt. Non, quo ab Alexandro conditum putem, ſed quod ſeu nomen eius in omni fere Aſia illuſtre, impoſitum eſt vrbibus etiam poſteriori tempore conditis, ſeu quod alii principes eodem nomine, vrbes a ſe conditas, a ſe dici voluere. Fuere autem in Georgia et Mingrelia multi principes Alexandri.

Quaeret nunc quisquam, quem ego conditorem muri huius fuiſſe cenſeam? Ego vero vtinam vera ita confirmare poſſim, quam facile aliena a fide deſtruxi. Sed in tam obſcura et incorruptis monumentis deſtituta re, malim conuellere popularem opinionem, quam meam inſerere. Si quis Medos prima fundamenta clauſtrorum ieciſſe autumat, ego non intercedo. Nulli enim populo conceſſere in magnificis ſumtuoſisque operibus. Haud procul a Babylone abfuit τὸ Μηδείας τεῖχος *Mediae murus* latitudine XX. pedum, altitudine C. longitudine XX. paraſangarum, totus opere lateritio. 2) At Lariſſae et Meſpilorum rudera Xenophonti viſa, illa C. pedum, haec L. pedum altitudine, fundamentum oſtentarunt λίθου ξενοῦ κογχυλιάτου, vt in hoc muro Caucaſeo. Super eo fundamento lateritius murus fuit. 3) Forte ab Medis quoque

10) Nic. Vitſenius in Tartariae deſcriptione: *Noord en Ooſt Tartarye tweede druk t' Amſterdam* 1705. parte II. p. 98. 1) Ib. f. 127 2) Xenophon in expedit. Cyri l. II. c. 4. 3) Ib. l. III. c. 4.

Digitized by Google

quoque clauſtra Ciliciae Syriaeque, muro ducto caſtellisque vsque in mare communita ſunt, quae Xenophon eleganter deſcripſit. 4) Et Medos Scythae graui bello ac ſeruitute ſex annorum adflixerant, vt eos non modo naturae munimentis, ſed etiam artis moliminibus coerceri conſultum videretur. A Medis ad Perſas clauſtrorum illorum poſſeſſio tranſiit. Quapropter Ibn Phacreddin Angjou, homo Perſa, 5) totius regni Perſici tractum a *Babolabuab* ad Omanicum vsque mare, hoc eſt, ad ſinum Arabicum definit et ab Oxo vsque ad Euphratem. Vltra Caucaſum ſatis conſtat Perſas nihil tenuiſſe. Deuictis Perſis, haec clauſtra et mare Caſpium in Macedonum poteſtate fuerunt. Nam de Seleuco Nicatore Plinius tradit, 6) circumuectum eum eſſe Caſpium mare, circumuectum etiam Antiochum Seleuci filium et praefectum claſſis eorum Patroclen. Et erat regnum eorum vsque in Indiam protenſum, mari Adriatico et Ponto Caucaſoque incluſum, quantum antea Perſarum fuerat. Murum autem ante Seleucum Nicatora ductum in Caucaſo fuiſſe nullum, ex eo mihi fere videor intelligere, quod in Plinio 7) exſtat his verbis: *Claudius Caeſar a Cimmerio Boſporo ad Caſpium mare CL. millia prodidit: eaque perfodere cogitaſſe Seleucum, quo tempore a Ptolemaeo Cerauno eſt interfectus.* Nam illud conſilium non tantummodo videtur pertinuiſſe ad vtriusque maris coniunctionem, verum etiam ad munimentum regni aduerſus barbaras gentes, quo veluti ripa ſtriga eſſet. Si igitur ab Antiocho Sotere aut ab Antiocho Theo murus primum ductus fuerit, non eſt mirandum, quod Alexandri vocatur. Nam quaedam, quae ἐπίγονοι eius geſſerunt, huic tribuuntur Alexandro. Luculentum exemplum eſt, quod orientales *aeram Alexandream* et *aeram Dulkarnain* ſeu *Bicornis*, dicunt eam epocham,

4) lb. l. I. c. 4. 5) Ap. Thomam Hyde in *hiſtoria religionis Perſarum* p. 418. 6) l. VI. c. 17.
7) l. VI. c. 11.

Digitized by Google

quae a Seleuco Nicatore, duodecimo post Alexandrum defunctum anno, instituta est. Sub Seleuco Callinico Nicatoris pronepote iam fractae sunt vires Seleucidarum, cum Parthi defecerunt. Armeni quoque et Hyrcani extulere caput. Et *Hyrcanum regem τῆς παρόδου δεσπότην Caspiorum claustrorum dominum* Vespasiano imperante fuisse, Iosephus auctor est. 8) Caucasea tenebantur a Ponti regibus et deuicto Mithridate in Romanis ditionibus censebantur. Iberi autem custodiebant. 9) Eo autem tempore murum iam concidisse credibile est, quoniam mentionem eius fieri non inuenimus apud illos, qui portas tamen Caucaseas non ignorarunt.

Cum Mahometani duce Gierai Chano Derbentum et Anderum vrbes occupassent, Muhamed Auabi Akrassi iussus est, vt, excussis Arabum Persarumque scriptis, antiquitates Dagestanas Turcice commentaretur. Is liber a praefecto vrbis dono datus est Petro Augusto, atque nunc in collegio exterorum negotiorum asseruatur. Scribit autem, murum Caucaseum ab Alexandro conditum denique ita corruisse, vt vix vestigia exstarent; Cubadem autem, patrem Nusreuani, Persarum regem, bellum gessisse cum Hacano, rege Turcarum et Hyrrorum. Hacanum illum dominatum fuisse regno Nucrato et Russis vniuersis, exercitum quadricies mille militum habuisse: tandem pace composita, Hacanum in matrimonium dedisse Cubadi filiam, actumque esse inter socios reges de muro condendo, quo secernerentur prouinciae: Cubadem autem a Gabriele angelo admonitum de Alexandri muro, super ipsis fundamentis, ab arena aggesta perpurgatis, inaedificasse partem muri meridionalem, intra annum vertentem, atque deinceps quod reliquum erat a mari vsque ad vlteriorem partem Tibriserani (quae vrbs a Derbento nonaginta agaris distet, stadiis

8) De B. I. l. VII. c. 29. XVIII. c. 6.

9) Iosephus de Antiq. l.

Digitized by Google

ſtadiis Ruthenicis admodum quadringentis et quinquaginta) perduxiſſe et ferreis portis communiuiſſe intra annos ſeptem, vt centum milites aduerſus centies mille hoſtes ſe defendere poſſent. Ab eo tempore Armeniam Mediamque ab incurſionibus hoſtium tutas fuiſſe. Cubadem, ordinatis ad vtriusque muri portas cuſtodiis, filiam Hacani poſt vnius conditionem noctis reddidiſſe ad patrem, diſſimulantem hanc tam grauem iniuriam, et reuerſum eſſe in Aderbeidzianam ſeu Mediam et Arak ſeu Parthiam. In his quaedam accedunt ad veram hiſtoriam. Verſamur enim iam in illis temporibus, in quibus hiſtoria Perſica et orientalis paene omnis, e fabulis ad veritatem, veluti de nocte vergit in diluculum. Erit igitur operae pretium, iſta exigere ad noſtrorum teſtimonia ſcriptorum. Quod de Chacano Turcarum Hyrrorumque rege habet, is eſt tiulos, qui Hunnis, Turcis et Tattaris ſummae maieſtatis fuit. Hyrri autem ſunt *Oigur*, populus, cuius res nunc ex Abulgaſo Chano nobis factae notiores. Haec leuiter attingo, quod, niſi temperarem impetum, praeuideo me abreptum iri in prolixam rerum illarum commentationem. Iam licebit Procopium comparare cum Acraſio. Is, poſtquam bella Ephthalitarum Hunnorum cum Peroze patre Cubadis attigit, proditque Perozen per inſidias ab Hunnis circumuentum caeſumque cum omni exercitu, et Cubadem annos duos tributa Hunnis pependiſſe, venit ad mentionem Caucaſearum portarum, quas, vt dixi ſupra, confundit cum Caſpiis. Hoc etiam ex ipſa re elucet, quam e Procopio narraturus ſum. Loca enim, quae ad Caſpia clauſtra vergebant, in Perſarum poteſtate erant, vna cum Armenia orientali, quam idcirco illorum ſcriptores temporum Perſarmeniam vocant. Scribit igitur Procopius, [10]) portas Caucaſeas multorum in poteſtate fuiſſe, donec eas tenuerit Ambazuces Hunnus, Anaſtaſio et Romanis impenſe amicus. Is extrema iam aetate legatos miſit ad Ana-

10) f. 28.

Digitized by Google

Anastasium, pecuniae certam summam petiit, portas et arcem Romanis traditurus. Anastasius consilio inito deprehendit, molestam militi Romano earum custodiam fore, quod commeatus in loco rebus omnibus nudo aegre subueheretur, quodque gentes circum illa loca Romanis non essent subiecta, legatis humaniter appellatis, carere se castello posse ostendit. Post mortem Amburacis [1]) Cubades ex castello filios eius eiecit Persicumque praesidium imposuit. Post id tempus Iustiniano imperante et rebus orientis a Belisario praeclare administratis, missus est ad Cubadem Rufinus legatus de pace. Cubades autem multa questus est apud Rufinum de Iustiniano et Romanis. Se claustra Caucasi, cum Anastasius emere nollet, ne, alendo ad eorum praesidium milite, sumtus faceret, occupasse, communi Romanorum suoque commodo, ne ea barbari in Romanas suasque prouincias irrumperent, se numerosissimum exercitum tutandis illis angustiis imposuisse et aluisse suis sumtibus, Romanorum compendio. Ita, dum exercitum vnum obiicit barbaris, ne omnia ferre et agere in suo Romanoque agro possint, iniustum esse, Romanos non quiescere, vt necesse sit, alium exercitum iis obiici, quos aduersus externam vim tutaretur. Diu se postulasse, vt Romani aut finibus Persicis (tota Mesopotamia) excederent, aut, si bellum facere suis prouinciis vellent, cura alterius exercitus alendi se leuarent, aut saltem ad tuenda Caucasi claustra parem militum numerum mitterent, sumtusque alendi praesidii secum partirentur. Pacem coituram non esse, nisi alterutrum Romani faciant. Haec anno quarto Iustiniani Cubades a Rufino postulauit. Insecutum est bellum, Romanis neutram conditionem accipientibus. Id bellum Romanis prouinciis excidium attulisset, ni Cubades vita defunctus et Chosroes Hunnorum irruptionibus fuisset exagitatus. [2]) Ad eum cum legati a Iustiniano essent missi, de pace con-

1) Ib. f. 46. 2) Ib. f. 64.

Digitized by Google

conuenit. Inter ceteras conditiones latum, vt, nisi Romanis videretur communi cum Persis praesidio claustra Caucasi tutari, centenaria CX. hoc est, vndecies centena millia auri pondo Persis appenderent. Nec diuturna pax fuit. 3) Chosroes enim haud ita multo post Syriam inuasit et Antiochiam cepit. Ad Antiochiam de pace actum. Chosroes Romanis eam legem tulit, vt in praesenti quingenta, in singulos autem annos quinque centenaria auri tributum penderent Persis ad praesidium Caucasi excubantibus. Is Chosroes est, quem Persae Nusriuanum cognomento Cosres vocant, omnium ante se regum longe maximus. A cuius potentia non abhorret tanti muri machinatio: et longum fuit illius imperium, vt perficiendo operi sufficeret. Nam, teste Georgio Syncello, 4) annos octo et quadraginta regnauit. Ad postremum non praetermittendum duxi locum Gregorii Malatiensis, qui postquam murum ab Alexandro conditum perhibuit, in eam sententiam fatus est: Reges Persarum non destitisse, quaerendo muro, donec eum reperiret Iazdegerdus filius Bahram Iuri, Iesdegerdi nepos, Saporis pronepos: eum vero murum lapidibus ex aere et plumbo exstruere coepisse, nec tamen perfecisse. Cosroam Nusriuanum denique summis montium fastigiis murum adiunxisse, et in mare produxisse mille passus, portisque ferreis clausisse, vt a centum hominibus ea regio obsideretur, quam vix centies mille defendissent antea ab excursionibus: perfecto opere statuisse eum, vt praefectus regionis, honoris caussa, solio aureo insideret. Quae postea acciderunt, praesertim sub Iustiniano Rhinotmeto, ea breuitatis caussa consulto praetereo. Hunc enim industriae nostrae modum statuimus.

3) f. 112. 4) f. 360.

Digitized by Google

DE CIMMERIIS.

Dixi Cimmerios ante Scytharum irruptionem inter Boryſthenem et Tanaim coluiſſe, pulſos deinde, eas regiones reliquiſſe victoribus. Quae gens Cimmerii, vnde orta, quas terras petierit poſtea, exquirendum nunc duco. Nihil eſt magis vero conſentaneum, quam quod Bochartus, magno vir ingenio, et multiplici doctrina, nos docuit e Geneſi, Cimmerios eſſe diuini ſcriptoris Gomeritas, a Gomero Iapeti filio, profectos ex Armenia ſeptemtrionem verſus, donec campos illos ad vtramque Tanais ripam peruagati a longo errore conquieuerunt. Eorum cognati fuere Iones a Iauane, et Thraces a Tira, qui ante eos profecti, vrgentibus Gomeritis a tergo, Graeciam et regiones ad Iſtrum occuparunt. Id accidit ante Ioſephi Patriarchae tempora. Nam, ſi Geneſin recte inſpicias, tum illa tibi non vnius Moſis commentarios, ſed ante eum, patriarcharum omnium diaria continere videbitur, quae Ioſephus denique in vnum corpus collegit, Moſes autem in Pentateuchum recepit. Non id nunc ago, vt hanc meam opinionem de ſanctiſſimo libro operoſe explicem aut ſtabiliam, dicam tantummodo quod ſentio, a Ioſepho Patriarcha, non modo extrema illa de vita ſua, verum etiam totum caput vndecimum de coloniis priſcis et quaſi noui orbis geographia inſerta videri, vt tum res erat notiſſima in Aegypto et populo Iſraelitico. Iisdem in locis Homerus ſua aetate Cimmerios degere acceperat. Ita enim cecinit: 1)

Εὖθα

1) Odyſſ. Λ. v. 15.

Digitized by Google

Ενθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμος τε πόλις τε
Ηέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδὲ ποτ' αὐτοὺς
Ηέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσι,
Αλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Iſthic Cimmeriorum gens eſt et vrbs Cimmerium
Nebula nubeque obducta: neque enim eos
Sol omnia colluſtrans, radiis ſuis reſpicit,
Vtpote cum miſerabilis miſerabilibus populis incubat
nox.

Orta eſt fabula ex vocabuli interpretatione. E Gomeritis Ionici populi Κιμμερίους fecere, inde poſteritas credidit, Χειμερίους dictos fuiſſe ab *hieme et tempeſtatibus.* Et ſic quoque in quibusdam Homeri exemplaribus ſcriptum fuiſſe minora ſcholia teſtantur, pro quo Κερβερίους repoſuit Crates Malleota. Ad vim illius vocis acceſſit aliqua eorum narratio, qui in Ponto navigauerant. Nam quod Thomas Hyde in itineribus mundi animaduertit, [2]) quodque ab oculatis accepi teſtibus, totum Pontum regionesque littorum illorum denſa et tenebroſa nebula infeſtat. Idcirco Pontus Turcis قره دكز *Karah Dekſi* et hodie Graecis Μαυροθάλασσα. vt nobis *Mare nigrum* vocatur. Id e vetuſtis clariſſime confirmat Hippocrates in libro de *aere, aquis et locis*: [3]) aerem enim in Scythia plerumque totos dies nubilum eſſe ſcribit, ſed in immenſum quoque exaggerat, tamquam vix paucis diebus aeſtas ſit, ceterum hiems in his regionibus deſaeuiat, et quae ſunt ex eo genere alia apud Hippocratem. Ob rem tam paruam, tot de Cimmeriis tenebris ἐπιφυλλίδες καὶ σωμύλματα e fertili poetarum ingenio propullularunt. Scriptores argonautici his fabulis ſcenam inſtruxerunt. Iidem Cimmerios ſuper Ponto ad Tanaim protendunt,

vt

2) p. 57. 3) c. 45.

Digitized by Google

vt tum fueri siti, cum heroes illi Colchida peterent: Dionysius Periegetes autem φλυαρίζει, cum iisdem in tractibus Cimmerios sua aetate reponit, deceptus fortassis a nomine Cimmerii vrbis, quae a veteribus incolis appellationem ad id tempus retinuit. *Maeotin*, inquit, *Scythae vocant matrem Ponti.*

Ἐκ τῆς γὰρ Πόντοιο τὸ μυρίον ἕλκεται ὕδωρ
Ὀρθὸν Κιμμερίου διὰ Βοσπόρου· ᾧ πάρα πολλοὶ
Κιμμέριοι ναίουσιν, ὑπὸ ψυχρῷ ποδὶ Ταύρου.

Nam ex Ponto multam aquam trahit per medium Bosporum Cimmerium, iuxta quem sub algidi radicibus Tauri Cimmerii frequentes colunt. Ad quem locum Eustathius plane sui similis est, cum ait Κιμμέριοι, τὸ Σκυθικὸν ἔθνος. Cum postea has Cimmerias tenebras ad Pontum, ita vt Homerus in maius extulerat fingendi licentia, non sentirent Graeci, pro sua in poetam religione, ne fefellisse videretur, altius sub septemtrione quaerebant Cimmerios et tenebras illas horribiles, vt Onomacritus in Argonauticis, parum sibi constans, 4) de Cimmeriis ait:

οἳ ῥά τε μοῦνοι
Λίγλης ἄμμορόι εἰσι πυριβρόμου ἠλίοιο
Ἐν μὲν γὰρ Ῥίπαιον ὄρος κεὴ Κάλπιος αὐχὴν
Ἀντολίας ἐίργουσι,

et quae apud eum plura sunt in eam sententiam. Quare Pytheas Massaliota, vt est apud Cosmam Indicopleusten in topographia christiana, gloriatus est, barbaros ostendisse sibi παραγενομένῳ ἐν τοῖς βορειοτάτοις τόποις, τὴν ἡλίου κοίτην, ὡς ἐκεῖ τῶν νυκτῶν ἀεὶ γενομένων παρ' αὐτοῖς. Quamquam, si ea, quae Cleomedes in meteorologicis ex Pythea habet, inspicias, non ille perpetuas sine sole noctes in Thule et septemtrione prodidit, sed hanc vicissitudinem diei noctisque, quae pro

4) v. mg.

Digitized by Google

pro anni tempestatibus obtingere extremis sub polo regionibus solet. Alii Cimmerios ad tartarum et Plutonios campos relegarunt, simul cum Acheronte fluuio, qui haud procul ab Heraclea in Pontum incidit, alio nomine Σωναύτης. Sed quoniam Ἀχερουσίαν quoque prope Cumas ad mare Tyrrhenum habebant Itali et Auernum lacum inferis deuotum, idcirco, vt ait Strabo, 5) καὶ τοῦτο χωρίον Πλουτώνιόν τι ὑπελάμβανον καὶ τοὺς Κιμμερίους ἐνταῦθα λέγεσθαι *etiam hunc agrum tamquam Plutonium et populos circum ea loca Cimmerios commenti sunt.* Haec sunt illi σκοτεινῷ Lycophroni 6) Κιμμέρων ἔπαυλα. Sic Cimmerii sunt veluti aliqua Luciani Hecate, πολύμορφόν τι θέαμα καὶ ἄλλοτε ἀλλοῖόν τι φαντάζομενον.

Itaque nos Herodoto tantum auscultabimus. Is tradit, Cimmerios olim intra Borysthenem et Tanaitidas regiones degisse pulsosque a Scythis concessisse in Asiam. 7) Isthic excursionem fecisse, et Ionicas vrbes infestasse: nec cepisse eas, aut euertisse, sed in agris earum praedas egisse. 8) Tum Sardes aggressi, Ardye regnante, vrbem praeter arcem expugnarunt. 9) Tandem Chersonesum Sinopicam condidere, vbi quietam sedem tenerent. 10) Halyattes eos tota Asia expulit. 1) Et Scythae quidem eos a Tanai refugientes persecuti sunt, sed cum Cimmerii porta Caucasea fugissent in Asiam, Scythae alio itinere per Caspias portas se effuderunt in Mediam. 2) Cum autem Cimmerii tam late coluerunt, vt postea Scythae, non est verosimile, omnem gentem metu Scytharum se in Asiam praecipitasse. Velim autem animaduertas, quod, cum fama esset, Scythas a Volga aduentare, Cimmerii concilium gentis ad Tiram fluuium habuerint. Eo in conuentu, aliis fugae auctoribus, reges

5) f. 266. 6) v. 695. 7) l. IV. c. 12. 8) l. I. c. 6.
9) l. I. c. 15. 10) l. IV. c. 12. 1) l. I. c. 16.
2) l. IV. c. 12.

Digitized by Google

reges manendum bellumque pro aris et focis conferendum censuerunt. Ex ea dissensione tumultus ortus captisque armis, (nam reges et regiae domus pares numero reliquae turbae erant) praelium commissum, in quo reges omnes caesi sepultique sunt a popularibus eodem omnes tumulo ad Tiram fluuium. Is tumulus ad Herodoti vsque aetatem exstabat et celebrabatur. 3) Scythae enim, cum vacuam regionem occupassent, religioni sibi duxerunt, fortium virorum monumenta violare. Manserunt quoque Cimmerii muri, incertum tamen quibus in tractibus, et Cimmerium vrbs cum regione Cimmeria et Bosporus Cimmerius priscum nomen retinuerunt. 4) Tiras fluuius, ad quem populi concilium celebratum est, longius distat a Tanai, vt plane sit a fide alienum, Cimmerios ab eo fluuio in medium incendium se praecipitasse et obuiam occurrisse perduellibus, dum Tanaim et infestum Scythicis, quae perhorrescebant, armis orientem petunt, qui occidentem et auersas a discrimine tanto prouincias sibi vi patefacere poterant. Itaque mihi Herodoti verba omnia perpendenti vel maxime probabile videtur, Cimmerios, qui ad Tiram confluxerant, occidentem et septemtrionem petiisse, alios a locis Tanai vicinioribus, salutem quaesiuisse in Caucasеis saltibus et Asia.

Ita iam nonnulli ante nos sensere apud Plutarchum in Mario. 5) Cimbrine igitur a Cimmeriis sunt orti? Nempe, si audimus turbam magnam eruditorum, res manifesta est. Ego neque excedere quasi finibus meis atque Cimmerios persequi cupio, neque admodum curae cordique habeo, quibus ab stirpibus Cimbri sint prognati. Tamen, quoniam haec quaestio in septemtrione maxime agitata, infinitos paene errores excluſit, quibus Scythicarum gentium regionumque harum, quarum historiam tractandam suscepi, veteres res propemodum sunt oppressae, ipsa me necessitas manu ducit in hanc

3) l. IV. c. 11. 4) l. IV. c. 12. 5) f. 411.

Digitized by Google

hanc disputationem, a qua abstinere aequiore iure maluissem. Hugo Grotius, qui ad illarum opinionum, quae postea a Stirnhielmo, Verelio, Rudbequio sunt eductae, sementim, sua quaedam semina contulit, non potuit a se impetrare, vt cum Cimmeriis confunderet Cimbros. Quae autem ratio induxit, non hos dicam insigni doctrina viros, sed veteres quosdam omni genere laudis illis longe inferiores, vt Cimbros repeterent a Cimmeriis? Nulla profecto alia, quam vocabulorum ad sonum congruentia. Hic vero Grotius, vt erat admirabili iudicio, praeuidit animo, quantum perturbationis in omnem veterem historiam inuehi possit, si incautius paullo nos in hoc negotio geramus, et senserat hoc ex maiorum in illa via aberrationibus. Sapienter ille in prolegomenis ad historiam Gothicam monuit, posse populos toto genere et caelo diuisos idem nomen gerere. Ne Vandalos quidem, qui ab omni aeuo a scriptoribus memorantur, ex eodem sanguine illius populi, qui in Africa rerum potitus est, repeti patitur. Sic, quis Nomadas (quasi Germanus Vandalos dicat) illico putet Scythas esse, cum in Africa quoque populus id nominis a moribus suis gessit? Borusci a Ptolemaeo non longe a Volga seu Russa veteri collocantur, a quibus qui Borussos seu Prussos antiquos ducunt, nae illi vehementer falluntur. Et vt in hoc exemplo ostendam, quam facile sit in eo genere falli, cum in nominis conuenientia cardo et vis omnis coniecturae illius vertitur, fugit tamen bonos viros, Prutenos primum a Vilelmo Gnapheo, et Georgio Sabino et Lotichio et ceteris illius aetatis poetis nomen Borussorum accepisse, accommodatius, vt illi quidem iudicabant, ori Romano et carmini. Omnis autem antiquitas medii aeui *Prutenos*, *Pruzos*, *Prucios*, *Brutios*, aut in eum modum vocauit. Testimonia producere possem, quae multas paginas impleant, si eo ingenio essem, vt in his me ostentarem. Qui mihi e contrario ante Gnapheum aut

Digitized by Google

Sabinum et ante hos inquam ducentos annos aliquem producat auctorem, cui Borussi dicantur, illum ego vero lubens remunerabor: nec verius est quidquam, quam quod Matthaeus Praetorius vidit, vnde Pruteni se vocaverint populari lingua, quae sententia antiquis historiarum monumentis confirmatur. Sed hoc non ago: illud tantum in exemplo docere volui, quam infirmum omne illud de nominum congruentia argumentum sit. At cum Dido aliquis Aquitanicarum rerum scriptor 6) Danos a Danais, cum alii a Dacis et Dahis deriuant, cum Eluardus Suecos a Sueuis, cum alii Saxones a Sacis, hoc est, si diis placet, a Scythis deriuant, ea mehercle vigilantium somnia sunt, ne quid dicam grauius. Talibus delectati sunt scriptores septemtrionales et Auentinus et ille non indoctus, vt tunc erat, fabularum parens Annius Viterbiensis. Satis erat aliqua nominum allusio, vt nouas conderent historias, vtque probarent plebi eruditorum. Quid autem tantum est in Cimmeriorum et Cimbrorum nomine, vt eorum nos stirpem populorum miscere oporteat? Cimmerios a Gomeritis dictos fuisse, admodum probabile est, aut plane paratus sum deierare, vnde dicti sint, non liquere. At Romani, Plutarcho et S. Pompeio Festo auctoribus, Cimbrorum nomen Celticum esse et *latronem* significare compererunt. Id vocabuli adhuc habent linguae Celticae. Islandicam dico, Noruegicam, Suedicam, Danicam, Germanicam. In monosyllabis Islandicis Ionae Rugmanni *Kamp* est *lucta*, *palaestra*, plane vt apud nos Germanos. Snorro Sturlaeus parte secunda Eddae heroas dicit, vel *Kappar*, vel *Kiempur*, vel *Garpar* fuisse, quod Resenius Danice protulit *Herrers*, *Kiempers*, *Fiæteris*. In Celticis Leibnitii: *Campau*, *ludi*, *quales Olympiaci*.

Iuuat me nunc, quoniam in hanc concertationem incidi, ipsam originem τῆς πολυτρόπου καὶ πολυειδοῦς φαντα-

6) Apud Saxonem Grammaticum f. 5.

Digitized by Google

φαντασίας paullo altius repetere, quoniam antiqua satis est. Cimbri, vt habet in Mario Plutarchus, cum Italiam inuaderent, obscurum Romanis nomen erant, praeterquam quod proceritate corporum, et caesiis oculis Germanicam referrent stirpem. Serius est cognitum, Teutonico vocabulo latrones, seu potius bellatores dici atque a septemtrionali oceano profectos, traiecto Rheno, Belgicae se infudisse annisque aliquot incubuisse Galliae ceruicibus. Ex quo factum est, vt Sallustius *Gallos* diceret, aduersus quos a L. Caepione et M. Manlio Coss. male pugnatum fuit et Cicero de prouinciis consularibus *bellum Gallicum*, quod a C. Mario confectum est, Cimbris Teutonisque caesis. Ab Rheno mouerunt in Noricum et ad fines Illyricos profecti, in Carnis ad Noreiam vrbem Carbonem cum exercitu fuderunt atque per Heluetios Allobrogasque petiere Galliam, donec Hispaniam attingerent, vnde per Celtiberos repulsi coniunctique cum Teutonis, tanto maiori clade adfecerunt Galliam omnem praeter Belgicam et M. Iunium Silanum Cos. oppressérunt. Hinc ille turbo aliquanto post interuallo Italiam inuasit. A Mario fusi fugatique Cimbri, traiecto Rheno, iuxta Belgas consederunt. Antiqua autem Cimbrorum sedes sub septemtrione auspiciis Caesaris Augusti et Tiberii Caesaris est cognita et paene armis petita. Res hae tam planissimae nactae sunt inanes hariolatores, Graecos homines, qui tumultum, quam Cimbri, conciuere maiorem. Alii apud Plutarchum Cimmerios ferunt a Scythis pulsos partem in Asiam, Lygdamo quodam duce, (quem Herodotus ignorat, Strabo et Plutarchus 7) nominant) effusos, partem aliam et maximam bellicosissimamque occidentem versus fugisse. Recte illud adhuc, quantum iudico, nisi quod densas et profundas siluas vltra Hercyniam incolentibus, contractiores dies productioresque noctes, Homero de Cimmeriis tene-

 bris

7) Strabo f. 57. Plutarchus in Mario f. 411.

Digitized by Google

bris fabulam fabricandi occasionem praebuisse adiiciunt. Ex eo enim conficitur, non animaduertisse eos, Homeri Cimmerios nondum tum a Scythis fusos fugatosque, ad Ponti littora, non autem sub hoc septemtrione egisse. Alii apud Plutarchum, regionibus omnibus ab oceano occidentali septemtrionalique ad Maeotin vsque in arctum contractis, Gallos Scythas in omni illo tractu posuere, quorum pars essent Cimmerii seu Cimbri. Ταῦτα μὲν, inquit Chaeronensis, homo non obtusae naris, εἰκασμῷ μᾶλλον, ἢ κατὰ βέβαιον ἱστορίαν λέγεται. Adeo ille haec suspecta habet. Sed quantum in his Posidonius ad hariolandum sibi permisit! Cimbros ait homines fuisse praedones et in primis vagos, 8) (Id enim erat necesse, vt impetraret, quae vellet, Posidonius) armisque ad Maeotin progressos nomen dedisse Cimmerio Bosporo, quasi Cimbrico: Boios Hercyniam siluam incolentes, cum Cimbri ad se quoque in armis venirent a Maeotide, si diis placet, regressi, manus conseruisse Cimbrosque illata clade ad Tauriscos Gallos et Helvetios compulisse, vnde in Italiam impressionem fecerint. Hanc non improbabilem coniecturam vocat Strabo, cum in ea absurda sunt omnia, gentes resque et secula inter se confusa. Cimbros dicit ab septemtrionali oceano ad Maeotin paludem profectos nomen dedisse Cimmerio Bosporo. Cimbri ante Cn. Papirium Carbonem Cos. et A. V. C. Ↄ CXXXX. profecti sunt ab Rheno: Cimmerium autem vrbs iam annis centum et amplius ante vrbem conditam Homero nota fuit. At de illa superioris aeui migratione Cimbrica, qua Cimmerii sunt ad Pontum et Bosporum tamquam ver sacrum in coloniam missi, nisi fallor, loqueris ὦ δαιμόνιε;

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Quem vero auctorem habes, Posidoni? Nempe aegram sine somno noctem. Scythas pepulere Cimbri, vt visum est

8) Strabo f. 333.

Digitized by Google

est Posidonio. Male sit illi Halicarnassensi, qui Cimmerios a Scythis exterminatos tradidit. Nimirum seduxit Posidonium grammaticus. Exstat indicium eius rei in minoribus Homeri scholiis, vbi aliquis veterum 9) ὑπὸ Κιμμερίων Σκύθας ἐξελαθῆναι *a Cimmeriis Scythas esse pulsos* asserit et tamen Herodotum citat testem.

En cor Zenodoti! en iecur Cratetis!

Romani nouerant Cimbros a septemtrione profectos Rhenum traiecisse patrem amnium: Posidonius iocum putat Romanam fidem et ab oriente Cimmerios ducit aduersus Boios ad Hercyniam siluam, inde male mulctatos in Italiam. *Vndique totis usque adeo turbatur agris.* Dicam sicuti sentio de Posidonio, philosopho quidem non indocto, sed in his nostris infante. Quoniam philosophi haud longe absunt a deorum conditione, vt mundos, quoties volunt, condant nouos, eo credidit Posidonius idem sibi licere in rerum gestarum historia. Nec immerito vero, cum Cimbros cognouisset aliquando profectos a septemtrione, Cimmerios autem, vel Homero teste et Herodoto, incoluisse Ponti littora. Hoc satis erat ad exordiendam longam fabulam. Nihil tamen hoc est adhuc prae eo, quod dicam. Cimmerii in iisdem regionibus coluere, in quibus postea Scythae, vt quidem Herodotus auctor est: Cimbri autem, vt Strabo, Tacitus, Plinius, Ptolemaeus, praetendebantur Suetiae: ergo Suetia est illa vetus Scythia. Ridiculum est, quod dico, tamen nonnulli in illum modum aciem ingenii subtilissimi exeruerunt, cum critices huius, quae ad historiarum veritatem exquirendam necessaria est, plane ignari essent. Nec caruere vitio hoc Graeci quidam vetustiores, vt exemplo esse potest ὁ Φυμάσιος Posidonius. Audiamus tantummodo geographum Rauennatem: 10) *Inter oceanum, procul, magna insula, antiqua Scythia reperitur, quam insulam plerique philosophi hi-*

9) Ad Odyss. A. v. 15. 10) p. 26. ed. Porcheronis.

Digitized by Google

ſtoriographi conlaudant, quam et Iordanes (Iornandem putat) *ſapientiſſimus coſmographus Scanzam appellat, ex qua inſula pariterque gentes occidentales egreſſae ſunt: nam Gothos et Danos, immo ſimul Gepidas ex ea antiquitus exiſſe legimus.* Qui, malum, Gothi e Scandinauia? Nempe Ablauius aliquis philoſophus cognouerat, proxime Scythas atque paene inter eos quoque, coluiſſe Getas, e Scandinauia autem iam ante eum alii Scythiam fecerant, ergo tempus erat, vt inde Gothos fauſtis auibus immitteret Ponticis regionibus atque inde florentibus prouinciis. Adeo haec pars hiſtoriae vario et ancipiti tumultu eſt plenior,

Quam magno vento plenum eſt vndarum mare.

Ita Suetia facta eſt *officina gentium*, aut certe *velut vagina nationum*, vt Iornandis verbis vtamur. [1]) Et Iornandes quidem hanc Getarum a Scandinauis et Cimbris originem, *Getarum carminibus priſcis paene hiſtorico ritu in commune fuiſſe recoli ſolitam*, ſcribit, et ego pro mea ſimplicitate his carminibus haud parum fidei detulerim, ſi exſtarent: nunc mihi Epicharmus cantilenam illam ſuam inſuſurrat, *νᾶφε καὶ μέμνασο ἀπιϛεῖν.* Cum enim Iornandes ab his carminibus non ſeiunxit ſua illa e Graecis et Latinis, non ſatis conſtat, quantum ex obſcuris Getarum carminibus acceperit, periculum eſt autem, ne pro vetuſtis populi illius monumentis, Iornandis figmenta amplectamur, *nubem pro Iunone.* Multa ille a patre et auo ceterisque gentis ſuae hominibus ante ſe geſta accepit, in quibus minime eſt reprehendendus. At vbi explere veterem memoriam e vetuſtis libris, quos *triduana lectione* euoluerat et *nonnulla ex hiſtoriis Graecis atque Latinis conuenientia* addere conatus eſt, in his illi praeproperā haec male ceſſerunt, vt ei fides ſeu nulla, ſeu admodum circumſpecte adhibenda ſit. Quod autem caput rei eſt, vſum eum eſſe Strabone repe-

1) f. 193. 194. Muratorii.

Digitized by Google

reperio, e quo Posidonii illa insomnia hausit. Igitur e Posidonii coniectura tenui scaturigine manauit opinio, quae latiori alueo a Iornandis credulitate profluxit, donec a Stirnhielmo, Verelio, Rudbequio aggeribus perfossis omnibus, orbem prope vniuersum inundauit. Quot enim gentes eorum opinione ex Suetia non sunt egressae? Viri illi fuerunt summo ingenio et exquisita admirabilique doctrina, sed in quibus aut patriae amor incredibilis veritatem obfuscauit, aut qui vix quidquam de his ex animi sententia dixerunt. De Iornandis erroribus alio tempore accuratius disputabimus. Virum bonum dico, ne quis me reprehendat, sed mehercle, in vetustis temporibus non idoneum auctorem. Paruo nauigio euectum fluctus obruerunt in littore.

CHRONOLOGIA SCYTHICA VETVS.

Instituenti mihi priscam memoriam rerum Scythicarum litteris mandare, et tradendi quemuis rumorem et per errorem corrupta arguendi iusta caussa fuit. Originem gentis, vt in compendio dicam quae prolixe a me sunt explicata, sic fere informatam animo habeo. Maiores eorum ab Caucaso Armeniae, primo austrum, postea orientem petiisse, ita vt a sinistris haberent littora Caspia, denique flexisse borapelioten et in orientalibus Volgae regionibus consedisse: hic vero illam inconditam et dispersam multitudinem, mille annis ante Darii expeditionem Scythicam, (Herodotus τὰ σύμπαντα εἶναι χιλίων, οὐ πλέω, ἀλλὰ τοσαῦτα) circiter A. P. I. 3200 in vnum corpus et rem publicam coiisse, Targitao quodam, viro principe et sapiente, summam rei moderante,

Digitized by Google

nomenque vniuerſos Scolotorum, tamquam *rerum dominos* dicas, ſuſcepiſſe: diuiſos autem eſſe inter populos, *Paralatas*, ſeu regias familias, *Auchatas*, et *Catiaros* ſeu *Traſpies*. Iisdem temporibus Cimmerios tenuiſſe regiones Cisuolganas ad Boryſthénem vsque et Tiram: Scolotos autem vexatos ab Iſſedonibus, (Iſſedones enim a finitimis populis et maxime ab Arimaſpis vrgebantur) traieciſſe Volgam et pulſis Cimmeriis, non modo has terras, illarum loco, quas Iſſedonibus reliquerant, occupaſſe, verum etiam impreſſionem feciſſe in ſuperiorem Aſiam atque ab illo tempore, fama eorum in ſagittando Graeciam peruagante, dictos fuiſſe a Graecis *Scythas* hoc eſt *Sagittarios*. Illa enim in arte adeo excellentes fuere, vt Cyaxares rex Medorum Scythis liberos ſuos inſtituendos tradiderit, quod poſtea amplius declarabo, et Graeci vero Herculem ſuum cenſuerint haud aliunde ſagittandi artem ſibi comparaſſe, quam a Scythis. Quare Theocritus: [1])

> Ἀμφιτρυωνιάδας δὲ ταρασσόμενος περὶ παιδὶ
> Ὤχετο, Μαιωτισὶ λαβὼν εὐκαμπέα τόξα
> Καὶ φόπαλον.

Μαιωτισὶ Scholiaſta recte Σκυθισὶ: ἤρχητο δὲ Ἡρακλῆς τοῖς Σκυθικοῖς τόξοις, διδαχθεὶς παρά τινος Σκύθου Τευτάρου, ὡς ἱστορεῖ Ἡρόδοτος καὶ Καλλίμαχος. Morem ipſum ſagittandi Neocles Grammaticus vetus in Euſtathii parecbolis Homericis [2]) tradidit, λέγων, Σκυθικὴν εἶναι τὴν τῆς νευρᾶς ἕλξιν, πρὸς τὸν ὦμον αὐτὴν φησιν ἑλκυσθῆναι νόμῳ Σκυθῶν, *cum dicere vult, Scythicum morem trahendi chordam arcus, chordam dicit verſus humerum trahi conſuetudine Scythica.* Ceterum et Plato in Legibus ait: [3]) Τῶν Σκυθῶν νόμος, οὐκ ἐν ἀριστερᾷ μὲν τόξον ἀπάγων, ἐν δεξιᾷ δ' ὀϊστὸν προσαγόμενος μόνον, ἀλλ' ὁμοίως

1) Idyllo γ. v. 55. 2) p. 715. ed. Rom. 3) l. VII. p. 571. ed. Henr. Petri.

Digitized by Google

ὁμοίως ἑκατέροις ἐπ' ἀμφότερα χρώμενος, *Scytharum more, non ſiniſtra ſola arcum tractari et dextera imponi ſagittam, ſed ad vtrumque officium vtramque manum aſſuefactam eſſe.* Et alibi 4) Plato: Non minus cominus congredientes ita pugnare Scythas, quam fugientes. Hanc opinionem ſecutus ſum, vt vero maxime conſentaneam, quippe quae ab ipſis Scythis in hunc modum prodita eſt, et quam minimum vanitatis habet. Nam quae Trogus Pompeius et ex eo Iuſtinus oſtentandae cauſſa eloquentiae, non ex Scytharum ſententia, ſed ex ingenio aut ſuo aut Graeculorum, de antiquitate gentis prodigioſa declamarunt, haec, quod idoneis auctoritatibus ad fidem non ſunt confirmata, promte et vno verbo refutaueris. Quid Scythae ipſi apud Herodotum? 5) Ὡς δὲ Σκύθαι λέγουσι, νεώτατον ἁπάντων ἐθνέων εἶναι τὸ σφέτερον, *ſuam gentem omnium gentium nouiſſimam eſſe, Scythae dicunt.*

Attamen Graeci quidam apud Herodotum 6) et Diodorum Siculum, 7) diuerſa ab opinione noſtra et Herodoti ipſorumque Scytharum relationibus prodiderunt, quae vt ſcenae comparata fuiſſe videntur, ita neque magni facio, neque plane contemno. Herculem, aiunt, in longa peregrinatione ex Hiſpania Geryones boues ducentem peruenisſe in Scythiam, inhabitabile et derelictum a mortalibus ſolum: labore autem et frigore confectum ſuper illa leonina pelle quietem cepiſſe: ſoluto ſomno nusquam veſtigia boum apparuiſſe, nedum ipſas, donec incertus animi Hercules in Hylaeam venit: iſthic eum vidiſſe in ſpecu ſemiuirginem, quae extremis membris in draconem deſierit, ex qua cum quaereret, num quas boues errare in agro ſuo vidiſſet, reſponſum tuliſſe, ſecum illas eſſe, neque redditum iri, niſi pro officio et mercede: mercedem concubitum petiiſſe, Herculem, con-

4) Laches Platonis p. 256. 5) l. IV. c. 5. 6) l. IV. c. 8. 7) l. II. c. 43.

Digitized by Google

conditionem accepiſſe. Illam deinde, vbi ſe amplius vna prole impletam ſenſit, rogaſſe Herculem, quid fieri vellet, cum editi in lucem eſſent liberi? Herculem tradidiſſe arcum (duos enim ante id tempus geſtabat, inquiunt homines profecto aſtuti) et ζωστῆρα, ἔχοντα ἀπ' ἄκρης συμβολῆς φιάλην χρυσέην, *cingulum, a quo patera aurea in ipſa fibulae commiſſura pendebat*, his cum mandatis, qui filiorum arcum iſtum tendere poſſet, eoue ſe cingulo conſtringere, vti is cum matre maneret, ceteri abirent in colonias. Natos ex hoc diuino monſtro filios tres, *Agathyrſum*, *Gelonum* et *Scytham*. Illis alias in terras dimiſſis, a Scytha eſſe Βασιλῆας ſeu *Regios* prognatos, qui Herculeae ſtirpis ſignum, phialam de pelliceo cingulo pendentem geſtarint. Diodorus Siculus addit, ex Scythae nepotibus *Palum* et *Napum* genitos, regum potentiſſimos, capita Palorum Naporumque exſtitiſſe. Hos puto Diodorum in animo habuiſſe, qui paullo ante eum cum Mithridate res geſſerunt. Palacus enim Scytha, pro quo Palum dixiſſe videtur Diodorus, cum quinquaginta fratribus eo in bello celebratur. Ab hac fabula Stephanus Byzantius ſua illa accepit: Σκύθαι ἀπὸ Σκύθου παιδὸς Ἡρακλέους. Et ne mediocriter iocularis eſſet, addit: τινὲς δ' ἀπὸ τοῦ σκύζεσθαι, ὀργιλώτατοι γὰρ, *alii dictos cenſent a σκύζεσθαι iraſci: ſunt enim perquam iracundi.* Non magis hoc verum, quam quod Thracicae ſtirpis gentem fuiſſe contendit. At totam illam fabulam, Scythis ipſis ignotam, a Graecis circa Pontum coloniis excuſam et pictam eſſe, Herodotus teſtatur. Id eo factum opinor, quod Hercules a veteriſſimis ad Pontum coloniis, vna cum Hyllo, filio perquam religioſe colebatur. Et erat tum genus quoddam cultus, vt quam ampliſſime et vaniſſime de diis heroibusque, quae neque facta, neque fieri potuerunt, tamen comminiſcerentur, veluti laus ex vero hauſta nihil admirationis haberet, niſi ſi eſſet magno quodam et impudenti mendacio coinquinata. Nunc

Digitized by Google

Nunc occasio fallendi ex quo ducta sit, cognoscite. Graeci ad Pontum intellexerant ex sermone Scytharum, quod Herculis aetate nulli adhuc Scythae regiones inter Borysthenem et Tanaim tenuerint, eo solitudinem fuisse ferebant. Praeterea hoc quoque in Graecis peruulgatum erat, Agathyrsos et Gelonos vetustas fuisse colonias a reliquo Scytharum corpore quocumque casu seiunctas: et denique Scythas Paralatas phialam cum cingulo pelliceo, nobilitatis insignia, gerere. Aulus Gellius ex Erasistrati, qui Aristotelis philosophi e filia nepos fuit, Διαιρέσεων primo libro hoc fragmentum produxit: 8) *Εἰθισμένοι δ' εἰσὶ καὶ οἱ Σκύται, ὅταν διά τινα καιρὸν ἀναγκάζονται ἄσιτοι εἶναι, ζώναις πλατείαις τὴν κοιλίαν διασφίγγειν, ὡς τῆς πείνης αὐτοὺς ἧττον ἐνοχλούσης· σχεδὸν δὲ καὶ ὅταν πλήρης ἡ κοιλία ᾖ, διὰ τὸ κένωμα ἐν αὐτῇ μηδὲν εἶναι, διὰ τοῦτο οὐ πεινῶσιν, ὅταν δὲ σφόδρα συμπεπτωκεία ᾖ, κένωμα οὐκ ἔχει.* *Consueuerunt autem Scythae, cum per aliquot tempus inediam perferendi necessitas est, lutis zonis ventrem constringere, veluti sic eis fames minori molestiae sit: forte etiam cum venter repletus est, quia nihil in eo inane est, idcirco non esuriunt, cum autem valde constrictus est venter, inane nihil habet.* Nunc quoque inter Lithuanos, inter quos aliquamdiu versatus sum adolescens, cingulum pelliceum latum multum ambitionis et fastus habet atque nobiles homines et diuites praefectosque eius nationis ab infima faece plebis discernit. Haec quasi materia et caementa fuerunt, ex quibus illi artifices Graeculi longam fabulam, sed sine calce exaedificarunt. Diodorus Siculus autem in Scythicis partem Herodotum sequitur, partem alios: ea, cum inter se vehementer dissentiunt, vnum in corpus redacta monstrum quoddam pariunt, *informe, ingens, cui lumen ademtum.* Mirum adeo non est, si nihil in Diodori Scythicis reperias, quod ad tem-

8) l. XVI. c. 3.

Digitized by Google

temporum rationes constituendas non repugnet. Sed redeamus ad nostram de Scythis opinionem.

Igitur Scythas, vrgentibus a tergo potentioribus populis, nouas sedes traiecto Volga quaesiuisse, pulsisque Cimmeriis, regionem omnem a Tanai ad Borysthenem occupasse diximus. Postquam etiam illius regionis situm descripsimus, id nunc agemus, vt, in quam aetatem haec Scytharum in Cisuolganas prouincias impressio incidat, explicatum habeamus. Hieronymus in epitaphio Fabiolae, Scythas sub Dario Medo in Asiam excursionem fecisse autumat. Bene hoc, si Darii Medi omnis memoria non multo esset obscurissima. Nos, quantum potest, non recedemus ab Herodoto, diligentissimo inuestigatore antiquitatis, ex quo nobis videmur temporis illius rationem comperisse. Et persequemur deinde cetera quoque, quae ad omnem Scythicam chronologiam poterunt probabili ingenio definiri. Vt explicatis temporum ordinibus, vno in conspectu omnia videres, totam illam chronologiam κατὰ πλάτος exhibui, tum quibus rationibus ductus fuerim, ostendam.

Digitized by Google

A. P. I.	Ante C. N.	A. Nabon.	Olymp.	Reges Mediae	Reges Lydiae	Reges Aegypti
4070	644	104 Ian. 31	34. 1	14 *Phraortis regis*	37 *Ardyos regis*	29 *Psammetichi regis*
4071	643	105	2	15	38	01
4072	642	106	3	16	39	3
4073	641	107	4	17	40	32
4074	640	108. 30	35. 1	18	41	33
4075	639	109	2	19	42 *Cimmerii a Scythis pulsi Asiae Chersonesum inuadunt.*	34
4076	638	110	3	20 *Madyas Prototbyae filius rex Scytharum.*	43	35
4077	637	111	4	21 *Scythae per Caspia claustra Asiam superiorem petunt.*	44	36
4078	636	112. 29	36. 1	22	45	37

A. P. I.

Digitized by Google

A. P. I.	Ante C. N.	A. Nabon.	Olymp.		Reges Mediae	Reges Lydiae	Reges Aegypti
4079	635	113		2	*CYAXARES Phraorte a Babyloniis caeso, patris cladem vlturus, Ninum vrbem obsidet. Scythae vero eum adorti praelio vincunt.*	46	38
4080	634	114		3	2	47	39
4081	633	115		4	3	48	40
4082	632	116. 28	37.	1	4	49	41
4083	631	117		2	5 *Scythae Palaestinam aggrediuntur.*	*SADYATTES.*	42
4084	630	118		3	6	2	43
4085	629	119		4	7	3	44
4086	628	120. 27	38.	1	8	4	45
4087	627	121		2	9	5 *Bellum*	46
4088	626	122		3	10	6 *Cimmericum.*	47

A. P. I.

Digitized by Google

A.P.I.	Ante C. N.	A. Nabon.	Olymp.	Reges Mediae	Reges Lydiae	Reges Aegypti
4089	625	123	4 1	11	7 *Bellum cum Milesiis.*	48
4090	624	124.26	39. 1	12	8	49
4091	623	125	2	13	9	50
4092	622	126	3	14	10	51
4093	621	127	4	15	11	52
4094	620	128.25	40. 1	16	12	53
4095	619	129	2	17	*ALYATTES*	54
4096	618	130	3	18	2	*NECVS*
4097	617	131	4	19	3	2
4098	616	132.24	41. 1	20	4	3
4099	615	133	2	21	5	4
4100	614	134	3	22	6 *Bellum cum Milesiis compositum.*	5
4101	613	135	4	23	7	6
4102	612	136.23	42. 1	24	8	7
4103	611	137	2	25	9	8
4104	610	138	3	26 *Aut extremo anno, aut sequentis anni initio Scythae ex tota*	10	9

Digitized by Google

A. P. I.	Ante C. N.	A. Nabon.	Olymp.	Reges Mediae	Reges Lydiae	Reges Aegypti
				Asiu superiori a Medis pulsi, domi bellum seruile inueniunt. Ortain ter Scythas dissensione, quidam a ceteris oppressi, ad Cyaxarem fugiunt supplices.		
4105	609	139	4	27 *Cyaxares Ninum obsidet et capit. Scythae supplices a*	11	10

Digitized by Google

A. P. I.	Ante C. N.	A. Nabon.	Olymp	Reges Mediae	Reges Lydiae	Reges Aegypti
				Cyaxare fugiunt ad Alyatten.		
4106	608	140. 22	43. 1	28 *Bellum inter Medos et Lydios ortum ob Scythas transfugas.*	12	11.
4107	607	141	2	29 *Calvisii eclipsis.*	13	12
4108	606	142	3	30	14	13
4109	605	143	4	31	15	14
4110	604	144. 21	44. 1	32	16	15
4111	603	145	2	33 *Eclipsis XVII. Maii inter hor. 9-10. pugnam inter Medos et Ly-*	17	16

A.P.I.	Ante C. N.	A. Nabon.	Olymp.		Reges Mediae	Reges Lydiae	Reges Aegypti
					dios dirimuit. Pax inita.		
4112	602	146		3	34	18 *Cimmerii eiiciuntur ex Asia intra Halyn fluvium.*	17
4113	601	147		4	35 *Vsserii eclipsis.*	19	*PSAMMIS*
4114	600	148. 20	45.	1	36	20	2
4115	599	149		2	37	21	3
4116	598	150		3	38	22	4
4117	597	151		4	39 *Petavii eclipsis.*	23	5
4118	596	152. 19	46.	1	40	24	6
4119	595	153		2	*ASTYAGES*	25	*APRIES*
4120	594	154		3	2	26	2
4121	593	155		4	3	27	3
4122	592	156. 18	47.	1	4 *Anacharsis Scytha Athenas venit.*	28	4
					Saulius Gnuri		

Digitized by Google

A.P.I.	Ante C. N.	A. Nabon.	Olymp.	Reges Mediae	Reges Lydiae	Reges Aegypti
				filius Anacharsidis frater rex Scytharum.		
4123	591	157	2	5	29	5
4124	590	158	3	6	30	6
4125	589	159	4	7	31	7
4126	588	160. 17	48. 1	8	32	8
4127	587	161	2	9	33	9
4128	586	162	3	10	34	10
4129	585	163	4	11 *Eratosthenis eclipsis. Plinii eclipsis.*	35	11
4130	584	164. 16	49. 1	12	36	12
4131	583	165	2	13 *Scaligeri eclipsis.*	37	13
4132	582	166	3	14	38	14
4133	581	167	4	15	39	15
4134	580	168. 15	50. 1	16	40	16
4135	579	169	2	17	41	17
4136	578	170	3	18	42	18
4137	577	171	4	19	43	19
4138	576	172. 14	51. 1	20	44	20
4139	575	173	2	21	45	21
4140	574	174	3	22	46	22
4141	573	175	4	23	47	23
4142	572	176. 13	52. 1	24	48	24
4143	571	177	2	25	49	25

Digitized by Google

A. P. I.	Ante C. N.	A. Nabon.	Olymp.	Reges Mediae	Reges Lydiae	Reges Aegypti
4144	570	178	3	26	50	*AMASIS*
4145	569	179	4	27	51	2
4146	568	180. 12	53. 1	28	52	3
4147	567	181	2	29	53	4
4148	566	182	3	30	54	5
4149	565	183	4	31	55	6
4150	564	184. 11	54. 1	32	56	7
4151	563	185	2	33	57	8
4152	562	186	3	34	*CROESVS*	9
4153	561	187	4	35	2	10
4154	560	188. 10	55. 1	*CYRVS*	3	11
4155	559	189	2	2	4	12
4156	558	190	3	3	5	13
4157	557	191	4	4	6	14
4158	556	192. 9	56. 1	5	7	15
4159	555	193	2	6	8	16
4160	554	194	3	7	9	17
4161	553	195	4	8	10	18
4162	552	196. 8	57. 1	9	11	19
4163	551	197	2	10	12	20
4164	550	198	3	11	13	21
4165	549	199	4	12	14	22
4166	548	200. 7	58. 1	13 *Cyrus Sardes cepit.*	*Sardes captae.*	23

Digitized by Google

A.P.I.	Ante C. N.	A. Nabon.	Olymp.	Reges Perſiae	Reges Aegypti
4167	547	201	2	14	24
4168	546	202	3	15 *Neuri, relictis ſedibus, Boryſthenem traiiciunt.*	25
4169	545	203	4	16	26
4170	544	204. 6	59. 1	17	27
4171	543	205	2	18	28
4172	542	206	3	19	29
4173	541	207	4	20	30
4174	540		60. 1	21	31
4175	539		2	22	32
4176	538		3	23	33
4177	537		4	24	34
4178	536		61. 1	25	35
4179	535		2	26	36
4180	534		3	27	37
4181	533		4	28	38
4182	532		62. 1	29	39
4183	531		2	30 *Cyrus Scythas et Maſſagetas bello petit.*	40
4184	530		3	*CAMBYSES*	41
4185	529		4	2	42
4186	528		63. 1	3	43
4187	527		2	4	44
4188	526		3	5 *Cambyſes invadit Aegypt.*	*PSAMMENITVS Amaſi defuncto ſuccedit, Cambyſe in armis appropinquante, regno exuitur.*
4189	525		4	6	
4190	524		64. 1	7	
4191	523		2	*Camb. cum regnaſſet ſeptem annos quinque menſes, decedit.*	
4192	522		3		

Digitized by Google

A.P.I.	Ante C. N.	Olymp.		
4193	521		4	*DARIVS HYSTASPIS.*
4194	520	65.	1	2
4195	519		2	3
4196	518		3	4
4197	517		4	5
4198	516	66.	1	6 *Indathyrsus Saulii filius rex Scytharum Nomadum, iam senex.*
4199	515		2	7 *Darius Babylonem capit, contra Scythas mouit.*
4200	514		3	8
4201	513		4	9 *Arianthas rex Scytharum Nomadum.*
4202	512	67.	1	10
4203	511		2	11
4204	510		3	12
4205	509		4	13
4206	508	68.	1	14
4207	567		2	15
4208	506		3	16
4209	505		4	17
4210	504	69.	1	18
4211	503		2	19
4212	502		3	20
4213	501		4	21
4214	500	70.	1	22
4215	499		2	23
4216	498		3	24
4217	497		4	25
4218	496	71.	1	26
4219	495		2	27
4220	494		3	28
4221	493		4	29
4222	492	72.	1	30 *Clades Persarum ad Marathona.*
4223	491		2	31
4224	490		3	32
4225	489		4	33
4226	488	73.	1	34

Digitized by Google

A.P.I.	Ante C. N	Olymp.		
4227	487		2	35
4228	486		3	36
4229	485		4	*XERXES.*
4230	484	74.	1	*Herodotus natus.*
4231	483		2	
4232	482		3	
4233	481		4	
4234	480	75.	1	
4235	479		2	*Xerxis expeditio in Graeciam.*
4236	478		3	*Pugna ad Platæas et Mycalen.*
4237	477		4	
4238	476	76.	1	*Aripithes rex Scytharum Nomadum.*
4239	475		2	
4240	474		3	
4241	473		4	
4242	472	77.	1	
4243	471		2	
4244	470		3	
4245	469		4	
4246	468	78.	1	
4247	467		2	
4248	466		3	
4249	465		4	
4250	464	79.	1	
4251	463		2	
4252	462		3	
4253	461		4	
4254	460	80.	1	
4255	459		2	
4256	458		3	
4257	457		4	
4258	456	81.	1	*Spargapithes rex Agathyrsorum.*
4259	455		2	*Scyles Aripithae filius, rex Scyth. Nom.*
4260	454		3	
4261	453		4	
4262	452	82.	1	

Digitized by Google

A.P.I.	Ante C. N.	Olymp.	
4263	451	2	
4264	450	3	*Octamasades Aripithae filius, rex Scytharum Nomadum.*
4265	449	4	
4266	448	83. 1	
4267	447	2	
4268	446	3	*Herodotus, vbi historiam suam in Panathenaicis initio Sextilis recitauit, Thurios proficiscitur, aut hoc autumno, aut sequentis anni vere.*
4269	445	4	
4270	444	84. 1	
4271	443	2	
4272	442	3	
4273	441	4	
4274	440	85. 1	
4275	439	2	
4276	438	3	
4277	437	4	
4278	436	86. 1	
4279	435	2	
4280	434	3	
4281	433	4	
4282	432	87. 1	
4283	431	2	*Belli Peloponnesiaci annus primus.*
4284	430	3	
4285	429	4	
4286	428	88. 1	
4287	427	2	
4288	426	3	
4289	425	4	
4290	424	89. 1	*Sitalces rex Thracum obiit.*
4291	423	2	
4292	422	3	
4293	421	4	

Ad

Ad inuestigandam Scytharum chronologiam hos characteres ab Herodoto propositos oculis et animo subiecimus. Ardys Lydorum rex erat, cum Cimmerii a Scythis pulsi per Caucasea claustra Cherrhonesum illam magnam, quam Graeci sine adiecto Asiam nuncupabant, peterent, Sardes praeter Acropolin occuparent, aliarum illius regionis vrbium Graecarum agros diriperent et Cherrhonesum tenerent Sinopicam. 9) Alyattes Ardyos nepos Cimmerios Asia expulit omni, οὗτος, inquit Herodotus, Κυαξάρῃ τε τῷ Δηιόκεω ἀπογόνῳ ἐπολέμησε καὶ Μήδοισι, Κιμμερίους τε ἐκ τῆς Ασίης ἐξήλασεν, vt, si verborum ordinem sequamur, Cimmerii pulsi sint post bellum cum Cyaxare gestum. A Sadyatte quidem iam antea Cimmeriorum ferocia repressa fuisse videtur, sed cur non obtrita ab eo prorsus fuerit, ex fragmento Nicolai Damasceni intelligo. 10) Ait enim is: ὅτι Σαδυάττης ὁ Λυδῶν βασιλεὺς ἦν μὲν τὰ πολέμια γενναῖος, ἄλλως δ' ἀκόλαστος, *Sadyattes Lydorum rex bello quidem fortis erat, attamen idem voluptatum auceps.* Amores eius Nicolaus Damascenus narrat. Talis cum esset Sadyattes, mirum non est, si contentus ab Lydiae finibus Cimmerios esse reiectos, tamen intra Halyn fluuium Sinopicam Cherrhonesum tenere passus est. Sex autem extremis annis Sadyattes etiam bello cum Milesiis districtus fuit, ne Cimmeriis molestus esset: quod bellum Alyattes, filius, aut potius, quoniam admodum puer erat, tutores eius, sexto anno regni composuerunt. Tum vero Alyattes, aut maior aliquantum annis, superiores Asiae huius prouincias inuasisse videtur. Per tot et tam bellicosas gentes lentius peruenit ad Cimmerios in Cherrhonesо Sinopica. Croesus filius paternae virtutis aemulus Lycios, Cilices aliosque populos in interioribus regionibus eiusdem Asiae deuicit et Graecas in ea vrbes tributarias fecit. Tum vero Croesus Asiam omnem etiam

9) Herodotus l. I. c. 6. et 15. l. IV. c. 12.

10) Excerpta Peiresciana p. 453.

Digitized by Google

etiam intra Halyn occupauit. Ex quo intelligimus quoque, primum quidem, Alyatten nondum omnem intra Halyn Asiam tenuisse, cum contra Cyaxarem bellum gereret: et bello illo confecto denique Cimmerios ab Sinopica Cherrhoneso ad Halyn exterminatos esse.

Postquam Cimmerii a Scythis pulsi, in Asiam per Caucasea claustra irruperunt, Scythae, compositis in noua regione, inter Borysthenem et Tanaim rebus, et vxoribus seruisque cum reliqua imbelli multitudine isthic relictis, duce Madya Protothyae filio in Asiam vsque Cimmerios persequi constituerunt. Cum autem a via aberrarent, per Caspia claustra in Mediam, regionem a Cimmeriis fugitiuis auersam, inciderunt. Erat eo tempore Medorum rex Cyaxares. Eius pater Phraortes bello cum Assyriis gesto ceciderat. Is igitur vindicandae cladis et ignominiae caussa Ninum vrbem tum maxime oppugnabat, [1]) cum de impressione Scytharum ad eum nuncius perferret. Ducto aduersum nouos hostes exercitu, Scythicis armis succubuit. Scythae Asia superiori (sic Graeci omnem regionem vltra Euphratem vocabant) potiti, Palaestinam inuaserunt. Psammetichus Aegyptiorum rex, qui tum in Palaestina erat, Scythas muneribus et officiis mitigatos a se dimisit. Pars maior Ascalonem praeterueeti sine maleficio, pauci in extremo agmine fanum Veneris Caelestis spoliarunt. Postquam annos octo et viginti Asiae incubuerant omniaque lasciuia et rapinis, ne dicam tributis, diuexauerant, Cyaxares atque Medi Scytharum insignem multitudinem hospitio comiter acceptos et liberaliter inuitatos trucidarunt inter mensas: ceteri vi atque repentino terrore consternati ex Asia profugerunt, [2]) et domi bellum inuenere cum seruis, qui coniugiis dominorum illuserant, ductis vxoribus, quae maritorum diuturnum desiderium impatientius ferebant et

1) Herodotus l. I. c. 103. 104. l. IV. c. 12. l. VII. c. 20.
2) Herodotus l. I. c. 105. 106.

Digitized by Google

et cum liberis ſtirpe ſeruili. 3) Sub id tempus quoque inter Scythas Nomadas orta ſeditione, 4) pars, quae factionibus erat impar, in Mediam conceſſit ad Cyaxarem regem. Is Scythas ſupplices benigne accepit et in honore habuit, filiumque tradidit, quem et ſagittare et Scythice loqui docerent. Interiecto tempore, cum Scythae venatum exirent et nonnumquam domum redirent inanes, Cyaxares aſpere et cum contumelia veluti inertes tractabat. Homines libertatis vnice amantes, rem indignam rati, ſi pro mancipiis haberentur, vnum puerorum, quos cum filio regis inſtituendos acceperant, mactant, apparatumque, veluti ferinam, regi mittunt et conſcenſis equis ad Alyatten ſupplices profugiunt Sardes. Quos cum Alyattes Cyaxari petenti tradere nollet, bellum ortum eſt inter Lydos Medosque et varia fortuna geſtum. Sextus iſtius belli annus erat, cum in medio vtriusque exercitus certamine, caelo ſereno, obſcurata lux eſt, luna ſub orbem ſolis ſubeunte. Iones, qui in exercitu Alyattis militabant, id eo tempore futurum meminerant: praedixerat enim eis cauſſamque rei explicuerat Thales Mileſius. Lydi autem Medique conſternati ob repentinae noctis prodigium, non modo a praelio abſiſtunt, verum etiam de pacis conditionibus agunt et foedus faciunt, Syenenſi Cilice et Labyneto Babylonio arbitris. Firmandae pacis cauſſa Alyattes Arienin filiam Aſtyagi Cyaxaris filio deſpondit. Id praelium intra Halyn commiſſum videtur, cum Cyaxares omnem ſuperiorem Aſiam teneret, Alyattes vero intra Halyn, et ſatis magno interuallo ab illo flumine, opes ſuas terminaret, vt veroſimile ſit in finitimis vtriusque regni agris bellum eſſe geſtum, varia fortuna et aequata vtriusque populi potentia.

Haec ſunt momenta ad Scythicam chronologiam conſtituendam, quibus vt recte vtar, ſucceſſionem regum Me-

3) Herodotus l. IV. c. 1. Iuſtinus l. II. c. 3. 5. 4) Herodotus l. I. c. 73.

Digitized by Google

Mediae et Lydiae et Aegypti ex Herodoto explicandam esse video. Licet enim hoc loco Iosephus Scaliger ab Herodoto paene conuitiis et denunciatione scaeui omnis nos absterreat, 5) Diodori autem Siculi βασιλικὰς διφθέρας venditet, tamen obduramus et certo iudicio Herodotum viae ducem sequimur. Illum enim Diodorum Scaliger ipse cum istis diphtheris regiis alio in loco plorare iussit, 6) hic cur adeo insanire putet, qui Diodorum spernunt, profecto non video. Non autem diffiteor, rem esse perdifficilem, ex Herodoto aliquod certum tempus sic definire, vt non aliunde assumendum sit aliquid, in quo facile fieri potest, vt ab eius vera opinione aberremus. Sed necesse est in eo auctore, vt hoc discrimen plerumque subeamus. Sic hoc loco ipsum fundamentum successionis regum Mediae extrinsecus adsumendum est, quia Herodotus ipse non posuit. Ex Iulio Africano 7) inquam, qui Polybium, Diodorum Siculum, Thallum, Phlegontem, Castorem, alios omnes, auctores se habere praedicat, initia Cyri in primo anno Olympiadis LV. hoc est in annum periodi Iulianae 4154. extremum conferri oportere. Phlegon Trallianus aliqua sua parte, et satis magna, adhuc exstat, quod miror doctos viros fugere. Iosephus Scaliger enim ab Isaacio Casaubono accepit ex ἀνεπιγράφῳ libro bibliothecae regiae Parisiensis Ολυμπιάδων ἀναγραφὴν 8) eamque inter Graeca Eusebii edidit: cum in epistolis ad Isaacium Casaubonum, hunc ipsum Iulii Africani libellum esse contendit, in editione ipsa nescio cur dissimularit. Mirum quod quibusdam in mentem venit, Scaligerum hanc ἀναγραφὴν confinxisse: addidisse eum quaedam inuenio, minime laudabili diligentia. Henricus Doduellus in cyclis Graecis eidem Iulio Africano attribuit

5) In canonibus isagogicis p. 321. 6) In Fragmenta p. 42. 7) In Eusebii praeparatione Euangelica p. 488. 8) Scaligeri epistolae p. 251. sq. 261.

Digitized by Google

huit librum. 9) Nihil sane est verius. At Phlegontem Trallianum eodem illo libro contineri, non sensit Scaliger et vehementer amissum deplorat. 10) Esse autem hunc Phlegontis, manifestum erit, si, quae Photius 1) περὶ τῆς Ολυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγωγῆς ex Phlegonte habet, ceteraque Phlegontis fragmenta conferas cum libro. Atque vt Iulius Africanus hunc ipsum Phlegontis canonem tamquam suum suscepit et ad A. C. 221. Olymp. CCL. 1. seu Antoninum Elagabalum suppleuit, ita Phlegon videtur in hoc suo libro Eratosthenis Cyrenaei Olympionicas conseruatas ad Hadrianum vsque continuasse, vt Eratosthenes ipse Aristotelis. Argumento mihi fuere fragmenta in aliis scriptoribus considerata et collata cum hoc libro. Phlegon igitur et Iulius Africanus in hac ἀναγραφῇ ad Olympiadis LV. annum primum ita habent: Κῦρος Περσῶν βασιλεύει, *Cyrus rex Persarum.* Sed, vt supra monui, Phlegon Eratosthenis Cyrenaei Olympionica transcripsit in librum hunc suum, vt multo viciniorem illis temporibus producere possimus testem Eratosthenem, quam aut Polybius est, aut quisquam eorum, quos Tatianus et Iulius Africanus apud Eusebium citant. Immo Aristotelem dicere poteram, adhuc antiquiorem, cuius elenchum Olympionicarum Eratosthenes quoque transcripsisse videtur. Is autem ex Persarum diphtheris διὰ τῆς τοῦ Αλεξάνδρου μεγαλοπρεπείας καὶ μεγαλοψυχίας sua prodidit ad Eratosthenem et Phlegontem. Eusebius quoque Iulii Africani testimonio vsus (Eusebius enim ipse in Africani scripto illas Aristotelis et Eratosthenis auctoritates non sensit) initia Cyri Olympiadis LV. 1. ponit

9) p. 742. „Africani, quod semel monuisse sufficiat, praestantissimum fragmentum Olympionicarum Scaligero „debemus, in Graecis suis Eusebianis." 10) De emendatione temporum p. 1. „Quod si Thalli, Castoris, „Phlegontis, Eratosthenis canones exstarent, nulla potius ratio haberetur librorum quorundam, qui hodie „in penuria meliorum nobis in pretio sunt." 1) Codice XCVII.

Digitized by Google

ponit et anno ſuperiori extrema Aſtyagis. Nam Iulius Africanus alio loco diſertius locutus: 2) Κῦρος Περσῶν ἐβασίλευσεν, ᾧ ἔτει Ολυμπιὰς ἤχθη νέ, *eo anno regnare coepit, quo acta eſt Olympias LV.* vt plane A. P. I. 4454. demonſtretur, cuius aeſtate Olympias acta eſt, quod pluribus argumentis demonſtrauit Ioſephus Scaliger in emendatione temporum. Si quis Xenophontis de Cyro fabulam ſequi malit, ſcitam illam et lepidam fabulam, quam Herodotum, is ſuo ingenio vtatur: ego comperiſſe mihi videor, ſcriptam eſſe delectandi cauſſa populi, quo ſibi victum quaereret Xenophon ad leuandam eſuriem. Cognoſce mecum Xenophontis fortunam et ſcripta, ſic meam opinionem minime reprehendes. Scio quidem, Scaligerum, quem ego virum ob ſingularem eruditionem magni facio et vnice diligo, extrema Aſtyagis in anno quarto Cyri ponere, ſed hac in cauſſa ab eo diſſentio. Non hic locus eſt, vt longam diſputationem et ab inſtituto alienam ingrediar, quae aliud argumentum et aliud tempus requirit. Igitur oportet nos A. P. I. 4154. reſpicientes, regum Medorum annos certis interuallis diſponere, vt ſunt ab Herodoto conſignati. Aſtyages, inquit ille, 3) βασιλεύσας ἐπ' ἔτεα πέντε καὶ τριήκοντα praelio ſummo victus eſt a Cyro. Si annos integros in eo, vt in ceteris, numeremus, Aſtyages regnum iniit ante Olympiadis XLVI. 1. Ante eum Cyaxares regnauit annos quadraginta, 4) ergo regnare coepit ante Olympiadis XXXVI. 1. Phraortes annos duos et viginti Medos rexit, 5) itaque rerum potitus eſt Olympiadis XXX. 3.

In Lydiae regum ſucceſſione clades Croeſi nobis quaſi cardo eſt. Id negotium ſimili ratiocinio conficitur. Phlegontis et Eratoſthenis illa Olympionica, regni Lydii extrema ponunt ad Olymp. LVIII. 1. Κῦρος Σάρδεις εἷλε, *Cyrus Sardes cepit.* Ab his non valde diſcrepant Graeca

2) Apud Euſebium de praeparatione Euangelica p. 488.
3) l. l. c. 130. 4) l. l. c. 106. 5) l. l. c. 102.

Digitized by Google

Graeca excerpta Eusebiana, 6) quae hoc loco ducta sunt e Georgio Syncello. 7) Nam extremum annum Croesi cum decimo quarto Cyri componunt. Chronicon marmoreum Sardes expugnatas refert ad Olymp. LIX. 2. Enimuero si Socratem audimus, 8) infra Olympiadem LVIII. procedere nobis non licet: nam ea Olympiade Socrates tradit, Thaletem Milesium, qui, cum Croesus aduersus Cyrum duceret, in exercitu fuit, diem obiisse supremum. Iam Croesus, vt Herodotus habet, 9) annos quatuordecim regnauit, itaque auspicatus est regnum Olymp. LIV. 2. Alyattes regnauit 10) annos septem et quinquaginta, ergo rerum potitus est admodum puer Olymp. XL. 1. Sadyattes ante eum regnauit annos duodecim ab Olymp. XXXVII. 1. Ardys ante eum annos nouem et quadraginta.

Adieci in canone reges Aegyptios secundum annos, quos cuique Herodotus attribuit. In hoc negotio respexi Olymp. LXIII. 3. annum, quem extremum Amasidi fuisse, ista Olympionica tradunt. Puto annum eum, in quem Olympias LXIII. 3. incidit. Itaque Psammetichi annus vltimus est Olymp. XL. 1. ineunte ponendus, vltra quod tempus irruptio Scytharum in Palaestinam non potest collocari. Hieronymi Eusebius ad Olymp. XXXVII. 2. *Scythae vsque ad Palaestinam penetrarunt.* Nihil incommodi in eo est. Vt autem Scythae Psammetichum in Palaestina offenderent, eo accidit, quia, teste Herodoto, tum maxime Azotum obsidebat: obsedit autem eam vrbem nouem et viginti annos, donec cepit.

Vbi haec bene sese habent, quaerendus nobis est sextus annus belli inter Cyaxarem Medum et Alyatten Lydum, cuius characterem habemus, eclipsin maximam in Asia circa Halyn fluuium. Opponit se quidem clarissimis e vetustate monumentis Henricus Doduellus, vir acutissimus:

6) p. 50. 7) p. 240. 8) Apud Diogenem Laertium in Thalete p. 9. ed. Lond. 9) l. I. c. 86. 10) l. I. c. 25.

Digitized by Google

tissimus: 1) *Nec enim*, inquit, *Thaleti peritiam illam astronomiae facile concesserο, quae necessaria erat ad eclipsin praedicendam: nondum scilicet a Cleostrato diviso per signa zodiaco, nec constituto supputationis exordio ab ariete: nondum vel spatio lunaris syzigiae menstruo satis accurate constituto: nondum inuentis illius cyclis aut epicyclis aut nodis: nondum vel ipso satis confesso, corporum opacorum interpositionibus eclipses esse tribuendas. His nondum exploratis, quae poterant esse caelestium luminarium tabulae, quae accuratae supputationes?* Ergo suspicatur, quasdam tenebras obortas fuisse a vaporibus, quas Thales ille physicus e regionis situ et tempestatum natura obseruauerit. Nempe oportet ex Doduelli sententia iis temporibus naturae multo explanatiorem rationem Thaleti constitisse, quam hodie omnibus physicis. Quis hoc nunc potest, vt heri aut nudius tertius agrum aliquem ingressus, in crastinum praedicat, quae tempestas futura sit? Sic dum omnem astronomiam Thaleti adimit Doduellus, ob temporum istorum summam imperitiam, quasi in vicem, physices tantam facultatem tribuit, quanta nunc nulla est in tanta omnis scientiae disciplinarumque copia. At non ita bene de nobis meriti sunt veteres in ἀχρολογουμένων historia prodenda, vt aut Anaximandrum Milesium, aut Cleostratum, aut alium aliquem Graecum illa per se primos reperisse sine controuersia credamus. Acceperunt prisci Graeci sua forte, vt Scaliger iudicat, 2) ἀναπόδεικτα, ex Babyloniorum obseruatione et expoliuerunt: sed euulgarunt in Graecia pro suis, ne quam partem laudis concederent barbaris, in quo posteritas fuit aequior. Vide in exemplo quam cupidi alienae laudis Thaletis aequales fuerint. Malo autem te isthuc cognoscere verbis Appulei Madaurensis, qui Floridorum quarto libro 3) sic fatus est: *Thales Milesius iam procliui senectute*

1) In addendis ad veteres cyclos p. 910. 911. 2) De emendatione temporum p. 97. 3) p. 39. ed. Basil.

Digitized by Google

senectute rationem de sole commentus est, quotiet sol magnitudine sua circulum, quem permeat, metiatur. Id a se recens inuentum Thales memoratur edocuisse Mandraytum Prienensem, qui noua et inopinata cognitione impendio delectatus, optare iussit, quantam vellet mercedem sibi pro tanto documento rependi; satis, inquit, mihi fuerit mercedis, Thales sapiens, si id, quod a me didicisti, cum proferre ad quosdam coeperis, tibi non adsciueris, sed eius inuenti me potius quam alium repertorem praedicaueris. Nempe hi tum mores Graecorum erant, vt multi, aut ab aliis cognita aut inuenta ab se, in arcanis haberent, tamquam, quod excelsae mentes iudicabant, nondum satis exculta et matura, (plura enim veluti crepera in luce videbant animo, quam quae in lumine posuerant) donec aliquis gloriae cupidus, cui illi sua fouenda commendauerant, enunciaret et sibi vindicaret. Ne Thaletem quidem aut cyclum illum suum solis, qui necessario cum cyclo aliquo lunae comparatus fuit, aut eclipsium qualemcumque rationem primum reperisse patior, perpoliuisse nec protulisse tamen ad populum, non dubito. Qui autem existimare possumus adeo infantem fuisse Thaletem, vt eum Doduellus fuisse cupit? cum, quae Mandrayto Prienensi in aurem dixit, ista fere omnia desiderant, quae Doduellus Thaleti adimit. Illo igitur tam infirmo Doduelli praeiudicio omnem prisci aeui fidem conuellere audebimus? Quid autem Doduellus ipse in hac chronologiae parte egit? *Annum*, inquit, *praelii ex historicis monumentis certiorem existimo, quam eclipsin.* Nimirum cum Plinius in praelio Medorum Lydorumque, quod sexto anno belli commissum est, solem defeciisse scribit Olymp. XLVIII. 4. rem eo vtique anno gestam censuit Doduellus, eclipsin ipsam rei gestae accommodatam fuisse testimoniis. Ex eo iudicauit, Scythas Olympiadis XLIII$\frac{2}{3}$ ex Asia fuisse exterminatos. In hoc tempore nobiscum concordat.

Digitized by Google

Sed infirma sunt omnia illa Doduelli ratiocinia, vt nec ipse sibi satisfeciſſe videatur, nedum aliis.

Ioannes Baptiſta Ricciolus in chronologia reformata, Plinii eclipſin defendit. Sed manifeſti erroris tenetur. Ait enim: *A. P. I. 4129. Maii XXVIII. hora 9. 17'. 4''. Sardibus digitorum 12. 1'. 36''. ſecundum Rudolphinas tabulas eclipſis fuit.* Primum mallem, non Sardes reſpexiſſet, ſed regiones ad Halyn fluuium: non enim ante moenia vrbis, ſed in finibus regni Lydiae pugnatum eſt. Tum vero eclipſis, quae A. P. I. 4129. Maii XXVIII. fuit, Pliniana dici non poteſt. Nam A. P. I. 4129. Iulio menſe demum coepit Olympiadis XLVIII. 4. annus. Itaque oportuit Ricciolum aliquam eclipſin poſt Iulium menſem aut A. P. I. 4130. ante Iulium menſem indicare, quae Pliniana diceretur. Cum diuerſas ſententias de Thaletis eclipſi eſſe ſentirem, aliis eam in alium annum conferentibus, virum doctiſſimum Fridericum Chriſtianum Maierum, Collegam noſtrum, conſului, qui pro ſingulari in his calculis doctrina et exercitatione hanc moleſtiam non inuitus ſuſcepit, vt omnes eclipſes, quae inter A. P. I. 4106. vsque ad A. P. I. 4158. in Aſia minori contingere potuerunt, inueſtigaret, omniumque, quae de Thaletis eclipſi exſtant, examinaret ſententias. Is de hac Riccioli eclipſi ad tabulas Rudolphinas exacta ita mihi reſpondit: „A. P. I. 4129. in „Maium menſem eiusque diem XXVIII. eclipſis quidem „incidit, cuius vmbra mediterraneum mare, ſecundum „eius longitudinem, emenſa eſt: verum, quia ad littora „Aſiae minoris ſub ſolis occaſum appulit, in Natolia „nulla fuit eclipſis totalis, quin nec conſpicua, ob inſtantem ſolis occaſum.“ Calculum ipſum cum huius eclipſeos, tum ceterarum, duplici artificio inſtitutum, apud me depoſui, ſi quis forte eum requireret.

Praeterea haec Plinii et Riccioli ſententia omnem veterum monumentorum fidem conuellit. Herodotus Cyaxa-

Digitized by Google

Cyaxarem Medorum regem, non Aſtyagen Cyaxaris filium cum Alyatte bellum geſſiſſe teſtatur: at Plinius et Ricciolus incidunt in annum XIII. Aſtyagis. Eudemus in hiſtoria aſtrologiae auctor eſt, 4) *Βασιλεύοντος Κυαξάρους μὲν τοῦ Ἀστυάγους πατρὸς, Μήδων, Ἀλυάττου δὲ τοῦ Κροίσου, Λυδῶν, regnante Cyaxare patre Aſtyagis, in Media, et Alyatte patre Croeſi, in Lydia*, eclipſin eam obſeruatam eſſe. Hic quidem Clemens Alexandrinus addit circiter L. Olympiadem, ſed hoc ab Eudemi opinione abhorret, vt quoque ab Cyaxaris regno. Obſeruari etiam velim, e quibus erroribus eclipſis Thaletis Pliniana ſit orta. Ὀλυμπιονίκων συναγωγὴ ad Olympiadis XLVIII. tertium annum, qui A. P. I. 4129. XXVIII. Maii diem continebat, *ἔκλειψις ἡλίου, ἣν Θαλῆς συμβησομένην προεῖπεν, eclipſis ſolis, quam Thales futuram praedixit.* Haec ſane eſt eclipſis Riccioli, et Plinius pro tertio anno perperam ſcripſit quartum. Phlegontis Olympionica Plinius videre non potuit, vt Eratoſthenis vidit canones, in quibus hoc ipſum exſtabat. Reliqua iam culpa Eratoſthenis, qui cum forte in Ariſtotelis Stadionicis, aut aliquo alio ad Olympiadis XLVIII. 3. reperit *ἔκλειψις ἡλίου*, nullam deinde aliam eclipſin in vicino notatam, hanc ipſam Thaletis fuiſſe, quam Herodotus commemorat, credidit, et de ſuo adiecit *ἣν Θαλῆς συμβησομένην προεῖπεν.* Qui hunc ſecuti ſunt ducem, nihilo minus auctoritate Herodoti commoti, ſub Cyaxare rege iſtam eclipſin ponunt, vt Clemens Alexandrinus, vt ipſe Ricciolus. Alii in eo circumſpecti, Cyaxarem ſcena excedere cogunt, Aſtyagen vero cum Alyatte committunt, vt fecit Euſebius, et is, quem Cicero primo de diuinatione libro ſequitur: *Et quidem*, inquit, *idem Thales primus defectionem ſolis, quae Aſtyage regnante facta eſt, praedixiſſe fertur.* Neſcio an idem fecerit Plinius, aut an ſcopulum euitauerit, cum nec Cyaxarem

4) Apud Clementem Alexandrinum p. 302. Diogenem Laertium p. 6. ne quid dicam de Theone Smyrnaeo.

Digitized by Google

nominaret, nec Astyagen, sed solum Alyatten, de quo ob diuturnum regnum nulla potest esse controuersia. Sic autem Plinius: 5) *Thales Milesius Olymp. XLVIII. 4. praedicto solis defectu, qui Alyatte rege factus est.* Hic tamen quidam malunt legere *Astyage rege.* Sane Solinus et *Astyagen* et *Alyatten* nominibus citat.

Eclipsis, quam Iosephus Scaliger pro Thaletis eclipsi indicauit, 6) idem incommodum habet. *A. P. I. 4131. Kal. Octobribus Nabonassari 164. Tybi XIII. feria quarta Olympiadis XLIX. 2.* Ita enim diuersis in locis posuit. Annum istum plane dicere voluisse Scaligerum Olymp. XLIX. 2. declarat. In anno Nabonassaeo autem error residet. Nam A. P. I. 4131. A. Nabonassareus 165. a 16. Ian. iniit, vt XIII. Tybi XXIX. Maii Iuliani, Kal. vero Octobres illo anno XIX. Pachon essent, erat enim annus Iulianus bisextilis. De eclipsi ipsa consultus Maier noster ita mihi respondit: „Quae A. P. I. 4131. Kal. Octob. „accidit eclipsis, in Natolia prorsus non potuit obseruari, „quia ibi alta iam nox fuit, nam cum lunae vmbra me„dium terrae discum illuminatum teneret, Vranoburgi „fuit pomeridiana 5. 22'. et Sardibus Lydiae numerata est „6. 54'. quae in noctem incidit." Igitur Scaligerum quoque bona cum venia dimittemus.

Vt is eclipsin Plinianam proxime consequitur, ita Dionysius Petauius, quem Ioannes Harduinus in LXX. hebdomadibus Danielis secutus est, Plinianam anteuertit. Ponit suo e calculo A. P. I. 4117. Hanc cum doctissimus Collega examinasset, „profecto, inquit, eclipsis, quae „Iulii nona fuit, melius multum quadrat, quam Vsserii, „verum exacte non quadrat: eius enim vmbra supra Pon„tum Euxinum transiuit per Scythiam et Maeotin pa„ludem." Itaque in Asia minori non potuit totalis eclipsis obseruari.

Iacobus

5) l. II. c. 12. 6) In fragmenta p. 41 42. In canonibus Isagogicis p. 321. In animaduersionibus Eusebianis p. 89.

Digitized by Google

Iacobus Vſſerius Armachanus quoque in caelo non erranit, ſed in terra. Ponit A. P. I. 4113. XX. Sept. „At, inquit Collega noſter, quae hoc anno menſe Septembri XIX. fuit (fuit enim annus biſextilis, quod Vſſerius non animaduertit) ſolis eclipſis, vmbram in terras „proiecit longe ſupra Pontum Euxinum verſus boream „exiſtentes." De Sethi Caluiſii eclipſi quoque adiecit amicus: „Caluiſius eam refert ad A. P. I. 4207. Contigit quidem hoc anno ſolis eclipſis Iulii die XXX. cuius „vmbra cum medium telluris diſcum occuparet, Vranoburgi hora fere decima ante meridiem numerabatur: „ſed quia vmbra, prope aequatorem, telluris ſuperficiem „peruaſit, in Cherſoneſo illa non potuit videri. Calviſius eclipſin refert ad Febr. II. anni huius: verum „illa eclipſis contigit, cum in Natolia media nox eſſet, „Itaque hic annus nullus fiat."

Dum ita tot annorum eclipſes calculo ſuo exigit, deprehendit vnam a nemine pro Thaletis eclipſi proditam, quae noſtris rationibus vnice conuenit. Summa e calculo Maieriano haec exiit:

„A. P. I. 4111. qui eſt ante Chriſtum 603. menſe „Maio die XVII. ante meridiem 8. 18'. ſub „meridiano Vranoburgi.

„Fuit luminarium copula in ♉. 19. 14'. locus „nodi Ω - ♉. 14. 42'. contigit ergo eclipſis „ſolis.

„Vmbra ab interiecta luna in terram delapſa, inuaſit „primo littora Aethiopiae, prope aequatorem, vbi „nimirum altitudo poli arctici eſt 1°. 40. et longitudo „loci ab inſula Ferro numerata, 23°. fere. Perrexit „dehinc verſus Nili oſtia peruenitque ad Cyprum, cum „ibi horam antemeridianam numerarent nonam fere. „A Cypro tetendit per Ciliciam et Cappadociam appulitque ad Trapezuntem Ponti, cum ibi eſſet hora 10½

Digitized by Google

„fere, ante meridiem, horas inter nonam et decimam. „Migrauit deinde per mediam Asiam et mare pacifi„cum ingressa, terram excessit. Quia luna fuit peri„gaea et sol apogaeus, vmbra ingentem terrae tractum „occupauit, latum scilicet 46 milliaria Germanica, in „quo sol vbique penitus euanuit: verum et quae ad „latera huius tractus sunt regiones solem valde labo„rantem viderunt, lucemque diei fere perdiderunt, „ita vt plebs satis potuerit expauescere. Pertinet ad „hos tractus laterales Lycia, Pamphylia, pars Phry„giae maioris itemque Galatiae.“

Per characteres, quos historia suppeditauit, nulla alia eclipsis nobis opportuna est et vel tolerabilis, quam Vsseriana et Maieriana; altera ab altera non magno interuallo distat. Illam tamen nos oportet abdicare, hanc vt veram sequi. Nunc vide, vt Scytharum res suis annis definiam. A. P. I. 4111. Maii XVII. pugna inter Cyaxarem et Alyattem commissa est, quam lux solis obscurata ante meridiem inter horam 9. et 10. diremit. Tum vero annus sextus belli inter Medos et Lydios inierat. Coepit igitur bellum ob Scythas transfugas, A. P. I. 4106. ineunte. Ante illud bellum Ninus vrbs capta est a Cyaxare. Ponamus captam A. P. I. 4105. et anno eodem Scythas transfugas aut supplices venisse ad Cyaxarem, at anno P. I. 4104. extremo, pulsos ex Asia esse Scythas. Potuere etiam A. P. I. 4105. ineunte pelli, ita tamen vt annus vnus Cyaxari vacuus intercederet inter cladem Scythicam et bellum Lydium, ad inuadendos in otio Assyrios et Ninum capiendam. Hieronymi Eusebius Olymp. XLIII. 2. *Cyaxares Medus subuertit Ninum.* Herodotus non euersam, sed captam testatur. 7) Medi, inquit, Scythas exterminarunt, καὶ οὕτω ἀνεσώσαντο τὴν ἀρχὴν καὶ ἐπεκράτεον τῶν περ καὶ πρότερον, τήνδε Νῖνον εἶλον, *sic imperium recuperarunt, et ea, quae antea*

7) l. I. c. 106.

Digitized by Google

tea tenuerant, immo etiam Ninum cepere. Quare Scaliger argute autumat, in Graecis Eusebianis exstitisse, Κυαξάρης ὁ Μῆδος τὴν Νῖνον αἱρεῖ, quod ambiguitate sua vel *euertisse* vel *cepisse* significat. Sed annum captae Nini in Eusebio nihil moror. Porro cum Scythae XXVIII. annos populis in Asia superiori graues fuerunt, sequitur, eos Asiam inuasisse A. P. I. 4077. Et quoniam non illico, vt Volgam et Tanaim traiecerunt, irrumpere potuere in Asiam, cum eos res suas ordinare nouamque ditionem inter gentes suas describere et familiis prospicere oportuit, ideo probabile est, A. P. I. 4075. Cimmerios a Scythis pulsos, partem vltra Borysthenem concessisse, partem per Caucasea claustra fugisse in Asiam. Sic res illae Cimmeriae incidunt in aetatem Ardyos Lydiae regis. At dicet quisquam, isto modo Scythae Asiam superiorem adorti sunt, non Cyaxare regnante in Media, sed Phraorte. Fateor equidem hunc scrupulum me diu atque acriter excruciasse, vt Vsserianae hypothesi vehementer fauerem, per quam mihi scrupulus ille eximi videbatur, quamquam ne ab eo quidem totus. Vide, quae possint ad defendendam hanc sententiam meam dici. Primum manifestum quidem est, neque Cyaxarem annos quadraginta, neque Phraorten annos duos et viginti ita exacte regnasse, neque ceteros fortassis deinceps omnes suos annos solidos exegisse, vt non aliquid in duobus annis extremis Phraortis decedere, aut principio Cyaxaris adiici possit. Sed hoc tantum non fuerit, opinor, vt nos hic iuuare queat. In annorum quantitate nihil quoque mutari potest, quia anni tota in Asia videntur fuisse Nabonassarei 365 dierum sine horarum sex residuo, sine intercalatione vlla. Itaque saltem non absurdum, Scythas propter difficultates a potentia Medorum obiectas, non, veluti turbine quodam, paucis mensibus tota Asia excursionem fecisse. Sero vtique in Palaestinam venerunt, vt substitisse eos adpareat duos annos primos in finitimis Mediae prouinciis et paullatim

Digitized by Google

promouisse. Occupauerint primo impetu Caspias portas et vicinas regiones, alterο anno auctos ab domo suorum numero, aut in Armeniae aut Mesopotamiae florentissimis vrbibus diripiendis substitisse verosimile est. Quid autem? eane res potuit Phraorten ab Assyriis abducere contra Scythas, aut eo caeso, Cyaxarem ab obsidenda Nino auertere in nouos hostes? Multa in eundem modum quaeri possunt, non modo in vetustis factis, sed etiam in recentibus historiis. Nimirum non omnia geruntur eo iudicio, quod rebus gestis ferre solemus, pleraque impetu quodam animorum ad euentus caeco peraguntur, quorum gloria non in consiliis, sed in fortunae exitu sita est. Etiam hoc plerumque accidit, vt notus hostis plus terroris habuerit et inuidiae, quam recens. Cognoscite hoc ex rebus Constantinopolitanis aduersus Persas magna vi gestis, dum a septemtrionalibus barbaris non item caueretur. Itaque Scythae, cum Phraorten caesum, Cyaxarem cum exercitu ad vindicandam patris mortem contra Ninum mouisse audirent, capto animo, ipsam in Mediam impetum fecerunt A. P. I. 4079. et Cyaxarem, is ab Nino trepidis nunciis accitus occurrit, praelio vicerunt.

Credo equidem, neminem horum temporum rationes magis certas explicaturum esse. Si quis dubitat, huic ego, bona verba praefatus, vehementer faueo et auctor sum, vt se saltem hisce excitari patiatur, vt quod effici posse nego, ipse confectum tradat, meque conuincat, ἵνα εὐτυχέσατον ψεῦσμα ἐψευσμένος ὦ, vt ille sapiens senex quondam dicebat. Homerus, omnium in Graecia scriptorum antiquissimus, hanc nostram de Scytharum migratione sententiam confirmat. Is enim *Cimmerios* canit et *Thracas* et *Mysos* ad Istrum, et *Galactophagos*, *Agauos*, *Hippomolgos*, *Abios*, [8]) *Scythas* vero nullos. Et is erat Homerus, qui, quantum ea aetate res barbarorum et situs regionum vrbiumque, cum intra Grae-

8) Iliade N. v. 4. Odyssea Λ. v. 15.

Digitized by Google

Graeciam, tum extra eam, exstabant et cognoscebantur, et sibi visus est scite et studiose, qua potuit, ostentauit, quoniam in eo prudentiae summam laudem posuit, si quis

πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω,

multorum prouidus vrbes et mores hominum inspexit. Attamen callidus ille παλαιογοίας ostentator, nihil de Scythis: certo argumento, nullos iis temporibus Scythas ad Pontum coluisse, vbi tum Cimmerii Homero noti coluerunt. Strabo 9) contra ea Nomadas Homero cognitos fuisse contendit: sed id vocabuli frustra in poeta quaesiveris. Forsan, cum apud vetustos grammaticos Strabo legeret, vt nunc in minoribus scholiis est, *Abios*, Ἀμαξοβίους καὶ Νόμαδας ὀνομαζομένους, memoriae lapsu ipso in Homero *Nomadas* se legisse censuit. Ab eodem errore abreptus Stephanus Byzantius: Σκύθαι ἐκαλοῦντο πρότερον Νομάδοι. Scio equidem, omnes Homeri interpretes, quos Eustathius Thessalonicensis, non magni vir iudicii, secutus est, Abios et Agauos et Hippomolgos, vno nomine explicare Scythas: Nicolaum vero Damascenum in Galactophagis Homericis tamquam Scythis acquiescere. Sed ego ipsum Scytharum nomen iure meritoque requiro, Abios autem et Agauos et Hippomolgos ad quoscumque alios, etiam ad Cimmerios, eadem facilitate referre me posse video, qua illi ad Scythas. Ne dicam, nomina haec per se ipsa nos circumsistere et flagitare, vt se ingenio poetae conficta fuisse patiamur: sunt enim plane Graeca. Eodem argumento iam Cyrenaeus ille Eratosthenes ostendit, Homerum Scythas non nouisse, ob id ipsum, Straboni, dici vix potest, quam inuisus. 10) Ac de Homeri aetate nihil quidem certi constitui potest: quis enim nescit, quam multa hic dispu-

9) p. 30. 31. ed. Henr. Petri. Sic etiam Nicephorus Gregoras historiae Byzantiae l. II. c. 4. qui autem totum paene genus humanum cum Scythis his commiscet, ipsosque Cimmerios, et hic tamen Homerum testem citat. 10) Strabo p. 338. 340.

Digitized by Google

disputari soleant? mihi tamen quam proxime abesse a veritate videntur, qui poetam longiori interuallo a Troia euersa collocant, quod ipse vehementer postulat, quoties illud suum οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν ingemiscit. Mouet me quoque auctoritas Herodoti, 1) qui Homerum quadringentis duobus et viginti ante se annis scripsisse testatur. Herodotus circa quadragesimum aetatis annum Olympiadis LXXXIII. anno tertio historiam in Panathenaeis edidit: igitur Homerus fuit annis ipsis nonaginta et vno ante Olympiadas Iphiti, annis autem ducentis viginti nouem ante Cimmerios a Scythis pulsos. Atque si quis ex Theopompo et Euphorione in Olympiadem XXIII. et annum quingentesimum a Troia capta Homerum conferre malit cum Doduello, quae citima aetas est, vt iuniorem eum cum aliqua specie veri proditurus sit nemo, tamen etiam sic annis octo et sexaginta Scytharum expeditionem anteceſſit.

Eratosthenes quidem 2) Hesiodi versum protulit, in quo Σκύθαι ἱππομολγοὶ citantur; sed ne quid dicam de Hesiodi aetate, quae est paene incertior, quam Homeri, hic ipse versus an Hesiodi sit, dubitare nos oportet. Multi enim ferebantur Homeri et Hesiodi versus, qui neutrius essent, sed quos Ὁμηρίδαι ἐπῶν ἐπέων τὰ πολλὰ ἀοιδοί, vt Pindari in Nemeis voce vtar, consarcinarunt. Boeoti ad Helicōnem de ciue suo Hesiodo a maioribus acceperunt, nihil aliud, quam Ἔργα edidisse Hesiodum, vt adeo cetera nomen eius mentiantur. Equidem saepenumero mecum sum miratus, doctos et sagacis ingenii viros non sensisse, quantum ὁ χαρακτὴρ τῶν Ἔργων ad Homericam simplicitatem et ad vetustatem acce-

1) Scio Herodotum in vita Homeri edere annos 622. ab Homero, ad expeditionem Xerxis. Et Scaliger quidem ab Eusebium p. 102. pro ἑξακόσια legi vult τετρακόσια, at frustra locum illum sollicitat, vt ex annis ab Ilio capto, isthic adparet. Immo vero ipse liber Herodoto est suppositus a Graeculo quodam, vt demonstrari potest.
2) Apud Strabonem p. 340.

Digitized by Google

accedit propius, tantundem Theogoniam discrepare. Quanto rursum et politius et eruditius ipsa Theogonia est Scutum Herculis? vt ne id quidem Theogoniae partem, nedum eiusdem Hesiodi, qui Ἔργα scripsit, opus esse persuaderi mihi patiar. Et Theogoniam vtique aliquem Thaleti aequalem auctorem habere, haud contemnendis argumentis Doduellus adfirmauit. 2) Quid nunc faciamus huic minuto ἀποσπασματίῳ Hesiodi, quod neque quale fuerit, neque ex quo quantaeque sinceritatis opere productum sit, adparet?

Minoris iam sunt, quae non ex coaeuis scriptoribus, sed raptim ex indoctis aut improuidis contra nostram sententiam corradi possunt. Quale est isthuc, cum Lycophronis Cassandra Teutarum Scytham Amphitruonis bubulcum in iaculandi arte Herculem eruditiisse eique arcum donasse canit: cum eadem Philoctetem ἑοιβῷ χειρας ὥπλισαι Σκύθῃ δράκοντι, *curuo dracone Scythico* (seu arcu) *armasse manus* somniat. Quale illud, cum Onomacritus, Apollonius Rhodius, Valerius Flaccus, Scythas Argonauticis rebus immiscent, siue cum poetae Nioben transisse Bosporum in Scythiam ferunt, aut, vt Apollodorus paullo cautior, *in Scythiam et Cimmeriam terram.* Quale etiam, cum ille Chalcidensis Amazonas inducit, vti

ὑπὲρ κελαινὸν Ισρον ἤλασαν Σκύθας ἵππους.

Quamquam etiam Isocrates, in panegyrico, veluti rem testatam et illustrem praedicat, Thracas cum Eumolpo Neptuni filio, et post eos aliquanto tempore Scythas cum Amazonibus Marte satis Athenas inuasisse ante bellum Troianum. Quale etiam illud, cum Tragici et ex iis Chronicon marmoreum, Oedipoda in Scythia expiatum fuisse ferunt. Damus hanc veniam poetarum fictionibus, quae etiam homines mutant in lapides, et deos in quas quis requirat formas: *rhetoribus autem*, vt ait sum-

2) In cyclis p. 124. adde p. 250.

Digitized by Google

ſummus orator in Bruto, *conceſſum eſt mentiri in hiſtoriis, vt aliquid dicere poſſint argutius.* Magis me mouent, tamquam in vera hiſtoria, quae de Seſoſtri Herodotus narrat; ſiue ille potius ſit dicendus Seſooſis, vt Diodorus Siculus habet, ſeu Rhamſes, vt eſt ex obeliſco nomen eius proditum ab hierophantis apud Tacitum, aut Rhameſtes, vt ex eodem obeliſco Ammianus Marcellinus. Nam vtique fuiſſe aliquem regem Aegypti, qui Aſiam peruagatus, magnam nominis et rerum geſtarum famam ad poſteritatem reliquerit, inconſulte inficiari nos non delectat, nequè adeo priſcis monumentis obſtrepere decet. Euſebius totis annis quingentis hunc regem ponit ante Olympiadas Iphiti. De hoc rege Cornelius Tacitus 4) ſcribit, ſeniorem ſacerdotem Aegyptium apud Thebas ita Germanico Caeſari prodidiſſe: *Cum ſeptingentis millibus aetate militari Rhamſen, Lybia, Aethiopia, Mediſque et Perſis et Bactriano ac Scythia potitum, quasque terras Suri* (Syrii) *Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuiſſe.* Herodotus autem ita accepit a ſacerdotibus Aegyptiis, cum quibus verſatus eſt, 5) Seſoſtrin primum claſſibus obiiſſe mare Erythraeum et populos ſubegiſſe, tum pedeſtri expeditione ſuſcepta Aſiam debellaſſe, inde iam in Europam transgreſſum, Scythis et Thracibus ſubactis, ad Phaſin vsque penetraſſe: obſcuram deinceps rerum famam eſſe, niſi quod Colchos Aegyptii ex illius exercitu iis in regionibus conſediſſe ferebant. Enimuero nego ex eo ſequi, Scythas illic iuxta Thracas Seſoſtris temporibus et ab omni aeuo coluiſſe. Cum hieromantae Scythas et Thracas ex obeliſco interpretati ſunt, non illa nomina in ſaxo hieroglyphico erant, ſed ab interpretibus eorum nomina gentium prodebantur, quae tum his locis agebant, in quibus Seſoſtrin tot ſeculis antea bellum geſſiſſe acceperant. Immo vt Hadrianus Aug.

4) Annalium l. II. c. 60. 5) l. II. c. 102. ſq.

Digitized by Google

Aug. Seruiano scripsit, 6) *Aegyptum totam se didicisse leuem, pendulam et ad omnia famae momenta volitantem*, talis illa omni tempore fuit, sui aestimatrix, contemtrix aliarum gentium, plena inuidiae, ventosa, alienae laudis furacissima. Insignis est locus apud Herodotum de Sanacheribo Assyrio, 7) vbi rerum, quae in Iudaea contigerant, manifesto plagio se inquinarunt Aegyptii. Sed vel hoc ipso loco Aegyptiorum vanitas deprehenditur. Exstat enim, siue Hermapionis, vt Ammianus Marcellinus 8) eum vocat, siue, vt Tertullianus, 9) Hermetelis interpretatio Rameſſaei obelisci, vtcumque eam explodit Athanasius Kircherus, tamen fide multo dignior, quam diuinationes sunt Kircherianae, in qua sic tertium στίχον in australi parte obelisci explicat: Ἀπόλλων κρατερὸς, Ἡλίου παῖς, παμφεγγὴς, ὃν Ἥλιος προέκρινεν, καὶ Ἄρης ἄλκιμος ἐδωρήσατο, οὗ τὰ ἀγαθὰ ἐν παντὶ διαμένει καιρῷ, ὃν Ἄμμων ἀγαπᾷ, πληρώσας τὸν νεὼν τῶν Φοίνικος ἀγαθῶν, ᾧ θεοὶ ζωῆς χρόνον ἐδωρήσαντο. Ἀπόλλων κρατερὸς, υἱὸς Ἡρώνος, βασιλεὺς ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ Ραμέσης, ὃς ἐφύλαξεν Αἴγυπτον, τοὺς ἀλλοεθνεῖς νικήσας, ὃν Ἥλιος φιλεῖ, ᾧ πολὺν χρόνον ζωῆς ἐδωρήσαντο θεοὶ, δεσπότης ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ Ραμέσης, αἰωνόβιος. *Apollo potens, Solis filius, totus fulgidus, quem Sol primo honore mactauit, et Mars strenuus donis repleuit, cuius bona omni tempore permanent, quem Ammon diligit, repleuitque templum bonis Phoenicis, cui dii vitae tempus donarunt. Apollo fortis, filius Heronis, rex ORBIS TERRARVM Rhameſtes, qui custodiuit Aegyptum, alienigenis deuictis, quem Sol diligit, cui multum tempus vitae donarunt dii, dominus ORBIS TERRARVM Rhameſtes, longaeuus.* Haec erat vetus memoria, quam cum

6) Flauius Vopiscus in Saturnino c. 8. 7) Herodotus l. II. c. 141. Eustathius H. A. in Homeri p. 34. 35. ed. Rom. 8) p. 125. ed. Gron. 9) De spectaculis c. 8.

Digitized by Google

cum Hieromantae, siue Herodoto, siue Dario Hystaspis, 10) siue Germanico Caesari interpretarentur, tum illi vero praeturgidi ambitione, gentes τῆς ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ recensebant deuictas, quarum in obelisco nomina exstabant nulla, sed quas sua aetate orbem terrarum incolere audiebant. Sic Constantinus Manasses 1) Hunnos in Sesostris exercitu fuisse cecinit:

Καὶ Πάρθους μετωνόμασε τοὺς Οὔννους ἤτοι Σκύθας.

Quo in errore Constantino praeiuit Arrianus Photii, 2) Parthos inde a Sesostri et Iandyso rege Scytharum prodens. Hesychius Milesius ἐν πατρίοις Κωνσταντινουπόλεως 3) tradit: Ὀδρύσην τὸν τῶν Σκυθῶν βασιλέα, traiecto Istro, vsque ad moenia Byzantii cum exercitu veniisse contra Byzantem: illum inquam patrem vrbis et conditorem, quem etiam in numis signarunt Byzantii. Si Byzantium Olymp. XXX. 3. conditum est, vt Eusebius Hieronymi annotauit, nihil quidem impedit, quin annis XX. post, Byzas et superstes fuerit et bellum habuerit cum Scythis. At ipsum nomen Ὀδρύσης Thracicum est, vt hic potius Hesychium illum Illustrem aliquid humani passum arbitrer. Scio deinde Byzantii origines ab aliis alia in tempora referri: at caussa eadem Hesychii et error manet.

Remoratur me adhuc res vna, quod, cum Aristeas Caustrobii Proconnesius de Scytharum migratione tamquam suae aetatis negotio, si Herodotum audimus, 4) versus edidit, is ipse Aristeas seu vltra Homeri aetatem, Tatiani iudicio, seu aliquanto citra eam constituitur, tanto, inquam, ante descriptam a nobis Scythicae historiae epocham interuallo, quanto Homerus ipse fuit. Verum Herodotus 5) recte iudicauit: Οἱ δὲ πρότερον ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι, ὕστερον, ἐμοίγε δοκέειν, ἐγένοντο τούτων, *qui ante Homerum et He-*

10) Herodotus l. II. c. 110. 1) p. 18. 2) p. 24. ed. Hoeschelii. 3) p. 26. 4) l. IV. c. 13. 14. 15. 5) l. II. c. 53.

Digitized by Google

Hesiodum dicuntur fuisse poetae, vt ego arbitror, post eos fuerunt. Magnus illorum est numerus, quos Ioannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Graeca, more suo, diligentissime recensuit. Quae autem Herodotus de Aristeae ad Scythas et Issedonas Arimaspasque profectione refert, ea fabulis aptiora sunt, quam verae historiae. Septem annis, inquit ille, ab Proconneso abfuit, eos enim annos inter Scythas et Arimaspas egit, deinde cum rediit, Ἀριμάσπεια scripsit atque iterum euanuit: occurrit tamen alicui Cyzicum petenti: denique trecentis annis et quadraginta post, tamquam longaeuae vmbra Sibyllae Metapontinis visus est praecipere, vt Apollini aram ponerent et statuam sibi ad eam aram dedicarent: Apollinem enim Scythicas terras obiisse, se illum corui sub specie secutum, nunc sibi restitutum, iterum hominem, iterum Aristeam esse: hoc dicto disparuit. Adde illis trecentis et quadraginta annis, quibus Aristeas non fuit et iterum fuit, aliquot annos ab eo tempore, cum Metaponti est visus, vsque ad Herodotum, qui haec narrat, iam erit Homero aequalis, aut etiam superior. Quid huic spectro faciemus? Pseudomanti Samosatensis scurrae, an Philospeudi inseremus? Ita mihi videtur, ita fuit visum Dionysio Halicarnassensi, fallaciam illam esse et meras nugas. Neque aliter sensit Herodotus. Fuit Aristeas aliquis, quem Proconnesii ad Hyperboreos, hoc est, ad Graecas colonias in septemtrionali littore Ponti profectum meminerant. Redierit ille Aristeas et repentino aliquo fato perierit, is tamen non fuit, qui Ἀριμάσπεια scripsit. Sed casus Aristeae, multis post annis Proconnesium aliquem, forte Bionem Proconnesium, Pherecydis Syrii aequalem, incendit, vt Metapontinis illuderet atque vt istius Aristeae nomine ederet Ἀριμάσπεια. Non illa tamen prorsus contemnenda, cum Proconnesus libero Ponto commercioque cum Scythis vteretur, vt situs regionum illarum resque Scytharum, Arimasparum, Issedonum, vt tum erant,

Digitized by Google

et paullo ante geſtae, percommode illa in vrbe cognoſcerentur. Igitur Herodotum non reprehendo, qui Ariſteam hunc, dum nihil a Scytharum et Graecorum Ponticorum narratione alienum adferret, hiſtoriae ſuae inſeruit: laudo magis, quod non diſſimulauit, circumſpecte atque parce a ſe huic errori fidem adhiberi. Arimaſpia autem tribus libris bellum Arimaſparum cum Gryphibus complectebantur, ex quibus Dionyſius Longinus 6) hos verſus profert:

Θαῦμ᾽ ἦ μὲν καὶ τοῦτο μέγα Φρεσὶν ἡμετέρῃσιν,
Ἀνδρες ὕδωρ ναίουσιν ἀπὸ χθονὸς ἐν πελάγεσσι.
Δύσηνοι τινές εἰσιν· ἔχουσι γὰρ ἔργα πονηρὰ.
Ὄμματα ἐν ἄστροισι, ψυχὴν ἐν πόντῳ ἔχουσιν.
Ἦπου πολλὰ θεοῖσι φίλας ἄνα χεῖρας ἔχοντες,
Εὔχονται σπλάγχνοισι κακῶς ἀναβαλλομένοισι.

Percuſſere animos ſed et haec miracula noſtros:
Deſertis homines terris habitant mare Ponti.
Heu genus infelix, facies quos dira laborum
Exercet: namque aſtra oculos, animum occupat aequor.
Saepe ſupinatas tendunt ad ſidera palmas,
Vota ſed immanes diſcerpunt irrita venti.

Vt quoque apponam elegantem interpretationem. Tzetzes in Chiliadibus hoc quaſi fragmentum Arimaſpiorum adfert:

Ἰσσηδοὶ χαίτῃσιν ἀγαλλόμενοι ταναῇσι,
Καὶ σφᾶς ἀνθρώπους εἶναι καθύπερθεν ὁμήρους
Πρὸς βορέω, πολλούς τε καὶ ἐθλοὺς κάρτα μαχητὰς,
Ἀφνειοὺς ἵπποισι, πολυῤῥήνας, πολυβούτας,

Οφθαλ-

6) περὶ ὕψους c. X. p. 82. ed. Tollii.

Digitized by Google

Ὀφθαλμὸν δ' ἓν ἕκαστος ἔχει χαρίεντι μετώπῳ,
Χαίτησι λάσιοι, πάντων σιβαρότατοι ἀνδρῶν.
Iſſedones crinibus gaudentes promiſſis,
Dicunt, ſupra ſe eſſe homines conterminos
Ad boream, multos illos et bonos in primis bellatores,
Diuites etiam equis et ouibus late paſcentibus:
Oculum autem vnusquisque vnum habet in fronte:
Hirſuti capillos, omnium robuſtiſſimi hominum.

Vides dici Arimaſpas. Aulus Gellius quoque ex Ariſteae Arimaſpis quaedam recitauit, 7) *Scythas penitiſſimos* ſub ipſis ſeptemtrionibus, humana carne veſci et Ἀνθρωποφάγους ex eo nominari: eſſe Arimaſpas ſub eadem caeli regione, vno oculo: alios vno pede, pernicitate tamen incredibili, et quae ſunt alia. Neque tantum in Scythia et Hyperboreis, ſed omnium terrarum in angulis, ipſo in caelo omnia ſe vidiſſe et contemplatum finxit Ariſteas.

Salua res eſt: philoſophatur quoque iam, non mendax modo eſt.

Qua in re Maximi Tyrii 8) ſcite dictum placet: Καὶ ἦν πιθανώτερος ταῦτα λέγων ὁ Ἀριστέας, ἢ ὁ Ξεναγόρας, ἢ τις ἄλλος τῶν ἐξηγησαμένων τὰ ὄντα, ὡς ἔχει. Qualis fuit Celſi illius philoſophi ſimplicitas, quam idcirco Origenes depexam dedit. 9) Ne quis denique miretur, fuiſſe in Graecia homines, qui ſui monumenta ingenii alienis nominibus inſcripſerint. Eorum enim ſcriptorum, qui ementito nomine commentarios ederent, magna ſemper copia in Graecis fuit. Hoc vt neminem fugere poteſt, qui iſtarum aetatum res cognouit, ita operae pretium erit, vno eximio exemplo commendari. Simmiae cuiusdam in Apollinem carmen exſtitit, ex quo intelligo; illum ſiue Rhodium Simmiam ſub Ptolemaeo Philadelpho, cuius ludicra Hephaeſtion

7) l. IX. c. 4. 8) p. 223. ed. Heinſii. 9) p. 125. ed. Spencer.

Digitized by Google

et Parthenius memorant, cuius *ouum*, *alae*, *ſecures* leguntur, ſeu quem alium, eiusdem nomine Ariſteae itinera ſua recenſuiſſe. Non, inquam, veluti Simmias ſcriberet, ſed plane Ariſteas Proconneſius. Cognoſce e Tzetzae Chiliadibus hoc fragmentum:

Τηλυγέτων δ' ἀφνειὸν Ὑπερβορέων ἀνὰ δῆμον,
Τοῖς δὴ καὶ ποτ' ἄναξ ἥρως παρεδείσατο Περσεὺς.
Ενθα δὲ Μασσαγέται ἔθνος, ἐπιβήτορες ἵππων
Ναίουσι, τόξοισι πεποιθότες ὠκυβόλοισι.
Θεσπέσιόν τε περὶ ῥόον ἦλυθον ἀενάοιο
Καμπάσου, ὃς ἅλα δῖαν ἐς ἀθανάτην φέρει ὕδωρ,
Ἐκ δὲ ἰκόμην ἐλαίαισι περὶ χλωρῇσιν, ἐρυμνὰς
Νήσους, ὑψηκόμοισιν ἐπηρεφέας δονάκεσσιν.
Ημικύνων τ' ἐνόησα γένος περιώσιον ἀνδρῶν,
Τῶν ὤμων ἐφύπερθεν εὐξεφέων κύνεον κρὰς
Τέτραφε γαμφηλῇσι, περὶ κρατέεσσιν ἐρυμνὸν.
Τῶν μὲν δ' ὥρσε κυνῶν ὑλακὴ πέλει, οὐδέ τι τείγη·
Αλλων ἀγνώσσουσι βροτῶν ὀνομακλυτὸν αὐδήν.

Longe ſitarum in diuite populo Hyperboreorum,
Apud quos olim rex heroſque Perſeus hoſpes.
Deinde Maſſagetae celerium equorum vectores
Habitant, fidentes longe iaculantibus arcubus.
Pertingunt quoque ad diuinos fluctus perennantis
Campaſi, qui aquam deuoluit ad ſanctum et immortale mare.
Perueni quoque circum virides oleas, in deſertas
Inſulas, altisque ſe efferentes arundinibus.
Et cognoui ſemicanum hominum genus numeroſum,

Quo-

Quorum ſuper aptis agilibuſque humeris caninum caput
Nutrit eos maxillis, homines robore minime valentes.
Eorum ſermo vt canum latratus eſt:
Aliorum mortalium ſermonem ignorant.

Poſt res illas, quibus Scythae in Aſia maxime celebrati ſunt, nihil ita magnopere accidit, vt in Graecia amplius cognoſcerentur, quam quod Anacharſis Scytha, Graeci ſermonis non ignarus, Athenas venit Olympiadis XLVII. anno primo, annis admodum octodecim poſtquam Aſiae imperio exciderant Scythae. Scio Iuſtinum plures expeditiones Scytharum commemorare et vnam antiquiſſimam Tanai regis. Matthias Belius, vir amiciſſimus, quem, vt meritus eſt, honoris cauſſa nomino, in Hiſtoriae Hungaricae prodromo, 10) hanc Tanai vetuſtatem iure ſuo vocat *abſonam et extra modum abſurdam.* Mallem vero, mecum potius exſtirpaſſet omnes iſtas Trogi Pompeii fabulas, vt inutiles herbas, quam transplantaſſet alium in agrum. Immo vero relinquamus tandem aliquando hunc Scytharum Artotrogum Pompeium. Cyri expeditionem non modo in Maſſagetas, ſed etiam in Scythas fuiſſe ſuſceptam, iam alio tempore dixi, me non immerito ſuſpicari. Sacae vtique, Caucaſeus populus, teſte Herodoto, 1) Perſis paruerunt. Et ad eum equidem populum, aut alium aliquem in Caucaſo, refero lepidam fabulam, quam e Charete Mitylenaeo Athenaeus 2) produxit de Zariadre praefecto Perſico regionum ſupra Caſpias portas ad Tanaim vsque. At Omartem, quem ille regem Scytharum vocat, Maſſagetis tribuo, cuius regia octingentis ſtadiis ad orientem fuit. Nota ſunt et teſtata tragica de exitu Cyri, quibus Xenophon fidem non potuit adimere omnem. Sed totus ordo rerum a Cyro aduerſus illos populos geſtarum caliginoſa nocte premitur, nedum vt

10) p. 7. 1) l. VII. c. 64. l. III. c. 9. 2) p. 575.

Digitized by Google

per eam res Scythicae eluceſcant. De Budinorum et Neurorum migratione etiam dixi, et erit dicendi locus, cum Scythiae res ſub Mithridatica tempora explicabimus. Tum enim ab his migrationum in ſeptemtrionales terras initiis et ab Othino primo exorſus, vsque ad Othinum ſecundum, cum Scythae hinc a Getis iſthinc a Mithridate, aliisque populis pulſi ſunt e Cherrhoneſo et ab Boryſthene Tanaique, conuerſiones Scythicas perſequar, inde iam nouas, quales Auguſteo ſeculo fuere, gentes in tabula deſcribam.

MEMORIAE SCYTHICAE
AD
ALEXANDRVM MAGNVM.

De magnitudine populi Scythici diuerſae ſententiae ad Herodotum [1]) perferebantur, vt inter eas anceps nihil certi adfirmaret. Alii ingentem edebant multitudinem, qui videntur omnes intra Iſtrum et Tanaim populos complexi, alii, qui ſolum, vt puto, Scythicum nomen reſpiciebant, inſignem paucitatem. *Ἀριαντὰς Ariantas* rex, cum numerum Scytharum cognoſcere vellet, iuſſit, vt Scythae ſinguli ſingulos aculeos ſagittarum conferrent in vnum locum, capitis poena indicta, qui mandato non paruiſſet. Ex his aculeis ahenum fecit et in Exampaeo inter Hypanim atque Boryſthenem dedicauit. Herodotus, cum iſthic terrarum verſaretur, ahenum ipſe vidit, amplitudine ſexcentarum amphorarum, ſex craſſum digitos, ex quo argumentum capit, quanta populi iſtius multitudo fuerit. Et Herodotus quidem

1) l. IV. c. 81.

Digitized by Google

quidem argute rationes iniit, sed calculus ille non adparet, Scytharum populum solum contineat, an alias etiam gentes, vt Agathyrsos, Neuros, Gelonos, Budinos, qui non proprie in nomine Scythico censebantur, et Sauromatas etiam, Melanchlaenos, Androphagos, alios, qui alterius stirpis erant homines, Scythis tamen dicto audientes. Ipsi Scythici populi inter sese ritibus quibusdam et consuetudinibus discrepabant ita, vt nulla gens aliquem alterius ritum reciperet. 2) Libertatis vero Scythicae non tantam opinionem Herodotus prodidit, quantam alii postea fuisse, nescio qua fide iactarunt. Regio enim imperio subiecti, principes quoque inter se habuerunt, quos Herodotus modo νομάρχας, aut vt in aliis codicibus est οὐνομάρχας, 3) modo τῶν Σκυθέων προεστεῶτας vocat, qui reges aduersus leges aliquid molientes coercebant: *ditiones* eorum Herodotus ἀρχηίας dixit. Scylen regem proceres illi, quod Graeca bacchanalia celebrasset Borysthene, regno expulerunt. 4) Primus eam regni formam, cum vltra Volgam degerent Scythae, instituit Targitaus. 5) Is tres filios reliquit: minimus natu caelesti miraculo, vt Scythae ferebant, regnum in omnes Scythas consecutus est. Ferunt autem ex caelo decidisse aratrum, iugum, securim et phialam ex auro solido. Leipoxais natu maximus, vt haec palladia tolleret, accessit quidem, sed vasa aurea ardere visa ostento perculerunt. Eodem prodigio Arpoxais medius filiorum Targitai absterritus est: at Colaxais minimus, auro iam non ardente, vasa domum suam tulit. Ex eo tempore maximo natu Scythae Auchatae, medio Catiari et Traspies, minimo Paralatae dicto audientes fuerunt, ita tamen vt huius Colaxais summa in omnes esset potestas. Haec diuisio ratioque regnandi in Scythis Nomadibus ad Darium vsque seruata est, ita vt tres reges essent. Et Colaxais quidem ipse deinde totum regnum in tria regna

2) l. IV. c. 76. 3) l. IV. c. 66. et 79. l. IV. c. 62.
4) l. IV. c. 79. 5) l. IV. c. 5. seq.

Digitized by Google

diuisum filiis tribus reliquit, ita tamen, vt vnus rex maximus esset, isque insignia regni, vasa aurea, secum haberet, quae summi illi reges sancte custodiuere et quotannis maximis sacrificiis coluerunt. Qui ea apud reges in custodia habebat, huic festiuitatis annuae die non licebat sub dio dormire, si dormiuisset, eodem anno exstinctum iri credebant: quare ei tributum est beneficii caussa tantum terrae spatium, quantum eques vno die circumire poterat. Illis temporibus, cum Scythae Cyaxarem vicerunt, Μαδύης Πρωτοθύεω πατὴς summus rex erat, 6) siue is ipse Madyas Scythas ab Transuolganis regionibus duxerit, siue pater eius Protothyas rex. Cum Darius Scythas peteret, rex summus Ἰδανθύρσος 7) *Idanthyrsus* fuit, qui Scythiae magnam partem tenebat: secundae parti rex praeerat Τόξακις *Toxakis:* tertiae ad Tanaim et Maeotin Σκόπασις *Scopasis*. Herodotus hunc Indathyrsum Saulii regis filium fuisse refert, eius inquam Saulii, qui Anacharsin fratrem, quod Athenis fuisset et sacra Graeca sectaretur, interfecit. Ab Anacharsis profectione, cum Athenas venit, ad Darii vsque expeditionem intercedunt 77. anni. Quod facit, vt res nobis non videatur incredibilis. Fuerit tum, cum Darius in Scythiam mouit, annos natus sexaginta Indathyrsus: fuerit Saulius eo tempore, cum Anacharsis Athenas peteret, adolescens et septendecim annis post genuerit Indathyrsum, ita rationes sane concordant. Et tortassis ne tum quidem, cum Anacharsis Athenas venit, regnauit Saulius: forte vt a longa peregrinatione per orbem terrarum rediit Anacharsis, fratrem reperit regnantem. Nihil enim definiri potest, absurdum tamen quid in alterutro sit, non video. Saulius rex Gnuri filius erat, Lyci nepos,

6) l. I. c. 103. 7) Iancyrum vocat Iustinus. Clemens Alexandrinus e Pherecyde Syrio p. 567. Ἰδανθούρων. Quaedam Herodoti exemplaria Ἰνδαθύρσων: at alteram lectionem Strabo quoque habet. Scio Ctesiam in Photii excerptis Scytharcen regem Scytharum nobis edere: tamen id relinquendum statui, cum quam vanus fuerit Ctesias neminem fugiat.

Digitized by Google

pos, Spargapithae pronepos. Illine igitur etiam summi reges Scythiae fuerunt? Neque id inuenio in monumentis, neque vel asseruerim ipse vel negauerim. At post Indathyrsum Ἀριπείθης *Aripithes*, tum Aripithis filius Σκύλης *Scyles* et Scylae frater Ὀκταμασάδης *Octamasades* fuerunt, ad Herodotum vsque. Nam Herodotus testatur, [8]) πολλοῖσιν ἔτεσιν ὕστερον, *multis annis post* quam Anacharsis interiit, Scylen regem simili fato occubuisse. Cognouit ea Herodotus ἐκ Τίμνεω τοῦ Ἀριπείθεος ἐπιτρόπου, aut vt in aliis codicibus Σπαργαπείθεος. 9) Timnes ἐπίτροπος *tutor* Laurentio Vallae: malo *procuratorem* aut *proregem* aut eiusmodi administrationis alicuius quiddam, [10]) tutelam regni, non regis. Si Aripithis ἐπίτροπος fuit, magna est auctoritas summi consiliarii: sin Spargapithis regis, vt puto, Agathyrsorum, non minor sane est. Nam hic Spargapithes rex illis ipsis temporibus fuit. Aripithes rex Scylen genuit ex Istrina coniuge, [1]) Oricum ex Opoea, Octamasadem ex Threissa Tereï regis filia: dolo autem Spargapithis Agathyrsorum regis interiit. Scyles filius regnum suscepit, et novercam duxit in matrimonium Opoeam. Is, vt erat a matre Istrina Graecis caeremoniis institutus, ita Scythicis moribus non aeque vt Graecis delectabatur. Olbiam seu Borysthenem saepe diuertit, qua in vrbe vxorem quoque Graecam duxit et aedificauit palatium magnificum, in spatio autem laxo circa palatium, qualem insulam Romano more diceremus, gryphes et sphinges ex candido lapide dedicauit. Eo quoties venit, exercitu in suburbanis relicto, solus moenia ingressus, portis clausis, liberius more Graeco vixit. Graeca enim veste sumta, in foro, nullo satellitio, comitatu nullo, Olbitis ciuibus permistus agebat, et cum disciplinas audiebat cupide, tum diis quoque faciebat more Graeco. Mense vno exacto aut amplius, veste Scythica recepta ad suas se copias conferebat. Cum aliquando Bacchicis

8) l. IV. c. 78. 80. 9) l. IV. c. 76. 10) Sic ἐπιτροπεύειν dixit Herodotus l. III. c. 142. 1) l. IV. c. 78. 80.

Digitized by Google

quoque initiaretur sacris, palatium fulminis ictu confl. grauit: ille nihilo minus initiationem peregit. Interim Olbita aliquis principibus Scytharum quae fierent per iocum et impotentiam concepti ex regia superstitione gaudii enunciat. Scythae enim Graecorum bacchanalia saepenumero irriserunt, quibus absurdum videbatur, deum inuenisse, quod in insaniam vertat homines. Principes Scythae, hoc cognito, cum Olbita illo scurra in turrim moenium adscendunt, vident Scylen regem cum thiaso bacchantium ritu discurrere et a daemone agitari, ad exercitum redeunt, turpidinem suam dolent. Inde autem cum ad sedes suas sunt reuersi, dissimulatam indignationem aperiunt et Octamasade fratre regis in regnum euecto, seditionem tota Scythia mouent. Scyles id agitari sentiens profugit ad Thracas. At vbi Octamasades cum exercitu ad Istrum mouit, Sitalces Therei filius Thracum rex iis conditionibus Scylen tradidit, vt germanum suum a Scythis reciperet. Scyles eodem die quo in Octamasadis manus venit, capitis supplicio adfectus est. Vt supra dixi, Octamasades matre natus est Therei regis filia, Sitalcis sorore. Sitalces is ipse, qui multis post Xerxis expeditionem annis Athenienſium studiosus fuit 2) et bello Peloponnesiaco res gessit, anno autem octauo belli, hieme, hoc est Olymp. LXXXIX. 1. occidit. 3) Sic ipsum Scylen habemus aequalem Herodoto, Octamasaden vero tum maxime regnantem, cum suas ederet Herodotus historias. Cui nunc aetati inseremus Ariantam regem? Cum Octamasades breui interuallo ante Olympiadis LXXXIII. 3. regnum adiit, ante eum autem Scyles rex fuit non multos annos, erunt ab Indathyrso ad Scylen anni fere sexaginta vacui, quibus solum Aripithen regem inserere non ausim. Quare Ariantas rex ante Aripithen fuisse videtur, qui confecto bello Persico, Scytharum recensionem eo fecit, vt quantum

2) Herodotus l. VII. c. 137. 3) Thucydides l. II. et IV.

Digitized by Google

tum opum ad externam quamcumque vim propulsandam e Scythia et subiectis populis conflari posset, intelligeretur. Dabitur mihi venia, cum in canone hos reges vtcumque posui.

Regum tanta maiestas fuit, vt Scythae maximam iurisiurandi fidem interponerent τὰς βασιληΐας ἑστίας, *regios lares*. 4) Si quando rex aegrotaret, ἰνάριες καὶ ἀνδρόγυναι, harioli tres praecipuae auctoritatis adducebantur, qui causam morbi cognoscerent. Plerumque ea ferebatur, certum hominem, quem etiam nominabant, periurio obligasse regiam domum. Adductus reus in hariolorum conspectum si inficiaretur crimen, cognoscendi potestas dabatur sex aliis hariolis, quorum iudicio condemnatus, illico capite plectebatur. Sin sex harioli reum absoluerent, alii et iterum alii vocabantur harioli, qui si plurima parte consentirent, certa pernicies primis hariolis parata erat, tamquam impostoribus. Plaustrum concameratum sarmentis referciebant, eaque inter sarmenta hariolos manibus a tergo pedibusque constrictis, ore obdurato, compingebant, tum incendebant et boues plaustro alligatos terroribus agitabant, vt ipse motus vim flammae aleret. Saepe boues ipsi ab igne correpti perierunt, nonnumquam euasere ambusti. Quos autem rex morte mulctabat, eorum etiam filii interficiebantur, puellis impunitas fuit. In foederibus hunc morem seruarunt. 5) Cultello aut gladio se sauciantes, sanguinis aliquid in calicem ingentem vino repletum mittebant, acinacem vero, sagittas, securim et iaculum multa apprecati mergebant in calice, tum vinum sanguine humano permistum primi, qui foedus icerant, potabant, secundum eos ceteri comites, qui dignitatis essent praecipuae. Sepulcra Regum in Gerrhis fuerunt. Regis defuncti cadauer cera inducebant Scythae, aluum expurgatam, atque silere et thimiamate apiique et anisi seminibus impletam consuebant, tum

4) l. IV. c. 68. 5) ib. c. 70.

Digitized by Google

tum in plaustro mittebant ad proximam gentem, quae Scythis subiecta erat. Hic populus auris regiae particulam exscindebat, frontem sauciabat et nasum, siniſtram traiiciebat sagittis. Inde funus ab hac gente deductum ad aliam et cum omnes obiisset, a postrema ad Scythas. Isti nunc cadauer regis in hunc modum ab omnibus gentibus lustratum in Gerrhos deferebant. Erat isthic iam antea scrobes ingens et quadrata effossa. Ea in scrobe super toro in loculo cadauer componebant, super defixis ad extrema loculi spiculis ligna, super lignis vestes ponebant. Quod spatium in scrobe vacuum erat, eo pellicem vnam strangulatam coniiciebant et pincernam regium et coquum et equisonem et ministrum et internuncium, tum equos et aliarum rerum primitias et aureas phialas. Denique certatim omnes ingerebant humum, vt tumulus esset quam amplissimus. Anno circumacto e famulitio regio aptissimos ad quinquaginta, ingenuos homines Scythas, qui solis regibus seruiebant, ad tumulum strangulabant et totidem equos. Visceribus exemtis, paleisque eorum loco impositis, consuebant latera. Iam in tumuli parte altera, quinque et viginti equos statuebant, ita vt super duabus trabibus anteriorum pedum crura dependerent, femora ab aliis lignis depressiori loco defigerentur. Per ceruices traiectis palis et lateribus quoque firmatis, vno in stipite medium per equum acto imponebatur finis cuique eques, ita vt stipes per spinam dorsi ad ceruicem equitis tenderet. Capistra ad trabem per equorum ceruicem traiectam alligabantur. Parte altera tumuli, alii equites eodem modo collocabantur. Eius moris aliquid apud Prutenos veteres et Lithuanos mansit. Scythae Nomades seu Regii ceteros Scythas tamquam seruos suos contemserunt. 6) Tamen etiam ceteri suos habuerunt reges: Tauri, Agathyrsi, Neuri, Geloni, Budini, et qui non erant Scythae, Melanchlaeni, Androphagi, Sauromatae. 7) Agathyrsorum regem Spargapithem

6) l. IV. c. 79. 7) l. IV. c. 102.

Digitized by Google

pithem inuenio, 8) cuius dolo Aripithes rex Scytharum, Herodoti aetate, periit.

Hoc in ſtatu cum res Scytharum eſſent, Darius Hyſtaſpis Perſarum rex bellum iis mouit, cum adhuc quidem arctioribus regionibus intra Boryſthenem et Tanaim coercerentur. Cauſſam belli fuiſſe reperio apud Herodotum, 9) quod Scythae olim Aſiam vexaſſent: forte etiam Cyri regis aemulatio Darium acuit. Nemo ita conſilio regis aduerſabatur, quam Artabanus frater, qui inopiam Scythicae gentis commonſtrando, exitio magis Perſarum quam hoſtium expeditionem fore docebat. Vt vidit fruſtra ſe ſaniora ſuadere fratri, tandem deſtitit. Ita Darius Suſis mouit, et emenſus totam Aſiam, Chalcedonem ad Bosporum tenuit. 10) Iſthic enim pontem ratitum fecerat Mandrocles Samius, quo exercitus traiiceretur. Ad Boſporum Darius naue deuectus in Cyaneas inſulas, inde Pontum contemplatus, nauigauit ad inſpiciendum Mandroclis opus. In cippis duobus, quos rex memoriae cauſſa ad Boſporum poſuit, Aſſyriis litteris in vno, in altero Graecis, ſcriptum erat Herodoti aetate, 700 millia in exercitu fuiſſe. Traiecta tanta multitudine, primi Thraces ſe ſine pugna dediderunt. At Getae, qui ſectam de immortalitate ſequebantur, Thracum omnium et iuſtiſſimi et fortiſſimi cis Iſtrum fluuium, vi ſumma debellati ſunt. Ad Iſtrum cum venit Darius, iam ponte ab Graecis ſtratus erat fluuius eo loco, vbi vno alueo deſcendens in brachia diuerſa ſcinditur. Nam a ponte Boſpori Iones, Aeoli et Helleſpontii Ponto deuecti in oſtia Iſtri, aduerſo flumine duos dies nauigarant, donec commodo ad ferendum pontem Iſtro, excenſione facta opus perfecerunt. Hunc pontem a tergo reuelli volebat Darius, vt Graecos quoque relictis nauibus ſecum duceret in hoſtes. Erat enim Dario conſtitutum, vt facile eius conſilium nobis patere poteſt, per Scythiam omnem armis circumlatis ad Caſpia clauſtra reducere in Perſi-

8) l. IV. c. 78. 9) l. IV. c. 1. 10) l. IV. c. 83. ſeq.

Digitized by Google

Persiam. E contrario Coes Erxandri filius Mitylenaeorum dux auctor erat regi, vt pontem sartum a tergo relinqueret et pontis custodes Graecos: ita hunc receptum fore, si Scythae certaminis copiam non darent et necessaria deficerent in exercitu per Scythici soli summam inopiam. Id vero Dario vehementer placuit. Sexaginta dies definiuit, quibus Graeci stationem eam tenerent, exacto illo tempore discessuros domum impune. Hac causa lorum iis dedit sexaginta constrictum nodis, vt singulis diebus singulos nodos resoluerent. Si his sexaginta diebus non rediissent, id argumento futurum fuisse credo, regem pedestri itinere petiisse Asiam. Interim Scytharum summus rex Indathyrsus, accepto nuncio de aduentu Persarum, mandata misit ad Taurorum, Agathyrsorum, Neurorum, Androphagorum, Gelonorum, Budinorum, Sauromatarum et Melanchlaenorum reges, vt omnibus cum copiis adessent, periculum enim commune esse et a Scythis in eos quoque versurum. Gelonus, Budinus et Sauromata consenserunt, auxilia submittenda esse: ceteri exprobrabant Scythis, sine suis copiis expilatam Asiam bello huic iustam causam praebuisse: itaque se, qui nulla iniuria lacessiuerint Persas, metu omni vacuos quiescere statuisse, si ad se quoque venerint hostes, sua se defensuros suis armis. Hoc responso accepto, Scythae coactis in vnum copiis, coniuges liberosque cum omnibus facultatibus partim in castra recipiunt, partim quibus alendis necessaria defutura videbantur, iubent septemtrionem lento gradu petere. Sauromatas ad Tanaim et Maeotin mittunt, qui Persas retrocedentes inuaderent a tergo: Gelonos et Budinos iubent obseruare Persas et si qui possint, in eorum regiones pellicere, qui societatem Scythicam detrectauerant, inde in agros suos se recipere et e re capere consilia. Ipsi lectissimos praemittunt ad Istrum equites, qui cum Darius tertiis castris a flumine esset progressus, vnius diei itinere a Persis consistentes, puteos et fontes obstruxerunt

Digitized by Google

xerunt et herbam corrupere omnem. Persae totum nomen Scythicum in propinquo esse rati, eo signa sua vertunt et modo obequitantes, modo recipientes se persequuntur vsque ad Tanaim. Eo quoque traiecto, in Sauromatas et Budinos flexerunt Persae, capto in Budinis castello ligneo, sed vacuo et deserto, vbi in solitudinem peruenerunt, frustra se sequi Scythas senserunt. Igitur ad Oarum fluuium Darius octo ingentia castella, sexaginta inter se stadiorum interuallo, molitus, quorum rudera Herodoti aetate exstabant, Scythas elabi patitur. Illi vero per superiores regiones in Scythiam ad maiora castra populi sui se receperunt. Darius, cum ab occasu se ostenderent Scythae, relicta castellorum exaedificatione, eodem se vertit. Scythae vbi toto die elusissent Persas, cum tumultu se ad Melanchlaenos conferunt, eodem e vestigio Persae. Hoc ancipiti malo Melanchlaeni cedere coacti, cum Scythis se inferunt in Androphagorum regionem, atque inde cum Androphagis ad Neuros quoque secedunt. Iam omnis illa multitudo, sequentibus Persis, Agathyrsos quoque concitatura erat, cum Agathyrsi Scytharum consilia intelligentes fecialem praemittunt, ipsi in finibus occurrunt armati. Societatem non amplius abnuebant: sin eodem modo Scythae suas terras tumultu permiscerent, parati fines defendere. Tum pars quaedam Scytharum et Melanchlaeni et Androphagi et Neuri septemtrionem petunt, pars Scytharum alia ab Agathyrsis hospitio accepta, tertia pars e Neuride vertit in Scythiam, vt eodem abduceret Persas. Darius errore longo fatigatus legatum ad Indathyrsum regem misit, vt aut restitaret praelioque decerneret, aut si se victum sentiret, in colloquium descenderet, sibique iam domino terram muneri ferret et aquam. Indathyrsus respondit: Nullum timorem fugam sibi suadere, neque enim oppida aut agros cultos sibi esse, quibus metuat, sed hanc Scythis viuendi consuetudinem semper fuisse, vt nullo in loco morarentur diutius, a qua vt quidquam remitterent, caussam

Digitized by Google

ſam ſe nullam videre: ſin Perſae omnino decertare cupiant, ſepulcra maiorum ſuorum, quae in Gerrhis erant, aggrederentur, iſthic inuenturos Scythas propugnatores: dominos ſibi eſſe Iouem patrem et Ιστίην τὴν Σκυθέων βασιλείαν, per quam iusiurandum darent: miſſurum dona, quae Darius eſſet meritus. Domini mentio in primis vſit Scythas. Quare Scopaſis rex cum Scythis ſuae ditionis et Sauromatis miſſus ad Iſtrum, Ionibus auctor fuit, vt pontem reſcinderent: cum dies ſexaginta iam exegiſſent, ſine culpa fore apud Perſas, apud Scythas inituros gratiam. Iones facturos ſe ita ferebant. Et Scopaſis Ionibus fidem habens, inde ab Iſtro in maiora caſtra ſe recepit. Iam enim Scythae pugnare conſtituerant, vt qui in propinquo intercludebant Perſas. Equitatus Perſicus facile cedebat Scythico; inter pedites receptus, in tuto erat. Quin caſtra inuaderent Scythae, mulorum et aſinorum cum ſpecies tum etiam vox impedimento fuit: equi Scythici vt inuſitata in re ferociebant, nulli enim in Scythia vel aſini, vel muli. At Scythae, vt Perſas iam laborantes inopia quam diutiſſime retinerent, praeda pecoris obiecta ad ſpem aliquam recreabant. In extrema Perſici exercitus inopia fecialem cum aue, mure, rana et quinque ſagittis ad Darium mittunt: nihil praeterea in mandatis dant, quam vt celerrime rediret. Darius quidem deditionem eam eſſe interpretabatur, et terrae, in qua mures viuerent, et aquae, in qua ranae, et equitatus, cui ſimilis eſſet auis, et roboris totius, quod in ſagittis eſſet ſitum. E contrario Gobryas Perſa eam Indathyrſi eſſe mentem coniiciebat: Niſi Perſae tamquam mures ſubeant terram, aut aquam veluti ranae, aut ad nubes euolent, non euaſuros Scytharum ſagittas. Haud ita multo poſt Scythae in acie conſtiterunt, cum forte medio in campo lepus decurreret: eam veluti in otio perſequebantur Scythae maximo clamore. Miratus Darius, in conſpectu Perſici exercitus, quaſi in ludicro certamine ſolutos agere, ſuſpicari et ipſe coepit Perſas contemni et Go-

Digitized by Google

Gobryae sagacitatem laudabat. Vocatur de summa rei in consilium Gobryas: is auctor est, vt proxima nocte discedant e castris Persae, relictis, ad fallendum falsa imagine Scythas, et asinis mulisque et imbecillibus, qui sequi non possent, Istrum vero praepropere petant, ne ab Ionibus, dejecto ponte, excluderentur. Eius ex sententia sub noctem mouerunt Persae e castris. Postridie autem, qui relicti erant, de vallo manus tetenderunt ad Scythas. Cognito, discessisse Persas, Scythae cum auxiliis suis et sociis citato cursu per nota viarum compendia profecti ad Istrum, Iones etiam atque etiam monuerunt, vt ponte deiecto se reciperent. Placebat in primis Miltiadi Athenienſi, is dux et tyrannus Cherronensium in Hellesponto erat: contra Histiaeus Milesius animos retinebat in obsequio Persarum, et cum Scythis collocutus, approbare se eorum consilium dixit atque e re sua populique Ionici ducere, modo ad inquirendos Persas equos circumuerterent, cetera sibi curae fore. Hoc dicto, partem pontis versus Scythas ad teli iactum rescidit, tum vt fidem faceret, tum ne forte vim inferrent Scythae. Illi contra Persas versi, longissime aberrarunt. Nam cum plerisque in regionibus herbas et puteos corrupissent, et Persas crederent secuturos loca nulla tali clade foedata, eodem ipsi se contulerunt. At Persae priori via qua venerant, recesserunt, vt quam celerrime pontem tenerent. Vbi intempesta nocte ad Istrum appropinquarunt, solutae in boreali ripa rates ingentem metum pepererunt, donec Histiaeus omnes naues admouit et pontem restauravit. Persae in hunc modum euaserunt, et Scythae Graecos foedis adfecerunt conuitiis, haud aliter quam fida in dominos mancipia adpellantes. Hae res in A. P. I. 4199. incidunt, cum paullo ante Babylon esset capta, aut in A. P. I. 4200. tametsi non ita certis argumentis tempus tenemus, quam coniectura.

Hinc cognosci potest, quae ratio belli gerendi fuerit apud Scythas, cum maiorem vim hostium senti-

rent: neque adeo feros exſtitiſſe, vt non ingenio vterentur atque prudentia. Erat haec conſuetudo in bello, 1) quem hoſtem Scytha proſtrauerat, eius vt potaret ſanguinem, caput ad regem perferret. Si quis nullo capite potiretur, is excludebatur a praeda, ceteri qui cepiſſent, tenebant: qui quam plurima reculiſſet, illum vero virum celebrabant. Hoſtili capiti cutem detrahebant eamque carne e bouis latere recenti maceratam tamdiu ſubigebant, donec molleſceret. Ea cute vt mantili vtebantur de fraeno equi ſuſpenſo: quo quis plura coria gerebat, eo videbatur nobilior. Alii cute in fruſta conciſa laenas conſuebant, tamquam ſiſyras paſtoritias. Multi etiam manus dexteras hoſtium ipſis cum vnguibus excoriabant, quibus corytis pharetrarum vtebantur, alii totos homines excoriatos et in lignis extentos equis imponebant. Humana enim cute, vt craſſiſſima et candore nitidiſſimo delectabantur. Infenſiſſimorum hoſtium craniis infra ſupercilia exciſis purgatisque bouina coria inducebant, diuites etiam interiora cranii inaurabant et eo vtebantur poculo. Sed ſuorum quoque crania illum in vſum exſcindebat, qui lite apud regem et cauſſa cognita ſuperior e iudicio diſcedebat. His poculis praecipue gloriabantur apud hoſpites. Semel quotannis vnusquisque regionis princeps ſua in ditione tribules vino donabat, quod ſuo quisque e cranio biberet, qui fortiſſimi cenſebantur, etiam ex duobus: id vt honoris cauſſa illis tributum, ita ceteris, qui nullo hoſte caeſo excludebantur a compotatione, magnae ignominiae fuit. Nulla connubia in Scythis, promiſcuam Venerem omnium fuiſſe Nicolaus Damaſcenus ſcripſit, et ſeniores dictos patres, iuniores filios, aequales fratrum ſe loco coluiſſe: quae quidem, ſi Herodotum videas, vana ſunt et Platonicae rei publicae tantummodo apta. Nullus in Scythia manuariis artibus honos: ſola dignitas in armis: 2) nullae vrbes, nulla moenia, domos in plauſtris circumferebant, lacte

1) l. IV. c. 64. ſeq. 2) Herodotus l. II. c. 167.

Digitized by Google

lacte et pecoribus se suosque alebant. 3) Callipidae, Alazones, 4) Budini et Geloni serebant frumentum et cepe, allium, lentem, milium, quo pascerentur: Aratores Scythae, tantummodo vt finitimis venderent. De frigore harum regionum multa Herodotus. 5) Eius vim vestibus propulsabant e cannabi, quales a Thracibus conficiebantur tanta arte, vt ignari e lino esse factas crederent. 6) Numquam corpus aqua abluebant. Mulieres ligna cupressi, cedri et thuris (quod noster dixit λίβανον) ad scabrum lapidem cum aqua conterentes succum exprimebant, quo se inungerent: altero die siccum pulverem abstergebant, ex quo et mundae nitidaeque erant et bene olere visae. 7) Aurum in pretio erat: argenti et aeris nullus vsus. Celsus Scythas ἀθέους fuisse criminabatur: et tamen producebat ex Herodoto deorum Scythicorum nomina. 8) Athei, quia, vt Herodotus 9) testatur, nulla deorum templa habebant, aras nullas, nulla simulacra. Et Herodotus vero deos Scytharum cum Graecis numinibus comparans, Ἱστίην Vestam maximam deorum vocauit, quae Scythice Τάβιτι dicebatur, tum Papaeum Iouem, Apiam Papaei coniugem Tellurem, Οἰτόσυρον Apollinem, Arippasan Venerem caelestem, Thamimasaden, cui soli Scythae Regii faciebant, Neptunum. Martis et Herculis nomina Scythica non edidit. Tyr Martis nomen fuisse opinor. In Fastis Siculis secundum Ninum memoratur Θούρρας, cui pater Ζάμης, Mars frater fuerit. 10) Samuel Bochartus ab hoc Tyra Thracas originem ducere copiose, vt solet, disputauit. Et Ζάμης, quamquam Persice زمين *zamin*, *terra* est, tamen eadem notione in Scythicis quoque linguis fuit. Vt adhuc Lithuani *zeme* et *ziame* dicunt, eodem modo Pruteni veteres: Verulice item, Liuonice, Lettice, Curonice, Fennice. Apud Thracas quoque

3) l. c. c. 46. 4) l. IV. c. 17. 5) l. IV. c. 28. seq.
6) l. IV. c. 74. 7) l. IV. c. 75. 8) p. 373. 301. ed. Spenceri. 9) l. IV. c. 59. 10) p. 88. ed. Raderi.

Digitized by Google

fuit, vt *Samothracia* sit *terra Thracum*. Hoc vero nomen bellicosi Martis *Tyr* etiam in septemtrionalibus regionibus adhuc superest. Lucianus tradit in Toxari, 1) id moris fuisse apud Sarmatas, (Sarmatas dicit ad Pontum Euxinum, qui, teste Herodoto, Scythica in sermone admista habebant multa) vt, si quis victus in bello ζώειν vocaret, eius vitae parceretur, ὡς ἐπὶ λύτροις ἥκοντος. Lithuani forte ab eo vocabulo adhuc *iztirti* dicunt *experiri*, paene vt Hesychius τυρωθέντα, τὸν πεπαραχθέντα, κινηθέντα dixit Graece e Scythico vocabulo. Et Origenes quidem merito tum Herodotum, tum Celsum ridet, quod Scythica illa numina cum diis suis comparârint. Herculem sane cultum a Scythis fuisse, id vero profecto, vt tum erat, incredibile esse debuit Herodoto, cum Scythas a Graecis sacris tantopere abhorrere intelligeret. Diis suis equos in primis sacrificabant, boues quoque et humanas hostias: sues vero neque alebant nec ferre poterant, 2) vt nunc etiam quaedam in Asia septemtrionali gentes ab iis abhorrent. Victima adducebatur anterioribus constricta pedibus, qui immolaturus erat, a tergo extremum funem tenens, equum seu ouem in latus coniiciebat. Affusa extis aqua, ossa subiiciebant et incendebant veluti ligna. Si lebes non adesset, hoc compendium repererunt, vt carnem in alvum pecoris purgatam reponerent aqua admista, et super ossibus coquerent. Cocta carne prosicias ante se porriciebat, qui immolauerat. Marti vero ἑκάστοις τῶν ἀρχῶν *singulis ditionibus* mos fuit quotannis sacra facere in hunc modum. Sarmentorum fasces congerebant loco quadrato, longo latoque tria stadia. Tria huiusce templi latera praerupta erant, vnum acclive, vt ascendi posset, superficies non ita alta, at aequabilis. Centum et quinquaginta plaustra quotannis noua sarmenta eo conferebant, quod vetera a putredine subsiderent. Illa super strue atinaces ferrei, veteres tamen, quorum non erat

1) p. 60. 2) l. IV. c. 63.

Digitized by Google

erat in bello vſus, defigebantur. Hoſtiae Martis equi et oues plures, quam ceteris diis. Ex hoſtibus captiuis centeſimum quemque immolabant. Primum in capita vinum fundebant, tum caedebant homines ſuper cratere, ſanguinemque exceptum circa acinaces fundebant. Inde humeros dexteros cum manibus praeciſos iactabant ante ſe in aerem, quo ceciderant loco relicti: ſeparatim truncus iacebat. Harioli quoque permulti eo in populo fuerunt, 3) qui e virgis ſalignis grandes faſces humi poſitos diſſoluebant et ita vt ſors tulerat iacentes conſiderabant: rurſum conuoluebant in faſces, iterum excutiebant. Ex eo iactu occulta canebant vt vates. Enaries a Venere diuinationem accepiſſe crediti, tiliae frondem vnam in tres tenues ſciſſam circum digitos voluebant et reſoluentes vaticinabantur. Sepultura regum, quae fuerit, ſupra relatum eſt. Priuati 4) cadauera ſuorum per amicos circumferebant, amici epulo accipiebant comites, ipſique cadaueri de omnibus liberaliter adponebant. Poſt quadraginta dies terrae condebant. Qui funus deduxerant, in hunc modum luſtrabantur. Primum capita abſtergebant et abluebant, inde tria ligna mutuo inclinata ſtatuebant et circum ea laneos pileos conſtipabant, per apertum foramen ignitis coniectis lapidibus ſemina cannabis adolebant, cuius nidore corpus purgari viſum. Et a Graecis quidem caeremoniis atque moribus vehementer abhorrebant, 5) tamen nonnulli his quoque capti erant ante Herodotum, poſt autem multo magis. Quare non eſt mirandum, in Lithuanis, Prutenis, Curonis ceterisque quaedam Graeci moris obſeruari: et minus vero adhuc, tantam copiam Graecarum vocum in his linguis contineri, quantam nemo credere poteſt, niſi qui cognouerit.

Poſtquam Herodotus nos reliquit, neminem alium in his Scythicis tanta fide et grauitate auctorem, tanta induſtria et prouidentia ducem reperimus. Nam ſecun-

3) l. IV. c. 67. 4) l. IV. c. 73. 5) l. IV. c. 76. 78.

Digitized by Google

dum illum virum, neminem Graecia habuit, qui ad eas res cognoscendas et opportunitatem nanciscereturet studium applicaret. *Oportet nunc nos esse de symbolis.* Quanta potentia Thracum, Getarum Scytharumque fuerit initio belli Peloponnesiaci, Thucydides declarauit. 6) Anno tertio belli Peloponnesiaci, initio hiemis, vt scias agi de Olympiadis LXXXVII. 4. ante C. N. 428. *Sitalces ὁ Τήρεω Terei filius* Athenienſibus inſtigantibus in Macedoniam irrupit, vt aduersus Perdiccam in regnum deduceret Amyntam Perdiccae fratrem. In exercitu habuit Getas quoque, qui iisdem armis, quibus Scythae vtebantur, aliosque vicinarum regionum populos tributarios, vt non modo Macedoniae sed toti quoque Graeciae illae opes terrori essent. Hic Thucydides vim omnem nominis Thracici accurate persequitur, de Scythis autem sic ait: Ισχύει δὲ μάχης καὶ ῥώμης πλήθει πολὺ δευτέρα (ἡ τῶν Θρακῶν βασιλεία) μετὰ τῶν Σκυθῶν· ταύτῃ δὲ ἀδύνατα ἐξισοῦσθαι, οὐχ ὅτι τὰ ἐν τῇ Εὐρώπῃ, ἀλλ' οὐδ' ἐν τῇ Ασίᾳ ἔθνος ἓν πρὸς ἕν, οὐκ ἔστιν, ὅ τι δυνατὸν Σκύθαις ὁμογνομονοῦσι πᾶσιν ἀντισῆναι· οὐ μὴν οὐδ' ἐς ἄλλην εὐβουλείαν καὶ ξύνεσιν περὶ τῶν παρόντων ἐς τὸν βίον ἄλλοις ὁμοιοῦνται. *Sed*, inquit, *certandi robore et exercitus numero longe inferior Thracia est Scythis: nam cum Scythis non modo nullam in Europa, sed ne in Asia quidem gentem comparaueris, quae concordibus Scythis resistere queat: quin etiam ne in reliqua quidem sollertia et prudentia in rebus ad vitam necessariis, cum aliis gentibus conferendi sunt.* Addit scholiasta: ἀλλ' ὑπερβάλλουσι δηλονότι, *nimirum e contrario aliis excellunt.* Magnitudinem populi Scythici etiam Xenophon praedicat, 7) negat tamen Scythas aliam aliquam gentem subigere posse, quod suis se finibus contineant, immo a Thracibus et Illyriis coerceantur, quemadmodum hi quoque a Scythis obseruentur, vt librata populorum illorum potentia ceteri quoque otio perfruantur et

6) l. II. c. 95. 7) Cyropaediae l. I. c. 4.

Digitized by Google

et pace. Is Xenophon in reditu e Perſica expeditione ab Armenicis iugis διὰ Σκυθηνῶν duxit. 8) Adparet ſane Scythinos iuxta Macronas coluiſſe ad borapelioten Trapezuntis iuxta Ἀρπασον fluuium, vt Xenophon eum vocat. Puto eum eſſe Ptolemaei *Apſorum*, Plinii *Abſarum*, Arriani *Apſarum*, ad quem Plinius quoque Macronas collocat, incertum ſuae aetatis, an ſuperioris memoriae. Videtur in Xenophonte potius corruptela irrepſiſſe, aut ab ipſo auctore aut a ſcribis: nam Arriano Cappadociae praeſidi, Alanorum victori, ceterisque poſt eum ſcriptoribus non paucis potius fidem defero, quam Xenophonti. In Baſilii Porphyrogennetae Imp. Menologio 9) eſt Ψάρος. Sed quid nominis ſit Scythini, et an a Scythis ductum, non item facile adparet.

Illo fere tempore Hippocrates, cum de aere, aqua et locis commentaretur, quaedam de Scythis diſſeruit, ſi modo is liber Hippocratis eſt. Scribit autem circa Maeotin Sauromatas colere, genus hominum Scythicum, quod quid ſit, Herodotus explanatius nos docuit. Eorum vxores arcubus et ſagittis contra hoſtes ex equis decernere et dextera mamma carere. Nam puellis infantibus eam aeneo inſtrumento candentique exuri, vt omne robur a ſiniſtro humero brachioque auertatur ad dexterum. Non antea nubere viris, quam tres confecerint hoſtes, nuptas ab equitandi moleſtia liberas eſſe, niſi cum aliqua neceſſitas vrgeat. Tum vero Scythas ait aliquid in habitu formaque corporis habere, in qua tamquam nota a ceteris gentibus diſtinguantur. Solitudinem Scythicam (puta eum dicere omnem regionem intra Boryſthenem et Tanaim) eſſe in planitie ſitam et pratis abundare, ψιλὴν καὶ ἔνυδρον μετρίως *nudam ſiluis et ſic ſatis irriguam:* eſſe enim in ea magnos fluuios, in quos aqua e campis per riuos colligatur. Hac in planitie Scythas Nomadas nullas vrbes colere, ſed in plauſtris degere. Plauſtra minima quatuor agi rotis, maiora ſex: eſſe in iis

8) *in ἀναβάσει* l. IV. c. 7. 8. 9) t. I. p. 221. ed. Vrbinat.

Digitized by Google

etiam luto obduratas domos aut vno aut triplici tabulato. Ex iis quaedam trahi a quatuor, alia a sex bobus. Isthic feminas agere: viros in equis habitare. Vesci carne cocta, bibere lac equinum. Caro, vt ex Herodoto cognoscimus, fere equina tantum, qua mirifice delectabantur. Eustathius narrat in parecbolis Homericis, 10) Scytham Graecis praesentibus equum mortuum non attigisse prae pudore barbari moris, eundem cum solus esset relictus, cupide vorasse. In lacte autem recordor, quod Antiphanes Comicus dixit in Misoponero: 1),

Εἶτ' οὐ σοφοὶ δῆτ' εἰσιν οἱ Σκύθαι σφόδρα;
Οἱ γενομένοισιν εὐθέως τοῖς παιδίοις
Διδόασιν ἵππων καὶ βοῶν πίνειν γάλα,
Οὐχί, μὰ Δία, τιτθὰς εἰσάγουσι βασκάνους
Καὶ παιδαγωγοὺς αὖθις.

Nonne ergo praeter ceteros sapiunt Scythae?
Qui liberis de matre adhuc rubentibus
Immulgent lactis bouini et equini copiam;
Neque illis addunt aut nutrices maleficas
Aut paedagogos.

Vt Hugo Grotius conuertit. Addit Hippocrates: καὶ ἱππάκην τρώγουσι, τοῦτο δ' ἐστὶ τυρὸς ἵππων. Aelius Dionysius: 2) ἱππάκης, βρῶμα Σκυθικὸν διὰ γάλακτος ἱππείου σκευαζόμενον, *cibus Scythicus e lacte equino*, Herodotus 3) auctor est, Scytharum seruos, caecos omnes, lac ita mulsisse, vt simul osciculo cauo ad instar fistulae

10) p. 2. ed. Rom. 1) Ap. Athenaeum p. 226. Excerpta Grotii ex Tragoediis et Comoediis Graecis p. 624. 2) Apud Eustathium l. c. p. 916. 3) l. IV. c. 2. Idem hodie in vaccis obseruant barbari circa Promontorium Bonae Spei, teste Kolbio in Capite Bonae Spei hodierno p. 468.

Digitized by Google

fistulae in naturam equae indicto eam sufflauerint; sic enim venas impleri et vbera demitti ferebant. Lac in vasa lignea collectum: καὶ περιιζάντες κατὰ τὰ ἀγγήια τοὺς τυφλοὺς, δανέουσι τὸ γάλα, *et circum vasa seruos caecos collocabant, qui lac agitarent:* quod in summo deinde erat, vt praestantissimum, ablatum: vilius iam, quod subsederat. Hunc locum eleganter illustrat Hippocrates libro de morbis: 4) Καὶ τὸ μὲν πῖον (τοῦ γάλακτος δηλονότι) ὁ βούτυρον καλέουσιν, ἐπιπολῆς ἵζαται, ἐλαφρὸν ἐὸν· τὸ δὲ βαρὺ καὶ παχὺ κάτω ἵζαται, ὃ καὶ ἀποκρίναντες ξηραίνουσιν, ἐπὴν δὲ παγῇ καὶ ξηρανθῇ, ἱππάκην μὲν καλέουσιν. *Et lactis flos, quem butyrum vocant, in summum succedit, leue enim est: at graue quod est et densum, id infra consident, quod vbi secreuerint, exsiccant, cum autem compactum et aridum fuerit, ἱππάκην vocant.* Equinum vides caseum. Theocritus: 5)

Καὶ τυρόεντα μέγαν λευκοῖο γάλακτος.

Nicolaus Damascenus 6) Galactophagos Scythas ait nullis in aedibus degere: Τροφὴν δ' ἔχουσι γάλα μόνον ἵππειον, ἐξ οὗ τυροποιοῦντες, ἐσθίουσι καὶ πίνουσι· καὶ εἰσὶ διὰ τοῦτο ἄμαχώτατοι, σὺν αὐτοῖς πάντη τὴν τροφὴν ἔχοντες. *Solo lacte equino victitant, ex quo caseum conficiunt: eo tum potu tum cibo vtuntur: itaque non facile bello superantur, quod hunc commeatum vbique circumferunt.* Hesychius etiam panem, τυρόεντα, πλακοῦντα. Sophron in fabula Socrus: 7) Συμβουλεύω τ' ἐμφαγεῖν ἄρτον ἠ ἄρτι τυρῶντα τοῖς παιδίοισιν, *auctor sum pueris, vt panem modo coctum edant.* Totum illud vocabulum Scythicum. Nam adhuc *tyre* Lithuani dicunt *iusculum pingue ex farina, seu pultem.* Non placet, quod Etymologicum Magnum habet: τυρὸς παρὰ τὸ τηρεῖν, κατὰ σποπήν. Sed ad Hippocratis illum librum redeo. Is

4) l. IV. c 13. 5) Id. A. 57. 6) Excerpta Valesiana p. 510. 7) Apud Athenaeum p. 110.

Digitized by Google

praeterea auctor est, minime fecundam fuisse gentem: feras regionem incolere neque numero neque magnitudine insignes et quae ab aeris iniuria sub terrae hiatibus se defendant. In quo parum idoneas auctoritates secutus est. Vt enim elephanti et cameli nulli fuere in Scythia, tamen etiam insigni magnitudine et robore corporis alces, bisontes et equi in primis generosi. Scythas crassos dicit et obesos, et *multi inter eos sunt*, inquit, κεκαυμένοι τοὺς τε ὤμους καὶ τοὺς βραχίονας καὶ τοὺς καρποὺς τῶν χειρέων καὶ τὰ σήθεα καὶ τὰ ἰσχία καὶ τὴν ὀσφῦν, *exusti humeros atque brachia et manuum iuncturas et pectora et coxas et lumbos*, nullam aliam ob caussam, quam διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς Φύσιος καὶ τὴν μαλακίην, *propter humiditatem naturae et mollitiem*. Cum autem vrerentur, humorem in iuncturis solui et corpora validiora fieri meliusque nutriri. Πυῤῥὸν δὲ τὸ γένος, *rufi vero sunt*, propter, vt caussam declarat, frigus, a quo albor adustus in ruborem vertatur. Caussam vero, quam ob rem non multa sobole domus eorum augeantur, hanc edidit, quod viri ob nimiam corporis mollitiem atque frigiditatem et lassitudinem ab assidua equitatione in Venere sint segnes, vt mulieres propter pinguedinem, humiditatem, desidiam, ad concipiendum. Etiam magnam multitudinem Scytharum esse eneruatos. Hi Ἐναρεῖς Ionico vocabulo seu *spoliati*, tum Herodoto, tum ipsi Hippocrati. Herodotus [8]) Scythis, cum Veneris templum Ascalonienſe spoliassent, Venerem Θήλειαν νοῦσον *muliebrem morbum* immisisse tradit, contra ea tum his, qui numine suo tacti essent, tum eunuchis Scythis vaticinandi facultatem tribuisse. Paene his in verbis αἰμοῤῥοΐδας, morbum in assidua equitatione probabilem, deprehendere mihi sum visus. At Hippocrates me retinet et de nullo alio malo cogitare nos sinit, quam de debilitate. Et vt solet in morbis suis, ita in hoc quoque diuinum aliquid inesse Scythis concedit, caussam

8) l. I. c. 105. l. IV. c. 67.

Digitized by Google

cauſſam tamen etiam a natura repetit. Ab equitatione diuturna articulorum in cruribus dolores contingere, vt primum claudicent, denique coxendices contrahantur: medicinam adhiberi, quae ipſo morbo ſit perniciosior: venam enim ad aures aperiri et ſanguine miſſo multo, aegrotum, vbi ſomnus corripuerit, obdormiſcere prae imbecillitate: a ſomno alios ſurgere ſanitate recuperata, alios nihilo melius adfectos: venas autem ea in parte corporis ſectas ſterilitatem conciliare. De hac re medici viderint. Scythae vero cum ſentirent ſe virum exuiſſe, veſtem muliebrem ſumebant, palam confitentes ſe ad ſequiorem ſexum tranſire: nec munia niſi muliebria obibant. Fere ditiſſimus quisque et nobiliſſimus hunc in morbum incidebat, eratque honori debilitas, καὶ σθένος, inquit, τουτέους τοὺς ἀνθρώπους καὶ προσκυνέουσιν, et ob vaticinia magnas ad eos opes vndique conferebant. Scythae, ob equitationes aſſiduas, gerebant ἀναξυρίδας, teſte Hippocrate. Erant ἀναξυρίδες, παρὰ τὸ ἀνασύρεσθαι, Φαμιγάλια, βρακία, vt Etymologus, *braccae*, quae ſuper abdomine colligatae ad talos vsque dependebant, vt in columna, quam Arcadius Theodoſio Imp. patri poſuit, in barbaris cernimus: nonnumquam deuinctae erant pannis. Calcei videntur ex alburno fuiſſe, quas Σκυθικὰς Graeci vocabant. Lyſias in oratione pro Bacchio et Pythagora apud Harpocrationem: 9) Εἰδός τι ὑποδήματος εἰσιν αἱ Σκυθικαί. Alcaeus apud eundem:

Καὶ Σκυθικὰς ὑποδησάμενοι.

Et huc refero, quod Plato in Politico ait: 10) Φυτῶν τε καὶ ἐμψύχων δέρματα σωμάτων περιαιροῦσα, σκυτοτομική. *Sutoria ars aptat corporibus et arborum et animantium coria.* Vt τὰ ἐμψύχων δέρματα ſunt coria boum, equorum, ceterarum animantium, ita τὰ φυτῶν δέρματα

9) p. 321. Iulius Pollux l. VII. c. 22.

10) p. 128. ed. Henr. Petri.

Digitized by Google

διέγματα sunt *libri salignei*, vtar enim Columellae voce, qui inter stipitem et corticem sunt interiecti, ex quibus Lithuani hodie suos calceos conficiunt, tum Russi multique alii sub hoc septemtrione populi.

Strabo [1]) multum praedicat Scytharum veterum iustitiam, continentiam et frugalitatem, paullo tamen ante se, corruptelam morum et luxum a Graecis et Romanis ad Nomadas maxime peruasisse concedit. Sacerdotem Getam siue Decaeneum siue Ceneum, ita diuersis modis scribitur, suis fere temporibus vites omnes iis in terris, quas Getae tenebant, tenebant autem tum maxime magnam Scythiae partem, sustulisse, corruptelam et pestem populi. De sobrietate et iustitia adfert testem Homerum, qui Abios iustissimos homines cecinerat. Nihil hoc ad Scythas, vt supra demonstraui. At Aeschyli versum quoque produxit Strabo:

Αλλ' ἱππικῆς βασῆρες εὔνομοι Σκύθαι.

In eo vt concedam Straboni, εὔνομους dicere poetam, quod iustitiae studerent, quamquam tantum laudis in hac voce non est, tamen quantillum erat, quod Aeschylus de Scythis compertum habebat? Denique Strabo Herodoti nititur testimonio. Credo eum quae de Argippaeis sacris et caluis legerat, in animo habuisse: ac hos Herodotus a Scythico populo secernit: vestem ait esse Scythicam, linguam diuersam. Nullum diuersarum stirpium certius argumentum est, quam in sermone. E contrario cognoscite in Herodoto, quanta Scytharum crudelitas et auaritia Asiam concusserit. De ebrietate etiam testis est in Erato [2]) Cleomenes Anaxandridae filius rex Spartanus, qui Pisistratidarum tyrannidem Athenis fregit. Ab Argiuis vt insanus traductus est, at Spartiatae negarunt eum furiis fuisse agitatum, sed morbum a Scytharum conuersatione ei obtigisse. Nam cum Scythae

1) p. 341. 2) l. VI. c. 84.

Digitized by Google

Scythae Nomades, post Darium fugatum, legatos de foedere misissent ad Lacedaemonios, Cleomenes ex illorum conuictu τὴν ἀκρητοποσίην didicit. Hunc locum Herodoti egregie illustrat Eustathius in parecbolis Homericis. 3) Nam cum ostendisset, priscos Graecos, sobrios homines et parcos vinum aqua dilutum bibisse, ita fatur: Τρεφον οὕτως ὁ ἄκρατος ἐφιλήθη, ὡς καὶ ἀγῶνα τελεῖσθαι ἀκρατοποσίας καὶ ἔπαθλον δὲ τῷ πλεῖον πίνοντι, δηλοῦσιν αἱ ἱστορίαι τῶν παλαιῶν· ἐκ δὲ τοῦ τοιούτου Σκυθικοῦ κακοῦ (δηλονότι ἐκ τοῦ μανῆναι ἐκ μέθης) τὸ ἀκρατέστερον πίνειν, ἐπισκυθίζειν φασὶν οἱ Λάκωνες. *Deinde ita merum voluptati Graecis fuit, vt etiam meri potandi certamina proponerentur, qui quam plurimum bibisset, vt veteres historiae testantur: ex hoc Scythico malo (ex insania puta, quae ebriis obuenit) meracissimum bibere Lacones dixerunt* ἐπισκυθίζειν. Ne dicam Aristotelem, 4) Platonem etiam in primo de Legibus: 5) Σκύθαι καὶ Θρᾷκες ἀκράτῳ παντάπασι χρώμενοι, γυναῖκές τε καὶ αὐτοὶ, καὶ κατὰ τῶν ἱματίων καταχεύμενοι, κάλλον καὶ εὐδαιμονίαν ἐπιτηδεύματα ἐπιτηδεύειν νομίζουσι. *Scythae et Thraces meracissimo vtuntur, tum matres tam viri, atque cum ipsa vestimenta mero perfundunt, tum denique bonum et fortunatum vitae genus tenere sibi videntur.* Parmeno, quem mores Scytharum nosse decuit, fuit enim Byzantius, ita in Iambis cecinit: 6)

Ἀνὴρ γὰρ ἕλκων οἶνον, ὡς ὕδωρ ἵππος,
Σκύθῃσι φωνεῖ, οὐδὲ κόπτα γινώσκων·
Κεῖται δ' ἀναυδὶς, ἐν πίθῳ κολυμβήσας
Κάθυπνος, ὡς μήκωνα φάρμακον πίνων.

It

3) p. 398. ed. Rom. 4) In problematis c. III. 7.
5) p. 515. 6) Apud Athenaeum p. 221.

Digitized by Google

Is enim qui haurit vinum, vt equus aquam,
Scythice loquitur, et ne coppa quidem nouit:
Mutus enim iacet, et in dolio madidus se volutat
Somno alto oppressus, veluti qui e papauere medicinam biberit.

De nullo alio Parmeno loquitur, quam de Scytha: nam in illis Iambis alia quoque de Scythis cecinerat, vt adparet e Stephano Byzantio in voce Βοδινοί. Quod autem ait, οὐδὲ κόππα γινώσκων, eam litteram dicit, quam Graeci prisci e Phoenicum lingua retinebant, posteri abrogarunt: eam vero, vt arbitror, frequentem in sermone Scythico, debili per ebrietatem lingua pronunciari non potuisse Parmeno ridet. Hinc in diuerbio quoque apud Iulium Pollucem Σκυθικὴ πόσις vt Θρακία πρόποσις. Et Σκυθῶν ῥῆσις ab eadem vini proteruitate diverbio ferri videtur, quamquam Diogenes Laertius ab Anacharsidis libertate in dicendo repetit. 7) Eodem pertinet quod Persae, teste Herodoto, 8) πάντας τοὺς Σκύθας καλέωσι Σάκας. Sacae proprie iuxta Caspios coluerunt, a Cyro in prouinciam redacti, Σκύθαι Ἀμύργιοι, vt Herodotus eos vocat. 9) At vniuersos Scythas profecto nulla alia ab re Persae dixisse videntur Sacas, quam a vinolentia. Est enim ساقي *Sakai* Persice *bellua et potor.* Lubet hoc loco fabulam de Saxonum origine attrectare. Sacarum prouinciam intra Caucasum multi prodiderunt, quare etiam R. Abraham Peritsol 10) ملكيوت ساقا *regna Saka* in quinto Climate ad orientalem Caucasum posuit. Hinc de Saxonum origine lepida nata fabula. Auctor Chronici Holsatici a Leibnitio in Accessionibus historicis editi, scenam instru-

7) p. 26. 8) l. VII. c. 64. 9) l. III. c. 93. l. IV. c. 9. 10) In Orachot Olam p. 29. edit. Oxon.

Digitized by Google

instruxit [1]) et modos fecit. Alexander M. in Armenia, vbi arca Noae fuit, reperit gentem fortem et audacem, quae *gens petrita ac petra dura propter animositatem vocata*: eam gentem sibi adiunxit Alexander et cum res maximas in exercitu Macedonum *patrassent*, *mutauit eis nomen*, *petra in saxum*, *propter duritiem Saxones vocauit*. Defuncto Alexandro non ausi sunt Saxones, qui vicinos populos adflixerant, suis se regionibus tueri, ergo trecentas naues conscenderunt et se mari occidentali commisere. Perierunt omnes praeter triginta naues, ex quibus viginti ad *Pruciam* appulerunt eamque regionem occupauere: aliae in Danubium, aliae in Albim delatae. Haec fabula similis illis est, quas exegimus in dissertatione de Muro Caucaseo. Sacas auctor legerat istis fere in locis ad Caucasum collocari. Sed isthuc ille, homo videlicet eleganti ingenio, ex Latino sermone a *saxis* dictum credidit. *Saxum* etiam *petra* est: inde eruditio hominis Holsatici emicuit, qui a *petra* primum, inde a *saxo*, quasi honorificentiori vocabulo, Sacas et Saxones appellatos sensit. Fuit controuersia inter Godofredum Guilielmum Leibnitium et Gerardum Meierum magis mota quam agitata, [2]) de vernerbia Saxonum. Meierus *Satos* a Tacito, deinde *Sassos* dictos putat, a *sassen*, *satz*, *sitten*, tamquam *incolas*, *qui aliquo in loco consederunt*. Perplacuit Leibnitio, vt sane est elegantissima coniectura: magis tamen moueri visus est Vitechindi Corbeiensis auctoritate, qui [3]) a *Saks*, *cultello* seu *pugione*, dictos credidit, ad quem locum Henricus Meibomius alios citat eadem in sententia. Multus in primis est Gobelinus Persona [4]) in huius vocis etymo. Vtra sententia magis probetur, mea non refert, quam-

quam

1) p. 12. 2) Vid. Leibnitii Collectanea Etymologica parte II. p. 257. 272. 274. 284. Leibnitius notis ad excerpta ex Vitechindo p. 71. 3) p. 630. ed. Meibomii. Vid. Olaum Verelium in Hervorar saga p. 121. 4) p. 158.

Digitized by Google

quam quasi priuatim fauco Melero, modo de saxis nihil alicui in mentem veniat. Vitechindus tamen, quamquam ceteris cautior, Gobelinus, ceterique fabulam de Alexandro M. et Saxonibus ad Caucasum, sine dubio e saxis Caucasicis et a Sacis ad eum montem, ortam vehementer probant. Qua autem via Saxones a Caucaso in Holsatiam et Prussiam? Dixi alio loco, opinionem eam fuisse veterem: e Ponto in Maeotidem, inde in Caspium mare et septemtrionale nauigari. Neque alienum erit ab hoc loco, iterum monere, qui error de situ harum regionum, quae monstra opinionum exclusserit. Legebantur vulgo Argonauticorum scriptores, quorum aliqui nunc exstant: eorum autem fabulae transferebantur quoque in geographorum quorundam libellos, in quibus Dionysius Periegetes fuit. Primum Pontum Euxinum altiorem, quam est, ponebant ad boream et supra eum Maeoticam paludem, rursum magis ad borapelioten Caspium mare, ita vt Maeotis in Caspium mare, hoc in mare Balticum et septemtrionale se effunderet et vt Scandinauia insula esset. Sic Caucasus non longe aberat a mari septemtrionali: et Tanais a borapeliote supra Caspium mare descendere videbatur. Ex eo situ multa sunt conficta. Primum Macedonas cum in Sogdiana bellum gererent, haud longe abfuisse a Tanai et Caucaso: deinde a Ponto Euxino in mare Balticum nauigari posse. Scriptores septemtrionales, qui sciebant Scandinauiam continentem esse, tamen sub ea regione maris Baltici et Caspii coniunctionem statuebant, ita vt Caucasus non longe abesset a Scandinauia. Hoc alias demonstrabo. Ceterum hunc situm fabulosum ante oculos ferre debent, qui intelligere velint Adamum Bremensem, Eggehardum Vragiensem et Snorronem Sturlsonium. Adponamus eorum loca. Primum Adami Bremensis: 5) *Deinde latissima Polanorum terra diffunditur, cuius terminum dicunt in Ruzzia*

5) In Historia Ecclesiastica p. 58, ed. Fabr.

Digitized by Google

Ruzzia regnum connecti: haec (Ruſſia) *eſt vltima et maxima Winulorum prouincia, quae et finem illius facit ſinus* (Balthici). Tum ad ſeptemtrionem Balthici maris recenſet *Nordmannos* (Noruagos) et *Sconiam*, et ſupra eam, *Gothiam*, *poſtea*, inquit, *longis terrarum ſpatiis regnant Sueones vsque ad terram foeminarum* (Amazonum ad Caucaſum), *ſupra illas Wilzi, Mirri, Lami, Scuti* (Scythae) *et Turci* (Turcos dicit Conſtantini Porphyrogennetae) *habitare feruntur vsque ad Ruzziam, in qua denuo finem habet ille ſinus Balthicus.* Sexaginta annis poſt Eggehardus 6) ad A. C. 994. de Goltrino ſcribit: *Ad terram arctoam, id eſt, ſeptemtrionalem plagam venit, quae hoc nomen ſortitur ab arcturis, id eſt, vrſis duabus maiore et minore, quas ſerpens circumflexus in ſe continet, vt aſtrologi aſſerunt: hac mundi parte Scitae* (Scythae ad Caucaſum) *incertis ſedibus vagantur: genus hominum ferum, moribus belluinum, qui ſua habitacula de pellibus aut pilis animalium ſecum vehunt, crudis ferarum carnibus et equino lacte paſcuntur: huc ille Goltrin ad ſuos veniens, in regnum hereditario honore ſublimatur.* Centum annis poſt Eggehardum Snorro Sturlſonius in chronico Noruagico 7) quod Septemtrionis ſui Vatro Ioannes Peringskioldus edidit: *Terrarum orbis ſinuoſus paſſim eſt et quam plurimis diuiditur lacubus, quin etiam ex oceano ipſum ambiente ingentia maria in terrae gremium ſeſe immittunt: conſtat inſuper vaſtum mare ab Noruaſund, hoc eſt, Freto Gaditano, ad Palaeſtinam vsque ſe extendere: hinc aquilonem verſus, porrectae longitudinis ſinus, quem Mare Nigrum ſeu Pontum Euxinum vocant, excurrit: haec loci tres orbis partes ad inuicem ſeparantur: parte Maris Nigri quae boream ſpectat, ſitum eſt*

6) p. 356. ed. Eccardi vid. p. 195. 7) p. 1.

Digitized by Google

eſt magnum illud et frigoribus obnoxium Suióniae regnum, quod nonnulli vaſtae illi Serklandiae, nonnulli Aethiopiae aequiparant: magnae huius Suioniae plaga ſeptemtrionalis, propter intenſiſſimum frigus et inclementiam caeli, inculta iacet: plurimas habet Suionia bordas ſeu diſtrictus diuerſis diſtinguitur linguis et varia populorum multitudine abundat, inter quos, gigantes, pygmaei, pugiles ſubfuſci coloris variaeque gentes prodigioſae inueniuntur, praeterquam quod immanes beſtias et ſtupendae magnitudinis ſerpentes hic offendes. (Scilicet quicquid alit fabuloſus Caucaſus.) *Ex montium maxime ſeptemtrionalium iugis oritur Tanais olim dictus Tanaquisl vel Wanaquisl, hoc eſt, fluvius Tanais ſeu Vanorum amnis, qui per magnam Suioniam deuectus in Mare Nigrum ſe exonerat: regio huius fluuii brachiis intercluſa Vanalandia ſeu Vanaheimum quondam appellari ſueuit: ternas mundi partes Tanais ſic diſterminat, vt ab oriente habeat Aſiam, ab occidente Europam relinquat.* Inde iam Eggehardus: [8] *Hi a Sithia* (Scythia) *inferiori egreſſi, Normanni lingua barbara, quaſi homines ſeptemtrionales, dicti ſunt.* Anaſtaſius Sinaita: Σκυθίαν δ' εἰώθασι καλεῖν οἱ παλαιοὶ τὸ κλίμα ἅπαν βόρειον, ἔνθα εἰσὶν οἱ Γότθοι καὶ Δάνεις, *Scythiam ſoliti vocare veteres clima totum boreale, vnde ſunt Gothi et Dani.* Et in hunc modum alii prope infiniti. Vide monſtroſus ſitus Caucaſi et Ponti Euxini Marisque Caſpii quales errores pepererit, confuſa praeſertim veterum gentium memoria cum novis incolis: πολύμορφόν τι θέαμα καὶ ἄλλοτε ἀλλοῖόν τι φανταζόμενον.

Quam inſolenter et crudeliter ſe geſſerint Scythae, Clearchus Solenſis Ariſtotelis auditor teſtatur. [9] Non grauabor locum integrum adponere:

Μόνον

8) p. 195. 9) Apud Athenaeum p. 524.

Digitized by Google

Μόνον δὲ νόμοις κοινοῖς πρῶτον ἔθνος ἐχρήσατο τὸ Σκυθῶν. Εἶτα πάλιν ἐγένοντο πάντων ἀθλιώτατοι βροτῶν διὰ τὴν ὕβριν· ἐτρύφησαν μὲν γὰρ, ὡς οὐδενὲς ἕτεροι τῶν πάντων, εὐρείας καὶ πλούτου καὶ τῆς λοιπῆς αὐτοὺς χορηγίας κατασχούσης. Τοῦτο δῆλον ἐκ ἔτι καὶ νῦν ὑπολειπούσης περὶ τοὺς ἡγεμόνας αὐτῶν ἐσθῆτος τε καὶ διαίτης. Τρυφήσαντες δὲ καὶ πρῶτον πάντων τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ τὸ τρυφᾶν ὁρμήσαντες, εἰς τοῦτο προῦλθον ὕβρεως, ὥςε πάντων τῶν ἀνθρώπων εἰς οὓς ἀφίκοιντο, ἠκρωτηρίαζον τὰς ῥίνας, ἀφ' ὧν οἱ ἀπόγονοι μετασάντες, ἔτι καὶ νῦν τοῦ πάθους ἔχουσι τὴν ἐπωνυμίαν. Αἱ δὲ γυναῖκες αὐτῶν τὰς Θρακῶν τῶν πρὸς ἑσπέραν καὶ ἄρκτον τῶν περιοίκων γυναῖκας ἐποίκιλλον τὰ σώματα περόναις γραφὴν ἐνεῖσαι. Ὅθεν πολλοῖς ἔτεσιν ὕστερον αἱ ὑβριωθεῖσαι τῶν Θρακῶν γυναῖκες ἰδίως ἐξηλείψαντο τὴν συμφορὰν προσαναγραψάμεναι τὰ λοιπὰ τοῦ χρω-

Primum tantummodo legibus communibus vsum est omne nomen Scythicum. Postea Scythae per morum insolentiam et proteruitatem omnium hominum miserrimi euaserunt. Nam voluptati indulserunt ita, vt non alii aliqui populi, cum ab effluentia et opibus ceterisque rebus ad vitia corrumperentur. Id vero manifestum fit ex cultu et victu, qualis hoc nostro quoque tempore inter eorum principes obtinet. Cum autem maxime voluptatibus se immergerent et primi omnium hominum se dedissent voluptatibus, tandem in contumeliis infligendis adeo insolentes sunt facti, vt, ad quos peruasissent in armis, eorum nares praeciderent. Mutilatorum in hunc modum posteri patria pulsi, ad hoc tempus ab ista maiorum contumelia cognomen gerunt. Vxores autem Scytharum aeque procaces, coegerunt mulieres et Threissas ad occidentem et ceteras ad boream, vt corpora inciderent fibulis et quasi pingerent. Quare multis post annis Threissae, quae tali contumelia adfectae fuerant, priuato consilio hanc calamitatem obliterarunt, cum etiam omnem reliquam cutem pingerent,

χρωτὸς, ἵνα ὁ τῆς ὕβρεως καὶ τῆς αἰσχύνης αὐταῖς χαρακτὴρ εἰς ποικιλίαν καταριθμηθεὶς κόσμου προσηγορίᾳ τοὔνειδος ἐξαλείφῃ. Πάντων δ' οὕτως ὑπηρεφάνως προέσησαν, ὥςε οὐδένων ἄδακρυς ἡ τῆς δουλείας ὑπουργία γιγνομένη, διήγγειλεν εἰς τοὺς ἐπιγιγνομένους τὴν Σκυθῶν ῥῆσιν, οἵά τις ἦν. Διὰ τὸ πλῆθος οὖν καταςχουσῶν αὐτοὺς συμφορῶν ἐπεὶ διὰ τὸ πένθος ἅμα τότε τῶν βίων ἄλβον καὶ τὰς κόμας περιεσπάσθησαν παντὸς ἔθνους, οἱ ἔξω τὴν ἐφ' ὕβρει κουρὰν ἀποσκυθίσαι προσηγόρευσαν.

gerent, vt notae contumeliae et pudore plenae inter variegati corporis picturas permistae et confusae, venustatis et decoris praetextu, opprobrium obliterent. Omnibus autem ita superbe imperarunt, vt nullius populi sub Scythis seruitus sine lacrumis esset, eaque res posteris declarauit, quid id sit, cum dicatur diuerbio Σκυθῶν ῥῆσις. *In magnitudine igitur calamitatum, quibus deuictas gentes Scythae adflixerunt, quoniam in summo luctu, simul opibus et crinibus vniuersos spoliauerunt, peregrini talem contumelioſam tonſuram* ἀποσκυθίσαι *adpellarunt.*

Eodem videtur respicere Lyciscus Acarnan in concione ad Lacedaemonios pro Philippo rege, cum apud Polybium dicit, [10]) Lattabum et Nicostratum Boeotorum mercatus, pacis tempore, spreta foederis religione violasse Σκυθῶν ἔργα καὶ Γαλατῶν ἐπιτελοῦντας, *Scytharum et Gallorum* (qui non ita multis ante temporibus in Macedonia et Asia desaeuierant) *facinoribus editis.* Ceterum Stephanus Byzantius: Ἀποσκυθίσαι, τῷ σιδήρῳ τὰς τρίχας τεμεῖν. Hesychius: περιτεμεῖν. At Suidas: τὸ ἐπιτεμεῖν τὸ ἐπικεφάλιον δέρμα σὺν θριξὶ rescindere cutem capitis' ipsis cum crinibus. Habuit in memoria, quod Herodotus narrauit, quemadmodum Scythae hostibus occisis insultarint. Sed quod Clearchus scripsit

10) p. 789.

Digitized by Google

scripsit de tonsura, quod item Eustathius ad Homerum, 1) hoc vere erat ἀποσκυθίσαι. Nam, vt Aristoteles testatur, 2) οἱ ἐν τῷ Πόντῳ Σκύθαι καὶ Θρᾷκες εὐθύτριχες, *Scythae et Thraces in Ponto longis et promissis crinibus.* Τὸν Πόντον, non regionem aliquam in Asia, sed tractum super Ponto Euxino ad Byzantium vsque adpellauit, quod alii quoque fecerunt. Humiditati regionum adscribit Aristoteles, quod crinibus tam prolixis Scythae sunt vsi: id sicuti non reiicio totum, ita studium quoque alendae crinis fuisse opinor. Lucianus in Toxari de Alanis: Οὐ πάνυ κομῶσιν οἱ Ἀλανοὶ, ὥσπερ οἱ Σκύθαι. Eo Scythae, gentes, quas subegerant, crines ignominiae caussa ponere iusserunt.

Philippus Amyntae Macedonum rex multa bella gessit cum Thracibus et Getis. Illis etiam temporibus rex Scytharum Atheas, vt Iulius Frontinus et Iustinus, vt vero Strabo et Plutarchus, Ατίας cum Istrianis bellum habuit. Erant autem Istri accolae Thraces, Getae, Odrysae et Triballi. Triballos solos Frontinus 3) in Scythico bello nominat. Cum Atheas hostium multitudini imparem se sensit, per Apollonienses in Thracia ad Pontum sitos, cum Philippo egit de auxilio ferendo, in spem mercedis proposita adoptione et successione in regno Scythico. Philippus rex, vt Istrianos a Scythis auerteret, Byzantium obsedit. Et Triballi quidem longius reiecti erant, quam vt Byzantii obsidione terrerentur, at totum nomen Thracicum, in quo etiam Triballi et Odrysae et Getae censebantur, noui hostis aduentu trepidabat. 4) Interim, vt Frontinus narrat, Atheas rex Triballos ceterosque socios stratagemate perculit. Nam tum feminas Scythicas tum pueros in asinis et bobus hastas erectas praeferre iussit, vt speciem exercitus sui augerent, tum rumorem sparsit,

1) p. 1292. ex Athenaeo, quo solet vehementer delectari.
2) περὶ ζώων γενέσεως l. V. c. 3. 3) In Stratagematis l. II. c. 4. 4) Iustinus l. IX. c. 2.

Digitized by Google

auxilia ab vlterioribus Scythis aduenisse. Sic hostes elusi se receperunt. Venere deinde legati Philippi regis ad Atheam de foedere. Atheas legatos cum contemtu accepit et equum strigili pectens interrogauit, an idem Philippus rex faceret, 5) credo vt frugalitatem ostentaret et duratam exercitatione virtutem. Nunciari autem iussit Macedoni, neque petiisse se auxilium quod tam cupide promiserit, cum Scythae suis armis atque viribus hostes propulsare adsueuerint, neque de adoptione cogitasse filio incolumi. Philippum bellicosae genti imperare Macedonibus: se, si nesciat, populum regere, qui etiam contra famem et sitim pugnet, Scythas. At Philippus alios legatos misit, qui cum Athea de auxiliis Macedonicis et foedere expostularent et ad bellum sociale summa vi gerendum pecunias poscerent. Atheas his ostendit, Scythis nullas opes esse, quibus Macedonum cupiditatem expleant: sua se virtute et corporum durato robore, nullis diuitiis gloriari. Hoc responso accepto Philippus obsidionem Byzantii soluit et aduersum Scythas duxit, missis astute legatis, qui ad Atheam mandata perferrent, Macedonem occupandi Byzantii causa statuam vouisse Herculi, eam se ipsis in ostiis Istri dedicatum venire, ceterum pacatum fore iter et sine molestia Scytharum. Atheas qui dolum sensit, postulauit, vt ad se statua mitteretur, se et dedicaturum et prouisurum ne violetur: exercitum in fines suos intrare non passurum: sin inuito se statuam ponat, se sublata ea aes versurum in sagittarum cuspides. Sic concitatis inuicem animis, Macedones ad Istrum profecti, praelium commiserunt. Scythae in acie et numero et virtute superiores, (confitentes habemus Graecos, glorioſos homines) astu Philippi in fugam coniiciuntur. Vicies mille pueri feminaeque capti, pecoris vis magna, auri argentique nihil. Viginti equarum ad propagationem generis in Macedoniam missae.

5) Plutarchus in Apophthegmatis regum p. 174. Iustinus l. c.

Digitized by Google

missae. Triballi vero Philippum a victoria redeuntem ex insidiis adorti, praedam auerterunt. Quamquam res Philippi obscurae sunt, tamen hoc Scythicum bellum ante Olympiad. VI. 1. et Alexandrum natum aliquot annis gestum videtur. Ex eo tempore inter Graecos serui Scythae esse coeperunt, bello Macedonico, vt puto, capti. Et iam antea Aristophanes in scena produxit Σκύθαιναν seruam, teste Suida, tamen frequentiores post bellum Scythicum Philippi fuisse in Graecia seruos et seruas e Scythis verosimile est. Contra ea Atheas Graecos quoque in seruitute tenuit, in quibus fuit Ισμηνίας ἄριστος αὐλητὴς, quem cum alii inter pocula canentem admirarentur, Atheas iurauit, hinnitum equi sibi maiori voluptati esse, quam illum tibicinis stridorem, 6) ne qua in re Macedonibus laudem videretur tribuisse.

Sub Philippi regis aetatem Ephorus Cumanus triginta libris Graecas historias inde ab Heraclidis vsque ad obsidionem Perinthi et Olympiadis CIX. annum 4. consignatas reliquit. His ille imitatus Herodotum de omnium regionum situ, vt tum erat notum Graecis, passim intexuit, quod quidem nobis constat e fragmentis Scymni Chii Holstenianis:

Επειτα ἐπ' αὐτοῦ στόματος τῆς Μαιώτιδος
Λίμνης τὸ Παντικάπαιόν ἐστιν ἔσχατον
Τοῦ Βοσπόρου βασιλεῖον ἐπωνομασμένον.
Ανωθεν δὲ τούτων ἡ Σκυθικὴ βάρβαρος
Πρὸς τὴν ἀοίκητον συνορίζουσ' ἐστὶ γῆν
Καὶ πᾶσι τοῖς Ελλησιν ἀγνοουμένην.
Πρώτους δὲ παρὰ τὸν Ιστρον εἶναι Καρπίδας
Εἴρηκεν Εφορος, εἶτ' Αρωτῆρας, πρόσω

6) Plutarchus in Apophthegmatis p. 174. De Fortuna Alexandri p. 334. Secundum Epicurum suauiter non posse viui p. 1095.

Digitized by Google

Νευροῦτας, ἄχρι γῆς ἐρήμου διὰ πάγων.
Πρὸς ἀνατολὰς δ' ἐκβάντι τὴν Βορυσθένην.
Τοὺς τὴν λεγομένην Ὑβλαν οἰκοῦντας Σκύθας
Εἶναι δὲ Γεωργοὺς ἐχομένους τούτων ἄνω.

Dicam in compendio, qui populi Scythici, quibus regionibus coluerint Ephori iudicio, teſtimonio Scymni Chii: nolo enim longum carmen hic accinere. Ad ipſum Maeotidos oſtium, quo in Pontum ſe exonerat lacus, Panticapaeum poſuit Ephorus. Graeca illa vrbs, a Mileſiis condita in Taurica Cherrhoneſo. Cum addit Scymnus, Boſpori regiam, de ſua aetate admiſcuit Ephoro, vt dicam alias. Vltra iam Scythia vsque ad deſertas et incognitas terras: puta Scythas Regios et ſolitudinem Herodoti dici. Ad Iſtrum primi Καρπίδαι. Credo Ephorum dixiſſe Καλλιπίδας Herodoti, et ſcripſiſſe Scymnum carminis cauſſa Καλπίδας. Siti igitur iſthic fuere, vbi Herodoti Tiritae. Tum Aratores et ſupra eos Neuritae ad frigidam terrae plagam ſeu ſeptemtrionem. Ad orientem Boryſthenis ſi excenſionem facias, Scythae, qui Hyblam incolunt, primi, tum Scythae Γεωργοὶ ſeu Agricolae, inde iam vaſta ſolitudo καὶ ἔθνος ἀνδροφάγων Σκυθῶν, prorſus vt Herodoti aetate, praeterquam quod hic Androphagos Scythico nomine eximit. Tum ponit Ephorus:

Τὸν Παντικάπη διαβάντι Λιμναίων ἔθνος,
Ετερα τε πλείονα οὐ διωνομασμένα,
Νομαδικὰ δὲ ἐπικαλούμενα.

Si Panticapen fluuium traiicias, gentem Limnaeam
(paludis accolam)
Aliasque complures nomine haud notas ſuo,
Nomadicas cognomine.

Panti-

Digitized by Google

Panticapen dixit Herodoti fluuium, qui in Borysthenem sese exonerat, quo transmisso, Nomades Scythae: nec imperite Λιμναίους siue Ephorus vocauit, siue Scymnus, quia supra Maeotin praetenduntur. Addit deinde, admodum bonos esse, nec iniuriam inferre vel homini vel alii animanti, in plaustris oberrare, lacte victitare, opes omnium rerum habere communes, inde Anacharsin veniisse, inde in Asiam transiisse, vt fama ferat, Sacas. Celebrari item Sauromatas, Gelonos, Agathyrsos. Ad Maeotin Maeoticas gentes esse et inde Tanaim, qui vsque ab Araxe fluat: puta eum dicere Herodoti illum Araxem seu Volgam. Scymnus hoc admiscuit, nam

Ὡς δ' Ἔφορος ἱστόρηκεν, ἐκ λίμνης τινὸς,
Ἧς τὸ πέρας ἐστὶν ἄφραστον,

vt Ephorus tradidit, Tanais e palude longinqua et ignota descendit, quod ipsum est ex Herodoto. Hic iam in Asia duo stadiorum millia tenuere Sarmatae ad Tanaim, Maeoticae gentes dicti Ephoro, olim Amazonibus permisti: diuersas a Sarmatis Maeoticas nomine Ιαζαμάτας edidit Demetrius Calatianus. Hic Ephorus primus fuit, qui orbem terrarum scriberet in quatuor populos diuisos: Indis oppositos ad septemtrionem esse Scythas, Aethiopibus Celtas. Fragmentum Ephori insigne Cosmas Aegyptius Indicopleustes in Topographia christiana nobis conseruauit, ex quo hoc cognoscimus. *)

*) Ex p. 148 et Montfaucon. hoc insigne fragmentum adponam: Τὸν μὲν ἀπηλιώτην καὶ τὸν ἐγγὺς ἀνατολῶν τόπον Ινδοὶ κατοικοῦσι, τὸν πρὸς νότον καὶ μεσημβρίαν Αἰθίοπες νέμονται, τὸν δ' ἀπὸ ζεφύρου καὶ δυσμῶν Κελτοὶ κατέχουσι· τὸν δὲ κατὰ βορρᾶν καὶ τὰς ἄρκτους Σκῦθαι κατοικοῦσιν. Εστὶν μὲν οὖν οὐκ ἴσον ἕκαστον τούτων τῶν μερῶν, ἀλλὰ τὸ μὲν τῶν Σκυθῶν καὶ τῶν Αἰθιόπων μεῖζον, τὸ δὲ τῶν Ινδῶν καὶ Κελτῶν ἔλαττον, καὶ πλαγιαῖον ἑκατέρων, ἀλλήλους ἔχει τοῦ τόπου τὸ μέγεθος. Οἱ μὲν γὰρ εἰσὶ μεταξὺ θερινῶν καὶ χει-

Easdem rationes Scymnus Chius in περιηγήσει sectatus est, quam Isaacus Casaubonus primus ex tenebris eruit vt incerti auctoris, Hoeschelius protulit vt Marciani, Doduellus et Hudsonus suo nomini restituerent. Ex hac ὑποθέσει, quae quasi iucundae memoriae caussa ab Ephoro aut ab alio quodam ante eum reperta est, omnium gentium ad occidentem Europae et in Asia septemtrionali confusio in vnum Scythicum nomen orta est. Neque vno seculo, sed omni aeuo exstitere, qui nouas gentes in Scytharum censum referrent:

Quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocumque modo, maioraque fiunt
Incude assidua, semperque ardente camino.

Alexander Philippi filius cum Illyriis, Pannonibus et Thracibus Triballisque initio regni bellum gessit, nulla memorabili cum Scythis pugna. Appiani Illyricorum vetus interpres: 7) *Paeones natio ingens circum Istrum per longum incolens, ab Iapodum populis supra Dardanos protenditur. Hi Paeones a Graecis, a Romanis Pannonii*

χειμερινῶν ἀνατολῶν, Κελτοὶ δὲ τὴν ἀπὸ θερινῶν μέχρι χειμερινῶν δυσμῶν χώραν κατέχουσι· καὶ τοῦτο μὲν ἴσον ἐστὶν ἑκείνῳ τῷ διαστήματι καὶ μάλιστά πως ἀντικείμενόν. Ἡ δὲ τῶν Σκυθῶν κατοίκησις τοῦ μὲν ἡλίου τῆς περιφερὰς τὸν διαλείποντα κατέχει τόπον, ἀντίκειται δὲ πρὸς τὸ τῶν Αἰθιόπων ἔθνος, ὃ δοκεῖ παρατείνειν ἀπ' ἀνατολῶν χειμερινῶν μέχρι δυσμῶν τῶν βραχυτάτων. *Nam Indi ad apelioten sub oriente degunt: Aethiopes sub noto et meridie: sub occidente Celtae, sub septemtrione Scythae. Non aequales inter se hae partes sunt. Scythae et Aethiopes maiorem tractum incolunt: Indi et Celtae minorem: tractus autem illi inuicem in magnitudine succedunt. Indi enim intra aestiuum et hibernum occidentem: Celtae intra aestiuum et hibernum occidentem: hique tractus pari sunt magnitudine et maxime sibi e contrario siti: at Scythae regiones tenent eas, a quibus solis iter maxime remotum, et Aethiopes e regione eorum siti ab occidente hiberno, vsque ad breuissimum occidentem tendunt.* 7) p. 1202. ed. Tollii.

Digitized by Google

Pannonii appellantur et ab illis, vt praemiſimus, inter Illyrios annumerati ſunt, de quibus nunc mihi Illyriorum res recenſenti videtur diſſerendum: glorioſi hi admodum ob Macedonum Agrianos, qui potiſſimum Philippo et Alexandro in bellis praeſtiterunt, quoniam et hi Paeones fuere ex his, qui inferiora incolunt, ab Illyriis coloni editi. Graeca Illyrica, quae, quod miror, Alexandrum Toſſium multosque alios fugiſſe, a Dauide Hoeſchelio ex MS. Auguſtanae rei publicae ſunt edita, 8) quaeque poſſideo ipſe, ſic habent: 9) Οἱ δὲ Παίονές εἰσιν ἔθνος μέγα παρὰ τὸν Ιςρον ἐπίμηκες ἐξ Ιαπόδων ἐπὶ Δαρδάνους. Παίονες μὲν ὑπὸ τῶν Ελλήνων λεγόμενοι καὶ Ρωμαῖοι Παννόνιοι, συναριθμούμενοι δὲ ὑπὸ Ρωμαίων τῇ Ιλλυρίδι, ὡς προεῖπον· διὸ καὶ περὶ τῶνδε μοι δοκεῖ νῦν κατὰ τὰ Ιλλυρικὰ εἰπεῖν· ἔνδοξοι δ' εἰσὶ κατὰ Μακεδόνων δὶ Αγριᾶνας οἱ τὰ μέγιςα Φιλίππῳ καὶ Αλεξάνδρῳ κατεργασάμενοι, Παίονές εἰσι τῶν κάτω Παιόνων Ιλλυριοῖς ἄποικοι. Ita multa alia ſunt in Illyricis Graecis, quae ab hac interpretatione veteri longe diſcrepant. Sed hoc nunc non agimus. Vt tum res erant, commemorante Arriano, 10) Iſter ad quem Alexander venit, populos fortiſſimos diſcernebat. Ipſis in fontibus τὰ πολλὰ Κελτικὰ *plerique Celtae* et extremi eorum Quadi atque Marcomanni, tum Getae ac Σαυροματῶν μοῖρα ſuper Getis et ſuper Sauromatis Ιάζυγες, denique Scythae, vbi Iſter quinque oſtiis in Pontum exoneratur. Cum eas res ad Iſtrum gereret, Alexander aeſtate, eodem autumno reuocatus eſt in Macedoniam, quod Clitus Bardylis filius et Glaucia Taulantiorum rex defectionem agitarent. Inde ille in Graecos et Perſas. Per Zopyriona ducem, quae patrata ſint, quam occaſionem fabulis dederint, in Muro Caucaſeo declaraui. In ceteris, quae de Scythis traduntur in rebus Alexandri, nihil magni pretii et ſine commento eſt, praeterquam cum dicuntur ab Iſtro coluiſſe vsque ad Tanaim.

8) A. C. 1599. in 4to. 9) p. 8. 10) p. 8. ed. Blanc.

CON-

Digitized by Google

CONVERSIONES RERVM SCYTHICARVM TEMPORIBVS MITHRIDATIS MAGNI ET PAVLLO POST MITHRIDATEM.

Venio ad tempus maximis rebus gestis insignitum, monumentorum miserabili strage atque interitu deforme, septemtrionalibus autem fabulis secundum. Nam Scythae tam a Mithridate Eupatore adflicti sunt, quam a Getis pulsi: inde iam de Othino Asisque fama ducta, Troianis admistis originibus. Quae ex instituto nostro sic tractabimus, vt quantum veritatis in hoc altissimo puteo demersum esse sentiemus, tantum pro virili parte proferamus et a vanis perpurgemus. Haud sum ignarus, ab exitu Alexandri Macedonis vsque ad hunc Mithridatem annos ducentos intercedere: eos tamen veluti deserta loca et inculta tesqua relinquere nos oportet. Illa est videlicet monumentorum istius aetatis conditio. Quantum est, quod vel in primis de Lysimacho nobis relictum fuit? Tamen, si recordemur, Thraciam eum tenuisse et Ponticas prouincias, fieri non potest, quin Graecas toto littore Ponti, Euxini colonias idem quoque dicto audientes habuerit, vt tanto magis illius rebus Scythicas contineri sentiamus. Fuisse Lysimachum, quem regem! quam potentem! fuisse igitur tantummodo constat: et tum fere, captum bello a Dromichaete Getarum rege et dimissum, 1) vel τραγῳδούμενα de eius liberis interseruntur, denique Seleuci Nicatoris senis de sene

1) Strabo p. 209. et 211. ed. Casaub. conf. Plutarchum in Demetrio.

Digitized by Google

sene Lysimacho victoriae. Veluti canis e Nilo, ita tantas res delibant *οἱ δαιμόνιοι*. Fateor, scriptores eorum temporum Graecos nobis periisse: tamen, si exstarent, credo eos Laconicum isthuc nobis exorsuros, *ἄμμες ποτ' ἦμες ἄλκιμοι*. Quid enim simile vetustis historicis illa aetas protulit? Nunc, cum etiam isti interciderunt, sit sane in ducentis annis *Σκυθῶν ἐρημία*. Nam Macedonum reges ad Philippum vsque, quos rerum suarum praecones nacti sunt? Philippus qualem cuperet, habuit Polybium Megalopolitanum, magnum virum, sed qui de Scythicis rebus, in his, quae ex incomparabili opere exstant, non vacauit, nisi vbi occasione belli, quod Byzantii cum Rhodiis habuere, de Maeotide et Ponto et mercatura Pontica quaedam interfatus est lectu dignissima. 2)

Quam ob rem de Mithridate nos hic, quantum potest, videamus. Strabo, 3) Mithridatis ducumque eius armis, regionem, inde a Tira fluuio, quem alibi Danastrim esse demonstrauimus, per Maeoticas gentes et per omne, vsque in Colchidem, littus Ponticum, illustriorem, quam dudum fuerat, factam praedicat. Modo res Ponticae et ipsius Mithridatis illa nunc in luce versarentur, vt dudum. Si Memnon, ne quid dicam de reliquorum scriptorum ruina, sub qua illa tempora sepulta iacent, igitur, si vel vnus Memnon hodie exstaret, quam multa de Mithridate sciremus. Photius effecit, vt eum maxime desideremus, quem is tanta dignum diligentia iudicauit, quanta haud facile alterum aliquem, et in quo tam multas reperimus veluti e naufragio tabulas rerum obscurae et intermortuae memoriae. Photius ex Memnone, 4) *Mithridates*, inquit, *postquam regnare coepit*, *κατεχρέψατο πολέμῳ καὶ τοὺς περὶ τὴν Φᾶσιν βασιλεῖς, ἕως τῶν κλιμάτων τῶν ὑπὲρ τὸν Καύκασον, καὶ τὴν ἀρχὴν ἤυξησε*, *bello deuicit reges circa Phasin fluvium*

2) p. 425. seq. ed. Gron.
3) p. 10. ed. Casaub.
4) p. 378. ed. Hoesch.

Digitized by Google

vium vsque ad regiones, quae super Caucaso monte sitae sunt, et regnum suum auxit. Haec maximarum victoriarum summa est. Tantundem fere nobis ex Trogo Pompeio Iustinus reliquit: 5) *Ad regni administrationem cum accessisset, statim non de regendo, sed de augendo regno cogitauit:* itaque Scythas, inuictos antea, ingenti felicitate perdomuit. Sic item Appianus Alexandrinus: 6) Ἐχειρώσατο δὲ τὰ περίοικα τῶν βαρβάρων καὶ Σκυθῶν ὑπηγάγετο πολλοὺς, καὶ Ρωμαίοις τεσσαρακοντούτη πόλεμον ἐγκρατῶς ἐπολέμησεν. *Deuicit circumiectos barbaros et Scytharum multos subiecit, et cum Romanis summa vi bellum gessit annos quadraginta.* Has res igitur nobis curae esse oportere iudicauimus.

Mithridate Euergete defuncto, *Mithridates*, vt Sallustius ait, 7) *extrema pueritia regnum ingressus, matre veneno interfecta.* Historia Miscella: 8) *Regnauit annis quadraginta, alii triginta.* Perperam vtrumque. Nam cum, M. Tullio Cicerone, C. Antonio Nepote, Coss. A. V. C. 691. quod certo constat, interiit, is, si quadragesimus fuit annus, ne quid dicam de tricesimo, sequitur, Mithridatem A. V. C. 652. imperium adiisse. At numum Mithridatis (Tab. V. Fig. 7.) vide, similem illis, quos Ioannes Valens in Achaemenidarum imperio produxit, cuius ἔκτυπον Buxbaumius Constantinopoli redux mecum communicauit. Habes in eo annum ΒΣ signatum, siue 202. Si is Seleucidaeus fuit, in autumnum A. V. C. 643. incidit: sin Pontica illa fuit epocha secundum Ioannis Valentis rationes, erit A. V. C. 649. Adparet igitur ex titulo numi ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ ante A. V. C. 652. regem fuisse Mithridatem. Quare ex codice Ambrosiano veram in Paulo Diacono lectionem restituit Ludouicus Muratorius V. C. *vixit LXXII, contra Romanos bellum habuit annis*

5) l. XXXVII. c. 3. 6) p. 412. ed. Tol. 7) In Fragmentis e Seruio. 8) p. 40. ed. Murat.

Digitized by Google

annis XL. Ita natus fuit A. V. C. 620. Appianus dubius haeret, 9) annosne LXVIII. aut LXIX. vixerit: regno tribuit LVII. ſicuti Plinius 10) LVI. Eutropius, T. Liuium fere ſolitus ſequi: *Regnauit annis ſexaginta, vixit ſeptuaginta duobus.* Ab hac ſententia in annis regni non abhorret vel Strabo, 1) cui ἔνδεκα ἔτη γεγονὼς patri ſucceſſiſſe dicitur, videtur enim mihi Strabo δυώδεκα ſcripſiſſe; vel Memnon, 2) cui τρισκαιδεκαέτης ad regnum peruenisse dicitur, neque ita multo poſt a matris fratrisque aut fictis inſidiis aut veris ſeſe vindicaſſe parricidio. Igitur A. V. C. 632. regnare coepit, vnde ad illius exitum anni ſunt ſexaginta Eutropii, aut potius Liuii. Sed cum Paulus Diaconus et Appianus annos quadraginta bellum cum Romanis geſſiſſe ſcribunt, manifeſti erroris tenentur. Vix enim XXXI. anni numerari poſſunt, ſi inde a Cappadocia Ariobarzani regi L. Sullae ductu reſtituta et ab A. V. C. 660. tamquam a belli Romani prima occaſione ſecundum Dionyſium Petauium exordiaris: nam A. V. C. 666. demum, nudatis Mithridatis conſiliis, bellum a Romanis indictum gerique coeptum eſt. Ergo anni fere triginta ante bellum Romanum vacui fuerunt bellis Scythicis, quae Mithridates mature ſuſcepit gerenda. Iam velim pro ſe quisque conſideret, qui vigor animi in hoc rege iam ſene fuerit, quae latiſſime regnandi et cupiditates et ſpes et per barbaricam militiam ad maiores res indurandi militis fiducia, vt inde concludamus, qualem adoleſcentiam exegerit Mithridates.

Nihil eſt reliquum, quam vt de bello Scythico paſſim vndique colligamus veterem memoriam, praeſertim vero ex Strabone. Huic enim in Mithridaticis multum tribuo. Nam Strabonis mater neptis Lagetae fuit, proneptis Dorylai eius, qui apud Mithridatem Euergeten multum potuit. Huius Dorylai frater Phyletaerus

9) p. 411. 412. 10) l. XXV. c. 2. 1) p. 329.
2) p. 378.

Digitized by Google

taerus filium reliquit et ipsum Dorylaum nomine, quem Mithridates summis honoribus admouit. Lageţam quoque Strabonis proauum et Stratarcham Lageţae fratrem ad se vocatos coluit. Stratarcham Strabo vltima senectute vidit. Moaphernes matris Strabonis patruus, extremis temporibus Mithridatis illustris euasit: ne hunc totum genus Strabonis hic repetam, Mithridaticis deuinctum turbis, vt res istae etiam intra domus Strabonis famam contineri potuerint. Modo non ita exiliter res tantas tractasset Strabo, quod condonari possit alio in argumento versanti, nisi etiam confuse et subobscure tractasset, quo vitio in toto opere laborat. Strabone igitur auctore 3) Mithridates cum ad regnum peruenit, Pontum tenuit iis finibus, quos pater rexerat. Haly fluuio versus orientem a Cappadociae regno diuidebatur, inde littus omne ad Amastriam vsque et Paphlagoniae quaedam partes ea in ditione censebantur: in mediterraneis vero prouinciae vltra Halyn extendebantur. Sinope erat regia, vbi et natus est Mithridates. 4) Hic deinde Heracleam, Graecam vrbem et liberam, sibi subiecit et littus omne Ponticum, quod Cappadociae praetendebatur vsque ad Colchidem. 5) Occupauit quoque Armeniam minorem, quae Cappadociam ab oriente claudebat, per Euphratem a reliqua Armenia diuisa. Et cum Tibareni vltra Trapezuntem Chaldaeique vicini sub dynastis Armenis fuissent, eos quoque sibi subiecit, Αντιπάτρου τοῦ Σίσιδος παραχωρήσαντος, *Antipatro Sisidae se suaque tradente.* Armenia, ob situm regionis maximis munimentis refugioque fortunarum, si quis casus postularet, peropportunum, in primis curae fuit Mithridati, vt in ea ad quinque et septuaginta castella exstruxerit, inque iis opum suarum magnam partem reconderit. 6) Sic aditus in Colchidem patefactus erat, 7) regionem admodum accommodatam Scythicum bellum cogitanti, propter tum subsi-

3) p. 372. 4) Strabo p. 375. 5) ibid. 6) Strabo p. 382. 7) Strabo p. 343.

Digitized by Google

subsidiorum ad nauale rem copiam, tum expeditionis meditatae et occasionem et ex propinquo facilitatem. Deinde iam, qui Mithridatica scripserunt, 8) Achaeos, Zygios, Heniochos, Cercetas, Moschos, et Phteirophagos, et Θοάνας, siue vt in excerptis Strabonis est, Σοάνας aliasque paruas circa Caucasum gentes commemorant, per quas via aperienda erat et Scythas et Borysthenem Istrumque petituro. Proximi Bosporanis Achaei, Zygii medii inter Heniochos Colchis proximos: nam reliquae gentes iam intra montes reiectae. Hos populos partem vi, partem dolo et conditionibus in potestatem redegisse videtur Mithridates. Heniochi qui quatuor reges habuere, ita fidi fuere postea Mithridati, vt, cum a Cn. Pompeio victus in Bosporum fugeret, 9) in eorum regionem sese reciperet sine metu, non item committere se fortunamque suam ausus Zygiis, quorum in littoribus magna molestia iter fecit, naues subinde conscendens, donec Achaeos teneret, qui eum cupide receperunt. Notae deinde Maeoticae gentes, Sindi, Dandarii, Toreatae, Agri, Arrechi, Tarpetes, Obidiaceni, Sittaceni, Dosci, 10) quae gentes a Ponti littoribus circumiectae Bosporanis, ad Maeotin et Tanaim Caucasumque pertinebant. Incertum, Scythaene, an Sarmatici corporis. Nam ad orientem iam Sarmatae planitiem, vsque ad Volgam, incolebant. 1) Illae autem gentes etiam postea saepe Bosporanis subiectae, saepe sui iuris fuerunt. 2) Sed vt erat Mithridates promtus atque arte fallendi nulli secundus, ita omnes illos populos conciliasse sibi videtur, et in societatem belli contra Scythas accepisse.

Scythiae autem hunc fere statum iis temporibus fuisse reperio. Cherrhonesus in tres quasi ditiones diuisa erat. Littora Graecae coloniae inde ab vltima aetate obsederant: Bosporani tyranni partem agri tenebant orien-

8) Ap. Strabonem p. 342. 9) Strabo p. 342. 10) Strabo p. 341. 1) Strabo p. 343. 2) Strabo p. 341.

Digitized by Google

orientalem, Scythae, quos Tauros et Γεωργοὺς nostri vocant, occidentalem. 3) Sed Bosporanae prouinciae in obiecta Asia vltra Bosporum Cimmerium multo ampliores fuerunt. Panticapaeum sedes tyrannorum fuit: Theodosiopolis siue Theodosia, quae nunc كفه *Cafa*, extrema versus Tauros vrbs. 4) Hi autem Scythae Tauri ab Isthmo, vbi ceteris connexi fuerunt Scythis, maximam Cherrhonesi incoluerunt regionem. Haec tum Scythia Minor dicta. Regio omnis copiosa, quod Scythae agros suos impigre colerent. Tantus inde frumenti prouentus fuit, vt Leucon tyrannus Athenienſibus ab Theodosia vndecies millia medimnorum submiserit, quamquam Chrestomathiae Strabonianae tantum centum et quinquaginta millia edunt. 5) Ceterum quod Bosporani dynastae ante Mithridatem tyranni vocantur, id argumento est, potentiam illam ex Graecis coloniis esse ortam, quae etiam iustam dominationem et a se delatam vltro, non fere alio magis quam tyrannidis nomine nuncuparunt, vt Miltiades tyrannus vocatus est apud Cornelium Nepotem. Strabo: Ἐκαλοῦντο δὲ τύραννοι, καίπερ οἱ πλείους ἐπιεικεῖς γεγονότες. *Nuncupabantur vero tyranni, quamquam plerique eorum clementes fuerunt.* Non est, quod miretur Isaacus Casaubonus tamquam in re insolita, tyrannos dici, qui aequitati studuerint. Hic ipse vir longe doctissimus tyrannos illos ex Diodoro Siculo et Strabone nobis, quamquam non accurate, expositi, tamen ita, 6) vt, quando neque ista tempora, neque res ad nostram curam pertinent, eorum recensione supersedere possimus. Archaeanactidae, Milesiorum apud Panticapaeum coloniam, magistratus magis, quam reguli, inde vsque ab Olymp. LXXV. quo fere tempore Xerxes in Graeciam traiecit, annos duos et quadraginta rebus praefuerunt. Spartacus primus tyrannorum Olymp. LXXXV. 3. post Corinthiaci initium belli fuit. Ad Olympiadem CXXIV.

3) Strabo p. 214. ed. Hudſ. 4) Strabo p. 214. 215. 5) p. 94 6) Comment. in Strabonem p. 117.

Digitized by Google

CXXIV. Diodorus Siculus nos deserit, vt anni centum et octoginta ad initia Mithridatis vacui maneant, quos ex obscuris Strabonis testimoniis Isaacus Casaubonus non ausus est restituere. Parisades tum maxime tyrannus Bosporanorum fuit, cum Mithridates bellum Scythicum gereret. Minori Scythiae Strabo accenset partem regionum extra Isthmum vsque ad Borysthenem, magnam videtur dicere, quae ad Tiram Istrumque pertinebat, 7) quamquam hic locus in Strabone corruptelae mihi suspectus est. Id eum vero dicere adparet, Scythas non latius coluisse iis temporibus, quam Herodoti, nisi quod Istro traiecto agri nescio quantum tenuere, Thracibus vi eiectis. Nam Strabo hic Mithridatica tempora illorumque scriptores respicit. Scythae illi pecudibus studebant et lacte victitabant, agros vero elocabant colendos, quibus visum esset exiguum tributum pendere: non soluentibus bellum inferebant. 8) Igitur permisti Scythis alii populi fuerunt. Scymnus Chius, qui Mithridate opibus florente periegesin scripsit, de Tomitis cum canit, ὑπὸ Σκυθῶν ἐν κύκλῳ οἰκουμένους prodidit. Et de Dionysopoli idem:

Ἐν μεθορίοις δὲ τῆς Κροβύζων καὶ Σκυθῶν
Χώρας, μιγάδας Ἕλληνας οἰκητὰς ἔχει.

In confinibus autem Crobizorum et Scytharum
Terrae, Graecos habet barbaris permistos incolas.

Tenuere igitur Mithridatico aeuo Scythae etiam regiones vltra Istrum. In superioribus regionibus vicini Germanis Bastarnae et Tyrigetae, quos Strabo Germanici populos corporis fuisse suspicatur. 9) Roxolani denique ἀρκτικώτατοι μεταξὺ τοῦ Ταναΐδος καὶ τοῦ Βορυσθένους νεμόμενοι πεδία, ὑπὲρ δὲ Ῥωξολανῶν εἴ τινες οἰκοῦσιν, οὐκ ἴσμεν, *maxime ad boream reiecti agros intra Tanaim et Borysthenem incolunt, an super Roxolanis alii colant, ignoramus.*

7) p. 215. 8) ib. 9) p. 211.

ramus. Hic tantum velim, vt veterum opinio vnicuique ob oculos versetur, qua Tanais fontes multo, quam sunt, magis sub borea ponerent, vt superiorem Volgam cum Tanai confudisse videantur. Igitur Roxolani intra fontes Borysthenis ad Tanaim fonte et ad Volgam coluisse videntur Mithridaticis temporibus. Frustra adhuc illa in gente, quae tum primum cognita, deinde etiam Romanis bellis celebrata fuit, ad hunc diem laboratum fuit. Nihil ego inuenio, in quo satis acquiescam. Sed cum Budinos Fennorum maiores fuisse arbitror, vt alias exponam amplius, Fenni autem etiam nunc Suedos *Rossalein, Ros populum* vocant, potest sane ea res nos aduertere.

Cum his gentibus gesturus bellum Mithridates, a Cherrhonesitis ad opem ferendam inuitatus est. Strabo: 10) Χερρόνησος ἦν πρότερον αὐτόνομος πορθουμένη δὲ ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἠναγκάσθη προσάτην ἑλέσθαι Μιθραδάτην τὸν Εὐπάτορα, στρατηγιῶντα ἐπὶ τοὺς ὑπὲρ τοῦ Ἰσθμοῦ μέχρι Βορυσθένους βαρβάρους καὶ τοῦ Ἀδρίου. *Cherrhonesus vrbs erat antea sui iuris, vexata agro vastato a barbaris* (κατατρεχομένη Chrestomathiae Strabonianae 1) habent, quod facit, vt *captam atque dirutam fuisse* non ausim interpretari) *coacta est patronum et defensorem sibi adscisere Mithridatem Eupatora, qui tum bellum mouebat aduersus barbaros supra Isthmum Cherrhonesi Tauricae vsque ad Borysthenem et Hadriaticas regiones.* Oportet igitur in vicino iam fuisse Mithridatem, Scythasque ad Tanaim petiisse, cum a Cherrhonesitis in auxilium vocaretur. Misit copias, vt videtur, nauales ex Colchide, cum Cherson vrbs aliter ab eo adiri non posset. Strabo ita pergit narrando: *Mithridates hoc cognito,* ἄσμενος πέμψας εἰς τὴν Χερρόνησον στρατιὰν, ἅμα πρός τε τοὺς Σκύθας ἐπολέμει Σκίλουρόν τε καὶ τοὺς Σκιλούρου παῖδας, τοὺς περὶ Πάλακον, οὓς Ποσειδώνιος μὲν πεντήκοντα φησὶν, Ἀπολλωνίδης δὲ ὀγδοήκοντα, ἅμα δὲ τούτους τε ἐχειρώσατο βίᾳ καὶ Βοσπόρου κατέσχε κύριος, παρ' ἑκόντος λαβών,

10) p. 213. 1) p. 88. ed. Hudson.

Digitized by Google

βων, Παρισάδου τοῦ κατέχοντος. Locus hic corruptelae accusatus fuit, quod interpretes τοὺς περὶ Πάλακον *Palacum ipsum*, more vtique Graecorum loquendi explicarent, non cohaerente deinde sensu, Casaubonus vero Παλάκιον castellum reponeret, *quo vsus sit Scilurus adversus Mithridatis legatos.* Huius sane meminerat Strabo: 2) sed idem paullo ante 3) Πάλακον τοῦ Σκιλούρου commemorat, eamque lectionem veram esse sentio, quam codices proponunt, eum autem in sensum accipio, quod filii nepotesque Sciluri, Palacum vt vel maiorem natu, vel testata virtute virum ducem secuti sint, patre ob senectutem imbelli. Non minus enim hanc interpretationem vsus Graecorum loquendi quam alteram admittit, loci autem huius natura eam solam. Conuerto igitur Latine: *Mithridates cupide misit exercitum Cherrhonesum, simul contra Scythas bellum gessit et contra Scilurum Scilurique liberos, qui cum Palaco erant, quosue Posidonius ait quinquaginta, Apollonides vero numero ad octoginta fuisse: et simul hosce subegit, et Bosporum in potestatem recepit Parisade concedente, qui regionem tenebat.* Ita et res diuersae et tempora vno in sermone proponuntur. Duces memorantur, Diophantus, quem Memnon quoque inter praecipuos commendat, et Neoptolemus. Diophantus videtur Chersonitis subsidio venisse contra Scilurum et filios. Nam Strabo testatur, 4) contra eos a Diophanto Mithridatis duce Eupatorium castellum esse conditum ad Carcinitin sinum: occidentale id Tauricae littus erat. Eodem teste, 5) Scilurus et filii castella in Cherrhoneso condiderunt iisque vsi sunt belli arcibus contra duces Mithridatis, Παλάκιον τε καὶ Χαῦον καὶ Νεάπολιν, haec tria tantum nominat Strabo. Itaque praelium quoque cum Palaco in Cherrhoneso commissum videtur, quoniam Diophantus fuit, qui eum vicit. Hic Palacus Scythas et Roxolanorum, duce Thasio, submissa auxilia secum habebat numero ad quinquaginta

 millia,

2) p. 216. 3) p. 211. 4) p. 216. 5) ib.

Digitized by Google

millia, Diophantum vero multo minori instructum exercitu aggressus, contra phalangem ordinatam armatamque egregie, cum ista multitudine adeo nihil effecit, vt multis suorum amissis recipere sese cogeretur. Scythae interim etiam Parisaden Bosporanorum tyrannum vrgebant adeo, vt ex desperatione salutis Mithridati se suaque traderet. 6) Strabo: Παρισάδης οὐκ εἰὼς τε ὢν ἀντέχειν πρὸς τοὺς βαρβάρους φόρον πραττομένους μείζω τοῦ πρότερον, Μιθριδάτῃ τῷ Εὐπάτορι παρέδωκε τὴν ἀρχήν. *Parisades cum non posset resistere barbaris tributum postulantibus maius, quam antea, Mithridati Eupatori tradidit principatum.* Huic Parisadae subsidio venisse videtur Neoptolemus dux. Illius cum Scythis duas pugnas recenset Strabo duobus locis. Vno in loco equestre certamen super glacie Maeotidis paludis ponit ante nauale praelium eadem in Maeotide. 7) Οἱ δέ, inquit, πάγοι παρ' αὐτοῖς τοιοῦτοι τινές εἰσιν ἐπὶ τῷ στόματι τῆς λίμνης τῆς Μαιώτιδος, ὡς' ἐν χωρίῳ, ἐν ᾧ χειμῶνος ὁ τοῦ Μιθριδάτου στρατηγὸς ἐνίκησε τοὺς βαρβάρους ἱππομαχῶν ἐπὶ τῷ πάγῳ, τοὺς αὐτοὺς καταναυμαχήσας θέρους, λυθέντος τοῦ πάγου. *Glacies apud eos tanta est in ostio lacus Maeotidis, vt eodem in loco, in quo hieme Mithridatis dux barbaros equestri certamine super glacie uicit, nauali praelio eosdem superauerit aestate, glacie soluta.* Alibi praelium nauale ponere videtur ante equestre et hibernum, 8) ita enim fatus est: Νεοπτόλεμον δέ φασι τὸν τοῦ Μιθριδάτου στρατηγὸν, ἐν τῷ αὐτῷ πόρῳ θέρους μὲν ναυμαχίᾳ περιγενέσθαι τῶν βαρβάρων, χειμῶνος δ' ἱππομαχίᾳ. *Neoptolemum, aiunt, Mithridatis ducem eodem in traiectu, aestate nauali praelio superiorem fuisse barbaris, hiemę autem equestri certamine.* Sed adparet priori loco eum multo curatius temporum ordinem respexisse, in altero rem magis quam tempus. Ostium Maeotidis, traiectus est, seu Bosporus Cimmeriu[s],

6) Strabo p. 214. 7) Strabo p. 50. 8) Strabo p. 212.

Digitized by Google

rius; de cuius congelata glacie etiam Herodotus testatur: 9) Η δὲ θάλασσα πήγνυται καὶ ὁ Βόσπορος πᾶς ὁ Κιμμέριος, καὶ ἐπὶ τοῦ κρυστάλλου οἱ ἐντὸς τάφρου Σκύθαι κατοικημένοι στρατεύονται καὶ τὰς ἁμάξας ἐπελαύνουσι πέρην ἐς τοὺς Ινδούς. *Mare autem congelascit et Bosporus Cimmerius totus, super glacie Scythae qui intra fossam sunt*, (in Cherrhoneso Taurica) *praelia committunt et super eadem plaustris vecti vsque in Indiam iter faciunt.* Et gelu quidem condensari facillime potuit tum Bosporus tum magna Maeotidis et Ponti pars, quod iis locis passim limo inducto aggestaque harena vada praebentur, qua de re prolixe disputat Polybius. 10) Ex loco autem, in quo praelia commissa sunt, concludo, Bosporano tyranno hunc maxime Neoptolemum auxilio esse missum contra Scythas et victoribus Mithridaticis Parisadem ἑκόντα ἀέκοντί γε θυμῷ Bosporanas regiones tradidisse. Scymnus Chius de Panticapaeo tyrannorum sede, in fragmentis Holstenianis:

Επ' αὐτοῦ τοῦ στόματος τῆς Μαιώτιδος
Λίμνης τὸ Παντικάπαιόν ἐστιν ἔσχατον
Τοῦ Βοσπόρου Βασίλειον ἐπωνομασμένον.

In ipso ostio Maeotidis
Paludis Panticapaeum est extremum
Bospori Regia cognominatum.

Scripsit Scymnus, vt Henricus Doduellus argumentis veritati consentaneis demonstrauit, A. V. C. 664. periegesin illam Nicomedi Chresto regi Bithyniae, Mithridatis clienti dedicatam, ad quam haec fragmenta refero Igitur cum a Mithridate, aliquot annis ante, constitutum esset regnum Bosporanum, hunc nominis honorem consecutum est Panticapaeum. 1) Historia Miscella: 2) *Mithrida-*

9) l. IV. c. 28. 10) p. 308. 309. ed. Casaub.

1) Quae vrbs nunc كرش *Ghiersch* seu *Khiersch* et *Kersch* dicitur. 2) p. 34. ed. Muratorii.

Digitized by Google

thridates totum Ponticum mare in circuitu cum Bosporo tenebat. Sed vltra Carcinitin sinum et Boryſthenem nihil tenuiſſe videtur. Ad curam Mithridatis de ornando Panticapaeo refero, quod Plinius ſcribit: 3) *Circa Bosporum Cimmerium in Panticapaeo vrbe, omni modo laborauit Mithridates rex et ceteri incolae, ſacrorum certe cauſſa, laurum myrtumque habere: non contigit.* Pertenuis igitur haec memoria eſt a Strabone conſeruata, ceterarum rerum nulla, niſi quod ad Ctenuntem extrema tentaſſe inuenio Scythas, ab ea autem vrbe depulſos tota denique Cherrhoneſo ceſſiſſe. 4) Tributum deinde Bosporani, in quo nomine iam omnes et Graeci et Scythae, qui Cherrhoneſum tenebant, cenſebantur, Mithridati pependerunt in ſingulos annos frumenti medimnos ad centum et octoginta millia, argenti ducenta talenta. 5)

Romani, inquit Memnon, 6) cum ſuſpecta haberent Mithridatis conſilia, τοῖς Σκυθῶν βασιλεῦσιν ἐψηφίσαντο τὰς πατρῴας αὐτὸν ἀρχὰς ἀποκαταθῆσαι, *decreverunt, vt Mithridates Scythiae regibus ſuas regiones reſtitueret.* Ille vero nihili fecit S. C. Romanum, et ſocietate cum Parthis, Medis et Tigrane Armeno inita, etiam Σκυθικοὺς βασιλεῖς καὶ τὸν Ἰβῆρα προσηταιρίζετο, *Scytharum reges et Iberum in amicitiam pertraxit.* Haec, ait Memnon, accidiſſe circiter ea tempora, cum S. P. Q. R. Nicomeden Nicomedis et Nyſae filium regem daret Bithynis, Mithridates vero Socratem ſuperioris Nicomedis fratrem et ipſum Nicomeden cognomine Chreſtum opponeret. Conſtat ſatis A. V. C. 664. iſta accidiſſe. A. V. C. 665. hunc Nicomeden Chreſtum a Senatu hoſtem iudicatum ipſe Mithridates, qui euexerat, de medio ſuſtulit. A. V. C. 666. Bithyniam aperto bello inuadens Mithridates, Romanorum arma in ſe conuertit. Hoc ei tempus opportunum viſum, cum partim fregiſſet Scy-

3) l. XVI. c. 32. 4) Strabo p. 216. 5) p. 215.
6) Photius p. 378.

Digitized by Google

Scythicos populos, partim diſcordiis litibusque ſerendis diſtractos, iuuando comiter factionem ſuam contra validiores, firmauiſſet ad obſequia. Iuſtinus: 7) *Ab Scythia quoque exercitum venire iubet.* Gallograeci etiam et Sarmatae Baſternaeque per legatos ad auxilia ferenda ſollicitati. Ex eo tempore tamquam turbo aliquis deſaeviens, ſimul totam Aſiam, ſimul Graeciam inſulasque omnes in poteſtatem accepit. L. Cornelius Sulla eum redegiſſe videbatur in ordinem, cum rex pace inita coactus eſt in regnum ſuum ſe recipere A. V. C. 670.

Erant tum Romae C. Marii plebisque vires contra optimates praeualidae: optimatibus ſtudebat Sulla. Interim dum ad componendas res vrbis Sulla proficiſcitur, Mithridates, vt ait Memnon, 8) πολλὰ διὰ τὴν ἐν ᾗ κατηνέχθη συμφορὰν ἀποσάντων ἐθνῶν ἐξ ὑπαρχῆς χειρωσάμενος, *multis gentibus, quae propter calamitatem, qua repente corruerat, defecerant, receptis*, vires recuperauit. Id puto accidiſſe, poſtquam L. Muraena Sullae legatus reuocatus eſt a Mithridate laceſcendo. Nam cum Sulla pacem regi dediſſet, Muraena e Cappadocia eum laceſſebat. Hoc amoto, Appianus quoque teſtatur, 9) Mithridatem res Bosporanas ordinaſſe et Macharem filium genti praefeciſſe, Achaeos denique Colchis finitimos ſubegiſſe. Haud ita multo poſt, L. Lucullus ex conſulatu in Ciliciam prouinciam et ad bellum Mithridaticum, M. Aurelius Cotta eius in conſulatu collega cum claſſe ad Propontidem Bithyniamque tuendam venerunt. P. Rutilius Cottae legatus ad Chalcedonem caeſus, maximam exercitus partem amiſit. Gloria victoriae penes Baſternas maxime fuit, qui peditibus Romanis in fugam coniectis, magnam ſtragem ediderant. 10) Baſternarum ad triginta ceciderunt, ex reliquo exercitu regio ſeptingenti. Romani pedites ad quinque millia et quin-

 gentos.

7) l. XXXVIII. c. 3. 8) p. 380. 9) p. 363.
10) Memnon p. 373.

Digitized by Google

gentos. Haec regi victoria A. V. C. 680. obtigit. Basternae autem, quorum in exercitu Mithridatis virtus eluxit, quantum ex Scymni Chii eorum temporum aequalis fragmento constat, Thracibus vicini colvere, alterius tamen corporis populus, ita enim fatus est: 1)

Οὗτοι δὲ Θρᾷκες Βαστάρναι τ' ἀπήλυδες.

Et Strabo eos haud ita multo post haec tempora ad Tiram fluuium collocat 2) in mediterraneis, ad Danubii vsque ostia, σχεδόν τι καὶ αὐτοὺς τοῦ Γερμανικοῦ γένους ὄντας. Cornelius Tacitus 3) diserte: *Peucini, quos quidam Basternas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis vt Germani agunt.* Itaque vel inde colligitur, quantum regionum Mithridates partem vi, partem beneuolentia sua sibi deuinxerit. Sed cum L. Lucullus acie toties superior, e Cappadocia Ponticas prouincias inuaderet, Mithridates πρὸς τοὺς Σκυθῶν βασιλέας, *ad reges Scytharum*, et ad Parthum legatos de auxiliis misit, ἀλλ' οἱ μὲν ἀπεῖπον, *Scythae ei negarunt.* Testem habeo Memnona. 4) Appianus in Mithridaticis scribit, 5) mississe regem εἰς Σκύθας τοὺς ὁμήρους, *ad Scythas finitimos* aurum muneraque alia per Dioclen legatum: hunc cum auro ad Lucullum transfugisse. Igitur tum quidem in exercitu regio contra Romanos Scythae publico nomine militarunt nulli. Fuit quidem in castris Romanis e Mithridatico exercitu transfuga ἀνὴρ Σκύθης, ὄνομα Ολκάβας, vtar enim Appiani verbis, 6) qui a L. Lucullo ad secretos sermones saepe admissus, cum ad eum meridiantem breui pugione accinctus veniens a seruis accessu prohiberetur, siue suspectum sese esse sentiens, siue praeferox iracundia, quod ignominiam accepisset a seruis, ad Mithridatem rediit atque Σοβάδακον Scytham, vt transitum ad Romanos criminatus oppressit. Sex. Iulius Franti-

1) p. 46. ed. Hudson. 2) p. 212. 3) De moribus Germanorum c. 46. 4) p. 373. 5) p. 375. ed. Tollii. 6) p. 376.

Digitized by Google

Frontinus in ſtratagematis 7) auctores habuit, quibus hunc *Adathantem*, ſic enim adpellat, ſubornatum a Mithridate ſcribit, ad occidendum ex inſidiis Lucullum. Scytham eum fuiſſe, non confeſtim crediderim Appiano. Nam Plutarchus in Lucullo 8) hunc Ολθακὸν vocat, et *Dardariorum dynaſten* fuiſſe prodidit, γένος δ' εἰσὶν οἱ Δαρδάριοι βαρβάρων τῶν περὶ τὴν Μαιῶτιν οἰκούντων, *Dardarii genus barbarorum ad Maeotin colentium*. Hic populus prope Lazios ſitus fuit, iſthic fere, vbi etiam nunc in tabulis Delisliſianis eſt *Dandars*. Quare mihi dudum in mentem venit, Plutarchum ſcripſiſſe Δαρδαρίους. Stephanus ex Hecataeo: Δανδάριοι ἔθνος περὶ τὸν Καύκασον. Strabo quoque Dandarios, Sindos et Toreatas Maeoticis acenſet. 9) Cornelius Tacitus 10) quoque *Sozam Dandaricae* (vt quidem Beatus Rhenanus emendauit, erat enim antea Dandaridae) *oppidum a Mithridate relictum* ſine praeſidio et cultoribus, ſcribit. Hos Dandarios Lucas Holſtenius 11) *Indicam gentem circa fontes Indi fuiſſe* cenſuit. Nempe in hoc quidem vehementer errauit Holſtenius, vir, ſi quis alius de geographia veteri optime meritus, quod Δαρδανέας Indos apud Dionyſium Periegeten cum his *Dandariis* commiſcuit. Noli igitur Holſtenii monitu apud Periegeten vocem illam mutare in Δανδάρεες, ſed Claudium Ptolemaeum potius audi, qui Δερδάρας et Δαρδάρας ſcripſit, aut, ſi malis, Nonnum Pentapolitam et Stephanum Byzantium, qui Δάρδας, ex quo Dionyſius Alexandrinus carminis cauſſa Δαρδανέες. Sed Plutarchi ad Caucaſum Dardarii, metuendum eſt, vt ad Scythas non magis pertinuerint, quam ad Indos. Quid ſi ad Sarmaticos intra Caucaſum populos potius ſunt referendi? Nimirum Scytharum nomine, iſta quidem aetate, qua Appianus ſcripſit, de gentibus omnibus ad Caucaſum impune abutebantur ſcriptores. Apud eundem Appianum 12) Ἀγαρεῖς ἔθνος Σκυ-

7) l. II. c. V, 30. 8) p. 501. 9) p. 341. 10) Annal. XII. 16. 11) In Stephanum p. 91. 12) p. 385.

Σκυθικὸν, Mithridatis vulnus curasse dicuntur. Videntur illi ex *Gerrho* regione Scythica ad Gerrhum fluuium Herodoto commemorata, Γέρρῐοι, vt τὸ ἐθνικὸν Stephanus edidit.

Cum deinde Mithridates a Lucullo victus fractusque ad Tigranem fugeret, iterum legatos misit, πρὸς τοὺς ἐν Σκυθίᾳ Χερρονησίτας καὶ Θευδοσιανοὺς καὶ τοὺς περὶ τὸν Βόσπορον δυνάσας ὑπὲρ συμμαχίας, *ad Cherrhonesitas in Scythia et Theodosianos et dynastas Bosporanos de foedere*, quemadmodum Memnonis excerpta habent. 3) Sed peccauit breuitate recensendi Memnonem Photius. Quid enim de foedere agi poterat cum incolis Cherrhonesi Tauricae vel cum Bosporanis, qui sub Mithridatis potestatem dudum redacti fuerant? Auxilia imperare poterat Mithridates, sed auxilia submissa sunt nulla. Quamvis Bosporanum regnum administraret Machares Mithridatis filius, quem et ipsum Mithridatem vocat Dio Cocceianus, tamen ille separata a patris rationibus consilia sectando, Romanos victores magis respexit. Eodem tempore multi Romae inuidebant Lucullo, nonnulli res ab eo gestas criminando exagitabant, in exercitu vero eius miles lasciuiebat, piratae denique omnia per maria grassabantur, cum ad summam incommodorum, M. Fabius dux Lucilli a Mithridate subito oppressus est. Itaque Lucullo successor datus est Cn. Pompeius, qui praelio nocturno A. V. C. 689. Mithridatem toto regno Pontico exuit. Rex e fuga Dioscuriadem venit, nihil humile et abiectum animo agitans, ἀλλὰ τὸν Πόντον ὅλον ἐν κύκλῳ καὶ Σκύθας ἐπὶ τῷ Πόντῳ καὶ τὴν Μαιώτιδα λίμνην περιελθόντα ἐς Βόσπορον ἐμβαλεῖν, *sed Pontum totum in circuitu et Scythas et Maeoticam paludem circumire et in Bosporum inuadere*; Macharisque perfidiam vlciscì, per quam a suis prouinciis excludebatur. Eodem teste Appiano, 4) per Scythicas gentes ἔθνη καὶ πολεμικὰ καὶ ἀλλότρια, *tum bellicosas, tum alienato in Ponticos*

3) p. 387. 4) p. 399. seq. Dio Cassius p. 28.

Digitized by Google

ticos animo, partem vi, partem gratia iter sibi patefecit in Bosporum. Scythas hic, dicit Appianus, populos ad occidentale littus Ponti Euxini. Ab Dioscuriade enim Mithridates Heniochos petiit, qui a quatuor regibus tenebantur. His transitum comiter praebentibus, Zygios vitauit, cum ob locorum difficultatem, tum ob feritatem gentis: itaque eorum in prouincia secundum littus maris iter fecit, naues saepe conscendens, vbi terrestris via non patebat. 5) Inde eum Achaeos admisisse, scribit Strabo, Appianus 6) obsistere ausos et repulsos fuisse. Maeoticas regiones ingressus Mithridates, multis subditas regulis, ob famam rerum gestarum ab omnibus benigne hospitaliterque deductus est: munera vtrimque data, foedus initum firmatumque elocandis inter principes filiabus regiis. 7) Machares, vbi cognouit, patrem *claustra Scythica*, vt Appianus loquitur, Caucasea, inquam, transiisse, omniaque intra Maeotin et Tanaim (in qua regione Bosporani regni Maeoticae gentes a veteribus collocari solent) tenere, e Bosporo Cimmerio in Pontum ad Romanos fugit, medioque in cursu, vel ipse sibi manus intulit, vel, vt Dio Cassius refert, ab amicis suis interfectus fuit. Cn. Pompeius Mithridatem persequens, Colchidem intrauit et ad Phasin fluuium, Seruilium cum classe, qua Ponti oram tuebatur, obuium habuit. Ac postquam cognouit, per quae loca, quam difficili itinere adeatur Bosporus, quam deinde anceps in longinquis regionibus et inquietis bellum futurum esset, relictis ad tuendam Ponti oram naualibus pedestribusque praesidiis, Iberos et ad Caspium mare Albanos in potestatem redegit, inde in Pontum et Syriam reduxit exercitum. 8) Mithridates consilia agitabat, neque pro praesenti fortuna, neque pro aetate. Constituerat enim secum, adiunctis sibi Scythicis Geticisque auxiliis, per Pannoniam inuadere Alpes, 9) et omne barbaricum nomen in Romanos concitare.

5) Strabo p. 342. 6) p. 399. 7) Appianus l. c. 8) Appianus l. c. Plutarchus in Pompeio p. 637. 9) Appianus p. 400.

Digitized by Google

citare. Eo et delectus militum habebat acerrime et arma telaque comparabat et exactionibus crudelissimis conge-rebat in aerarium opes, et eunuchos ad Scythae regulos mittebat, qui auxilia peterent, filiasque regias deuin-ciendae caussa amicitiae inter regulos elocarent. 10) Eu-nuchi cum filiabus regiis, a quingentorum militum prae-sidio deducebantur. At haud longe digressi a Mithri-date milites, eunuchos interfecerunt et puellas ad Cn. Pompeium adduxerunt. Iam et Castor, praefectus Pha-nagoriae, nouis rebus studebat, 1) et passim vrbes exer-citusque deficiebant, qua occasione Pharnaces vsus, pa-ternum regnum rapuit, Mithridates violenta morte inter-iit, M. Tullio Cicerone, C. Antonio Nepote Coss. ante C. N. 63. Quemadmodum Scythae toties Cherrhonesi possessione euersi sunt, ita regnum Bosporanum suis fini-bus tum in Cherrhoneso tum in obiectis ad orientem ver-sus Caucasum prouinciis, fere vsque ad Valeriani Imp. tempora 2) stetit et aduersus finitimas gentes, ne Asiati-cas Romanorum prouincias infestarent, propugnaculo fuit. Tertius a Mithridate Asander, qui ab anno ante C. N. 45. regnauit et apud Caesarem Augustum gratio-sus fuit, Isthmum Cherrhonesi muro ducto clausit, denis in singula stadia turribus exstructis. 3) Nostrum non est, res Bosporanas hic amplius persequi, potestque Ioannis Valentis industria eas cognoscere cupienti sufficere. 4)

Fractis eum in modum Scythis, ab occidente Getae grauiorem procellam mouerunt, quam nunc certo alicui tempori non possemus adsignare, nisi Dionis Prusaei So-phistae oratio Borysthenitica exstaret. Quod Mithrida-tis temporibus Olbia vrbs floruerit, ex Scymni Chii fragmentis Holstenianis intelligimus:

Επὶ

10) Omnia ex Appiano. 1) Historia Miscella ex T. Liuio p. 40. 2) Zosimus p. 28. ed. Oxon. 3) Strabo p. 215. 4) In Achaemenidarum imperio.

Digitized by Google

Ἐπὶ δὲ ταῖς κατ' Τπανιν καὶ Βορυσθένην
Τῶν δυσὶ ποταμῶν συμβολαῖς ἐστὶ πόλις
Κτισθεῖσα, πρότερον Ολβια καλουμένη.
Μετὰ ταῦθ' ὑφ' Ελλήνων πάλιν Βορυσθένης
Κληθεῖσα, ταύτην τὴν πόλιν Μιλήσιοι
Κτίζουσι κατὰ τὴν Μηδικὴν ἐπαρχίαν.
Διακοσίων δὲ καὶ τεσσαράκοντα σταδίων
Τὸν ἀκάπλουν ἀπὸ θαλάττης τῷ Βορυσθένει
Ποταμῷ ἔχει.
Οὗτος δὲ πάντων ἐστὶ χρειωδέστατος,
Κύτη μεγάλα καὶ πολλὰ καὶ καρποὺς φέρων
Τοὺς φυομένους, νομάς τε τοῖς βοσκήμασι.

Vbi ostiis iunctis in vnum confluunt
Hypanis Boryſthenesque, ſtructa eſt ciuitas,
Quae nomen antea obtinebat Olbiae:
Deinde Graecis dicta denuo fuit
Boryſthenes: Mileſii quoque ſtruxerant
Hoc oppidum florente regno Medico,
Ad quod ducentis ſtadiis adſcenditur
Quaterque denis ex mari Boryſthenem
Per flumen.
Hic amnis vnus omnium vtiliſſimus
Vaſtis abundans plurimisque piſcibus
Frugumque copia atque laetis paſcuis.

Vt Lucas Holſtenius conuertit. Recte Scymnus vigente adhuc Medico regno conditam a Mileſiis ſcripſit, nam Euſebius Olymp. XXXI. 2. coloniam deductam fuiſſe teſtatur, annis ante C. N. 655. tertio anno Phraortis regis Me-

Medorum, ſedecim annis ante, quam Cimmerii a Scythis ex his regionibus pulſi ſunt, vt noſtrae rationes in Chronologia Scythica poſtulant. Ob tantam vetuſtatem vrbis et propter maximam opportunitatem mercaturae, tantae ciuium fuere opes, vt, Herodoto teſte, Olbitae dici mallent, quam Boryſthenitae, ſicuti a Graecis ceteris ipſoque Herodoto nuncupabantur. Olbia autem, ſi interpreteris nomen, *felicitatem et adfluentiam* continet, qua ſe *beatos* iudicarunt ciues. Poſt id tamen nomen Boryſthenitarum, a vicino ductum fluuio, ſic obtinuit, vt Dio Chryſoſtomus, ipſa in vrbe, Boryſthenitas dicere minime reformidaret. Iam de hac vrbe ſic ait Dio Sophiſta: 5) Ἡ δὲ πόλις τῶν Βορυσθενιτῶν τὸ μέγεθός ἐστιν οὐ πρὸς τὴν παλαιὰν δόξαν, διὰ τὰς συνεχεῖς ἁλώσεις καὶ τοὺς πολέμους, *vrbs Boryſthenitarum pro veteri gloria non item nunc ampla eſt, quod ſaepe capta, multa bello pertulit.* Tum vero commemorat, τὴν τελευταίαν καὶ μεγίστην ἅλωσιν, οὐ πρὸ πλειόνων ἢ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ἐτῶν· εἶλον δὲ ταύτην Γέται καὶ τὰς ἄλλας τὰς ἐν τοῖς ἀριστεροῖς τοῦ Πόντου πόλεις, μέχρι Ἀπολλωνίας, *extremam vrbis expugnationem omnium acerbiſſimam, annis non amplius centum et quinquaginta ante eum diem: ceperunt autem Getae cum hanc vrbem, tum ceteras ſiniſtro littore Ponti vrbes, vsque ad Apolloniam.* Denique ceteta perſequitur, vt Getae, poenitentia ducti damnumque id ſuum rati, ſi vrbs antea mercatibus frequentiſſima et fructuoſiſſima Scythis, in ruinis iaceret, Graecos immunitate aliisque commodis propoſitis ad reſtaurandam eam allexerint. Boryſtheniticam Dio dixit, vt ab eruditis viris obſeruatum fuit, A. C. 94. Ergo res illae Geticae in annum ante C. N. 56, A. V. C. 698. ſeptimum ab interitu Mithridatis incidunt. Poſtquam Getarum regnum crebris bellis concuſſum, Βοιρεβίστας *Voereuiſtas* ex Δεκαινέου *Decaeneo* aut praeſtigiatoris, aut ſapientis viri, ſententia reſtituit, etiam Romanis terrori fuere

5) p. 437. ed. Morelli.

Digitized by Google

fuere Getae. Illo a seditiosis ciuibus sublato, regnum inter plures principes diuisum fuit. Modo eorum quatuor fuerunt, modo quinque et vel plures vel pauciores numero. 6) Ante Augustum Caesarem adeo validi fuere Getae, vt ad ducenta millia in aciem possent producere, Augusti vero temporibus, tum dissidiis inter se, tum bellis, sic attriti sunt, vt sub Tiberii Caesaris aetatem Strabo testetur, non fuisse amplius quam quadraginta millia virorum, qui arma ferrent. Getas vt opinor dicit, qui in maiorum sedibus permanserant, cum ceteri nouas quaesissent. Huiusce rei indicium est capta ante C. N. 94. Olbia. Et inde fere in Scythicis campis frequentius Getarum nomen, quam Scytharum est. Sed de his rebus praestat copiosius dicere in Memoriis Geticis, quàm hoc loco.

Nam nos hic potius dicemus de Othino eiusque expeditione in septemtrionales regiones, quam in his Geticis Scythicisque turbis contineri sentio. Othini memoria vera, vt puto, est, sed adeo deformata ab figmentis tum vulgaribus, tum eruditis, vt vix colorem quemdam veritatis retineat, vtque mirum non sit, cum in his quae de eo traduntur, tanta exstet apud scriptores septemtrionales dissensio. Dum pro se quisque omnia ad suam gentem trahit, dum aliena appetit, non adparet, quid teneat tamquam proprium vel in historia vel etiam in fabula. Cum vero diuinus cultus Odino per omnem ferme Europam septemtrionalem est tributus, id mihi idoneum argumentum videtur esse, vt credam, exstitisse aliquem prisco aeuo celebrem virum, magnis facinoribus perpetratis insignem, quem hominum simplicitas ex heroum numero paullatim euexerit ad deos et denique praecipuo honore ante deos alios coluerit. Ne quem vero moueat, cum et fabulam concedam esse Othinum, et veritatem in fabula requiram, figmenta reiiciam.

6) Strabo p. 210.

Digitized by Google

ciam. Plerique populi et praesertim libertatis virtutisque amantes, rerum ante se gestarum admiratione moti, si non scripto, tamen sermone et carmine aliquam priscae memoriae recordationem conseruarunt. Fabulae a veris sermonibus narrandi obscuritate differunt, non tota natura sua, vti falsa et commentitia. Sic in Graecarum fabularum plerisque inest rerum gestarum quaedam veritas, sed velis occultata suis et tenebris. Eleganter Strabo: 7) Φιλειδήμων ὁ ἄνθρωπος, προοίμιον δὲ τούτου τὸ Φιλόμυθον, et idem paullo post non minus vere: οἱ πρῶτοι ἱστορικοὶ καὶ φυσικοὶ, μυθογράφοι. Quam sententiam Palaephatus, Eustathius et magnus Grammaticorum populus in explicandis fabulis Graecis sequuntur. In Romanis autem nolite credere, Fabium Pictorem aut L. Sisennam, vel Claudium Quadrigarium et Q. Valerium Antiatem ab Euandri, Carmentae, Saliorum carminibus abstinuisse, aut nihil traxisse a fama. Is quidem vehementer errat, qui nihil secus factum putet in primordiis Romani nominis, quam vt scriptis eruditorum hominum continetur. Ingenuam T. Liuii confessionem vide, aut Dionysii Halicarnassensis a T. Liuio dissensionem. Priscis autem fabulis (quas a *fando* seu obscuro rumore haud absurde putamus dici) multa figmenta paullatim admista fuerunt, quae pro suo quisque ingenio aut rescidit aut interpretatus est. Est tamen difficile, in omni fabula sentire, quid falsi admistum sit vero, aut quantum in earum aliqua vetus rumor a putido commento discrepet: multo deinde difficilius est, si diuersorum populorum diuersae fabulae vnum in corpus confusae sint: difficillimum, si qui eruditi homines, vt ampliores ornatioresque priscas facerent fabulas, otio suo intemperanter sunt abusi, eorum pigmenta a rudibus fabulis vt seiungas. Quare, quemadmodum Flamini Diali non licebat vel nominare vel tangere fabam, ita videri alicui possit, a fabulis omnibus abstinere oportere historicos. At timent merito, ne in obscuris temporibus, simul

7) p. 13.

Digitized by Google

ſimul cum fabulis tenuem verae hiſtoriae memoriam amittant, eo, vt quisque iudicio valet, ita vero ſimilia in iis conſectatur. Mihi vero duabus de cauſſis non videntur negligendae: tum, ne quis vana et commentitia ex iis in hiſtoriam importet, nimio veteris rumoris ſtudio, tum, ſi qua in iis, veris conſentanea transluceant, ea vt nobis ſeponamus. Septemtrionales fabulae eandem naturam, quam Graecae habent. Sermone hominum et cantu conſeruabantur, pertenui ſane et fallaci ad fidem miniſterio, praeſertim ſi vera facta adulando extollerentur in maius. Olaus Verelius initio animaduerſionum in Gothrici et Rolfi hiſtoriam, narrationes de rebus praeclare geſtis per ora hominum traditas et in concionibus conuiuiisque celebratas fuiſſe demonſtrauit. Quid enim aliud Islandorum, Noruagorum Danorumque Scaldri egerunt, quam vt pro ſuo quisque ingenio, ſeu veterem rumorem, ſeu ſui facta temporis concelebraret? 8) Eorum fidem Arrius Polyhiſtor 9) et eius fere aequalis Saemundus Sigfuſi filius et poſt alios, quos Thormodus Torfaeus et Arngrimus Ionas recenſent, Snorro Sturlaeus 10) ſecuti ſunt. Sapienter hic fidei ſuae cauit Snorro, vir, vt ex illius monumentis ingenii adparet, magno iudicio, neque minori integritate et fide, par denique optimis priſci aeui ſcriptoribus, praeterquam cum a tenui eruditione deluſus eſt. Is enim ait, 1) ſcripſiſſe ſe, *ductu partim eorum, quae in antiquiſſimis veterum annalibus, quibus reges virique illuſtres alii ſtirpes ſuas recenſuerant, partim quae ex antiquis cantilenis rhythmisque, oblectationis cauſſa quondam decantatis, ad memoriam poſteritatis peruenerunt: quamuis autem*, inquit, *plenam*

8) Vide Thormodi Torfaei prolegomena in hiſtoriam Noruagicam et Orcadenſem. 9) A. C. 1117. Thorm. Torfaeus in ſerie regum Daniae l. I. c. 4. Prolegomenis Hiſtoriae Noruagicae p. 4. Arngrimus Ionas in Crymogaea et ſpecimine Islandico. 10) A. C. 1241, coniuſus. Ioannes Peringskiöldus Praefat. in Snorronem, et Torfaeus l. c. 1) Hiſtoriae Noruagicae t. I. p. 1.

num haruncce rerum ſcientiam polliceri non audemus, exempla tamen haudquaquam nos deficiunt, quibus certiores reddimur, viros olim eruditiſſimos fidem talibus habuiſſe. Similiter in Danis Saxo Grammaticus, [2]) Snorroni quidem nullo modo comparandus, et teſtatur in praefatione, vetera carmina ſe reſpexiſſe, et ipſo in opere exhibuit. Non eſt neceſſe, vt addam aliquid de Gronlandis, quorum carmina Thornmodus Islandus [3]) edidicit et in hiſtoriam transtulit. Tenemus initium vndecimi ſeculi, cum, quidquid veri rumor et fabulae continere viderentur, in hiſtoriam congeri coeptum eſt. Ex eo tempore ſeptemtrionalis hiſtoria firmioribus ad fidem monumentis ſeſe extulit. Nam in ſuperioribus temporibus, tametſi operam omnem atque ingenium viri boni adhibuerunt, tamen non modo in vetuſtis fabulis, ſed in propioris aetatis carminibus et fama, facile fuit falli. Snorro in praefatione ſic ratiocinatus eſt ſecum: *Haud dubitamus, ſingula illa, quae in carminibus traduntur, de expeditionibus rebusque geſtis, veritati conſentanea ducere: quamuis hic poetarum mos ſit, vt eorum, quae ſibi propoſuerant, encomia, ſummo decantent opere, vix tamen crediderim, quemquam auſurum fuiſſe, domino ea narrare facinora, quae auſcultantibus pariter et ipſi falſitatis vanitatisque nomine perſpecta forent, quippe in dedecus potius, quam laudem vergentia.* Prudentem virum audio et recte ſecum ineuntem rationes, ſed quae non item omnium carminum auctoritati inſeruiant. Quot enim poetae de vetuſtis ante ſe rebus cecinerunt, qui fallerentur ipſi, qui ne pudorem quidem mentiendi haberent, cum, propter rerum vetuſtatem, nemo eſſet, qui eos refelleret! Si Theocritus in Ptolemaei Philadelphi encomio, ſi in Olympionicis ceterorumque ludorum victoribus Pindarus nihil falſi rebus ipſis,

a) A. C. 1193. Stephanus Stephanius in prolegomenis p. 21.
3) A. C. 1030. Arngrimus Ionas in ſpecimine Islandiae hiſtorico p. 151.

Digitized by Google

ipsis, quas tractant, admiscuerunt, non tamen iisdem credideris in ceteris, quae ex superiori memoria interserunt. Nempe omnibus in gentibus, quanto longius aetas nepotum a maiorum temporibus abfuit, tanto intentius accepta a parentibus, in foro, circulis, conuiuiis personuerunt: et amissa etiam continenti memoria, quaedam magnarum rerum scintillae in animis hominum exstingui non potuerunt. Haec quia tamquam e longo interuallo vix noscebantur, vt obscura et male cohaerentia, aucta deinde sollertia captantium e vanis miracula, multo incertiora euaserunt, quam fuerant dudum. Multum igitur refert, quis ista tum lubrica tractarit. Saxo Grammaticus vsum se scribit Thulensium, sic enim Islandos vocat, narrationibus: iisdem vsus est Snorro Sturlaeus. Vide quid homo homine discrepet: plane inter sese non conueniunt. Quare aut Saxo deprauata carmina et figmentis scatentia integrioribus praetulit, aut diuersa miscendo, ab ratiociniis suis declusus concidit. Quam ob rem tantopere indignatus est Ionas Iacobus Venusinus historiographus regis Daniae, quod Saxo Scaldrorum carminibus nimium tribuerit, *quaedam enim*, inquit, *eiusmodi sunt, vt apertae veritati vim faciant: quae si pro veris acceptaremus, nae nos in historia nihil vidisse videremur.* Multo grauius in eum insurgit Arngrimus Ionas apud Stephanium, 4) qui ei ne quidem viri boni nomen relinquere videtur. Sed Saxonem etiam in propioris memoriae rebus, his ipsis rebus coaeui scriptores condemnant. Nescio tamen, an eruditio ab Romanis Graecisque monumentis intemperanter a quibusdam ad fabulas adhibita, plus mali importarit, quam aliorum vanitas. Multa eiusmodi ἑπαυτοφώρῳ deprehendi. Ioannes Lyscander, qui tantum sibi in Danica historia permisit, Saxoni Grammatico iratscitur, 5) quod toto in opere Cimmeriorum memoriam, ac ne Cimbrorum quidem

4) In Prolegomenis p. 36. 37.

5) Antiquitatum Danicarum sermone VIII. p. 69.

Digitized by Google

dem apud Danos vel Islandos inuenerat, vt nec Snorro Sturlaeus. Post Saxonem docti homines, cum sibi aliquid apud Romanos Graecosque visi sunt reperisse, hanc partem benigne expleuerunt, sed medius fidius admodum imprudenter: inde aliis audacia, vt eam quoque veluti antiquam septemtrionalium gentium famam venditarent. Cum Arngrimus Ionas in Crymogea ostendisset, Islandiam Noruagicorum scriptorum testimonio ab A. C. 874. primum coli coepisse; e contrario Ioannes Isaacus Pontanus in commentario de insulis borealibus omnem eam monumentorum Islandicorum fidem idcirco conuulsam voluit, quod Thules mentionem iam Graeci iniecissent et in iis praesertim Pytheas. Scilicet multa apud antiquos est memoria Thules, quam cum Adamus Bremensis comperisset, Islandiae attribuendam iudicauit. Eum secuti sunt alii, vt ne dubitarint quidem ita esse. Peperit haec disputatio insignem librum Arngrimi Ionae, quod Specimen historiae Islandicum inscripsit, in quo libro mihi Pontano satisfeciisse videtur, nihil ad Islandiam pertinere Thulen demonstrans et potius Britannicis insulis esse inserendam. Venit deinde tamquam in controuersi et vacui nominis possessionem Olaus Rudbeckius, 6) qui id ipsum toti Scandinauiae vindicauit. At Thormodus Torfaeus 7) specie concedentis tam graues difficultates Rudbeccio mouit, vt Thule citius Islandia sit, quam Scandinauia. Tamen sibi quoque obstare veterum loca sensit, vir veritatis, si quis vmquam, studiosissimus, Torfaeus. Scilicet ne veteres quidem de vna et eadem insula id nominis vsurparunt, vt iam tum in vocabulis quibusdam ingeniose ludere sunt soliti. Serius item ab externa eruditione, sed tenui illa atque exsangui, Dacorum nomen Danis tributum est. Vetera monumenta ignorant: recentiores quidam errorem istum gratanter acceperunt, non modo iam nomen solum, verum etiam

6) In Atlantica cap. de Thule p. 514. 7) Historiae Noruagicae t. I. p. 10. seq.

Digitized by Google

iam res Dacorum ad Istrum gestas, Daniae vindicantes, quos quidem grauissimis verbis Ioannes Isaacus Pontanus explosit. [8]) Sed infinita sunt, in quibus immatura eruditio septemtrionalibus historiis nocuit. Quae cum ita sint, vt omni in fabula, ita in Othino, quantum humana mens cauere potest, prouidendum est, vt non minus sequioris aetatis commenta, quam ab eruditione petita pigmenta, a vetusto rumore seiungamus.

Complures Odinos in monumentis septemtrionalibus commemorari, Ioannes Schefferus 9) et Olaus Verelius 10) obseruarunt, ne dicam alios. Saxo Grammaticus visus est septem eodem nomine et honore diuinitatis insertisse. Thormodus Torfaeus 1) tamen, re accuratius considerata, vnum vbique Othinum deprehendit. *Quod autem*, inquit, *Odino suo tam prodigiosam aetatem adscripserit, in eo illum parum circumspectum fuisse confiteri conuenit.* Nempe, cur Saxoni non liceret in Othino deo, quod Graeci in Ioue, Apolline, ceterisque diis immortalibus sibi permiserunt, vt non modo istis temporibus, quibus hi heroes fuerunt in hominibus, sed multis etiam seculis post producerent adulteros? Sin a Saxone discedas, trium praecipue aut duorum Othinorum memoriam priscam exstare inuenies: nam si Mithodinum excipias, Odinus Priscus et Odinus Vpsalienſis relinquuntur. Hanc Brynolfi Suenonii sententiam placuisse video Nicolao Kedero, summi ingenii, eruditionis autem excellentis viro. 2) Equidem illum Vpsaliensem vulgo dictum solummodo inter mortales exstitisse puto et ab eodem superstitionem manasse, donec procedente tempore se ipso antiquior et verus deus crederetur.

8) p. 640. 9) In Vpsalia c. 7. 10) In historiam Gothrici et Hrolfi p. 40. 1) In Dynastiarum Daniae serie I. II. c. 5. 2) In numo aureo Othini p. 3. conf. Noua Litteraria maris Balthici A. 1700. p. 363.

Digitized by Google

Snorro Sturlaeus in historiis Norvagicis Odini Vpsalienſis famam ex Arrio Polyhistore consignauit, in Edda autem Odini Prisci, seu eiusdem Odini, qui iam haberetur vt vetus deus. Sed cum Snorro, Odinum ex priscis sedibus in septemtrionem vt deduceret, regionum situm describit, manifestum est, eum ab eruditione tenui litterarum Latinarum, qua iam tum aliqui in Norvegia callebant, sic delusum fuisse, vt tamen etiam hic aliquid veteris famae subodorari queamus. Tanto diligentius expendenda erunt omnia. Oceanum, inquit, ambire terram, atque maria sua passim in sinus diffundere: ex his esse mare a *Norvasund*, seu *Gaditano freto*, vt Ioannes Peringskiöldus V. C. explicuit: isthinc ad Palaestinam vsque protendi atque inde in longitudinem porrigi, aquilonem versus, Mare Nigrum seu Pontum Euxinum: ad boream iuxta Mare Nigrum esse *Svioniae* 3) regnum, quod quidam vastae *Serklandiae* 4) comparent, alii *Blalandiae*, 5) quam Peringskiöldus *Aethiopiam* interpretatur: septemtrionalem plagam propter intensissimum frigus et inclementiam caeli incultam iacere, Africam ad meridiem torreri aestu nimio solis: plurimos in Suionia esse tractus, diuersis distingui linguis et varia populorum multitudine abundare: esse isthic gigantes, pygmaeos, pugiles subfusci coloris, gentes prodigiosas, tum serpentes stupendae magnitudinis. Ex montium borealium iugis descendere Tanaim, olim dictum *Fanaquisl*, seu *Vanaquisl*, (*Vanorum fluuium*) qui per *Suitiot* deuectus in Mare Nigrum sese exponeret: regionem huius fluuii brachiis intercluſam, *Vanaland*, vel *Vanaheimur*, *Vanorum terram* dici. Ab Tanai illo tres orbis regiones diuidi et Europam ab Asia discerni.

Hanccine adeo formam terrae Snorro Sturlaeus paullo ante A. C. 1241. edere potuit? Nempe nihil eorum dicit, quae tum propter crebras Scandinauorum terra marique profectiones nota erant: libellis quibusdam lepi-

3) *Suitiot.* 4) *Serkland.* 5) *Blaland.*

Digitized by Google

lepidis hercle et eruditis auſcultare maluit. Septemtrionalem tractum habitari poſſe negat, et neſcio quae monſtra iis in locis diſſeminat. Quid autem? nihilne ei Biarmiae ſeu Permiae, ad borealem vsque oceanum cultae, in mentem venit? quam vero Noruagos ad quaerendas ſibi diuitias nauibus adiiſſe, vel ex Snorrone conſtat. Minime gentium, audiendi erant potius illi, qui ex Graecis Latinisque hauſerant. Hi vero ſeptemtrionem omnem ſolitudine et terroribus immitis caeli implerunt, hi, teſte Euſtathio Theſſalonicenſi in praefatione commentariorum Iliadis, ſolitudines mapparum ſuarum, pygmaeis atque aliis iſtiusmodi monſtris exornarunt. Tanais Europam ab Aſia diſcernit: recte, ſi Strabonem 6) audias. Tanais item tertiam orbis regionem a duabus? nempe ingenioſum hoc eſt. Ex borealibus montibus Tanais in Pontum Euxinum deſcendit, Pontus, vt verba Snorronis non obſcure indicant, in ſeptemtrionem extenditur. Sunt haec eiusmodi, quae ex fabulis Argonauticis orta, ſitum harum terrarum ſic interuerterunt, vt Pontus Euxinus haud longe abeſſet a boreali oceano, de quo errore ſaepius monui. Sed vt hic Snorronis magiſter Herodoteam orbis terrae diuiſionem, quae apud optimum quemque veterum Geographorum locum inuenit, ſecutus eſt, ita etiam ex Ephoriana aliquid recepit. Nam Ephorus orbem terrarum in quatuor partes diſtribuebat, 7) Celticam ab occidente, Scythiam ſub ſeptemtrione, et ſub illis Aethiopiam et Indiam. Aethiopia magiſtro Snorronis fuit *Blaland*, ex Scythia, propter tenuem conuenientiam vocis, factum eſt *Suitiod*, et ex *Scythia magna*, vt fautores Ephorianae ſententiae loquebantur, *Suidiod Miklu*. *Serkland* Ephoriana eſt India. Peringskiöldus ad Theodorici regis vitam, 8) cum ex Hialmteri regis hiſtoria refert, Ingonem Mannaheimiae regem filio ſuo claſſem tradidiſſe, cum qua in Arabiam,

6) p. 338. 339. 7) Confer ea, quae diximus in *Memoriis Scythicis* p. 208. et 209. 8) p. 407.

Digitized by Google

Sarklandiam aliaque loca orientalia proficiſceretur, *Sarklandiam* explicat *Sarckedoniam* ſiue *Carthaginem Africae*. Quidquid ſit de illa expeditione, *Sarkland* et *Serkland* profecto non poteſt fieri, vt ſit regio aliqua alia quam ἡ Σηρικὴ *Serica*. In commentationibus de Serica et Seribus oſtendam, regionem illam, ob mercaturam Serici celebratam, ab Meſopotamienſibus, qui eam exercebant mercaturam, شرق et شرقة *Scherk*, *Scherkab*, *Scharkeb*, id eſt, *orientem* fuiſſe dictam. Et fuit quidem illa regio non ita ampla vt India, tamen fama ſui nominis ſub Auguſto Caeſare et poſtea, Romanum orbem impleuit. Idcirco auctores, quos Geographus Rauennas ſecutus eſt, 9) Indiam et Sericam vno nomine comprehenderunt, *Indiam Sericam* appellantes. Et commode hoc accidebat Ephorianae ſententiae ſtudioſis, quod priſci Geographi, vt Ptolemaeus, Agathemerus, Marcianus Heracleota, infra Scythiam protenderent regionem Sericam, vt India Ephori facile poſſet cedere nobiliori nomini Sericae. At enimuero, inquies, potuitne Ingonis, Manheimiae regis, filius nauibus ſuis proficiſci vsque in Sericam, ſiue Indiam? Scilicet, ſi nihil aliud ſententiae meae obſtet, vtut concedam, vera iſta eſſe, quae de Ingone hoc referuntur, neque enim a fide abhorreo, tamen nihil abſurdi video. Recognoſcite mecum veterum Normannorum nauigationes, vim atque audaciam. Primos omnium Europaeorum in Americam nauigaſſe, vtcumque aliquis mirabitur, Snorronis auctoritate moueor, vt credam. Quidni iidem pro reliqua fortuna ſua et incredibili audacia viam inuenerint circum Africam nauigandi? Id ego autem nunc non poſtulo, magis enim inclinat animus, vt credam, eos primum petiiſſe Alexandriam, deinde ex ſinù Arabico nauibus fuiſſe deuectos in Indiam Sericae mercaturae cauſſa.

Poſt-

9) Vide etiam in primis p. 43. ed. Porch.

Digitized by Google

Poſtquam Snorro orbis terrarum ſitum confuſis inter ſe vetuſtatis lineamentis depinxit, regionem, ex qua Othinum profectum compererat, ſubobſcure item monſtrat. Terram, inquit, ad orientem Tanais exſtitiſſe, nomine *Aſa-land*, vel *Aſa-heimur*, et metropolin eius *Asgard*, in qua et princeps fuerit nomine *Odinn*, et locus ſacrificiis cultuque deorum celebris. Cum principe fuiſſe duodecim praefectos, quos ipſi *Diar*, *edur Drottnar* vocarint, quiue curam ſacrorum geſſerint, et ius dixerint populo. Odinus longinquis peregrinationibus bellisque nobilitatus multas victorias reportauit, multa regna ſibi ſubiecit, ex quo fama fuit, vbi pugnaret, ab ea parte ſtare victoriam. Tandem exercitum ſuum eduxit (*hendur Voenum*) contra *Voenos*, qui regni ſui fines valide tutati ſunt. Rurſum, inquit Snorro, ab ortu ſolis aeſtiui vsque ad occaſum ſolis hiberni longiſſima montium iuga protenduntur, diſterminantia *Suidiod Miklu*, *Scythiam magnam*, a ceteris regnis. Haud ita procul ab horum montium auſtrali parte, *Teucria* ſita eſt; ibi magnos quoque tractus poſſidebat Othinus. Verum enim vero plena haec ſunt praepoſtero πολυϊστορίας ſtudio. Quoniam ex veterum geographorum ſententia Tanais Aſiam ab Europa diſterminabat, iſthuc autem vocabulum *Aſia* cum *Aſarum* nomine congruebat, inde tenui ratiocinio Aſae viſi ſunt ex Aſia profecti. Ita Georgius Hickeſius; [10]) *Famoſus ille Othinus et eius aſſeclae ſe pro deaſtris ſeu diis aut ſemidiis venditantes ex Aſia oriundi ſunt: itaque As in plurali Aſer diis ſeptemtrionalibus nomen gentile erat.* Contra ea Gudmundus Andreae Islandus, in notis, quae *Voluſpae* a Petro Reſenio ex Saemundi Edda editae ſubiunguntur: [1]) *Ab Aſa Aſia, ſolum diuinum, ſacra terra: non hi ab Aſia nomen, ſed regio ab illis ſuscepit.* Haud eo inficias, *as*, dei, et *aeſer* deorum nomen veteri lingua, non modo Scandinauica,

10) In Theſauro linguarum ſeptemtrionalium t. 1. p. 193.
1) Ad v. 20.

Digitized by Google

nauica, sed etiam Celtica viguisse. Hesychius: *Αισοὶ, θεοὶ ὑπὸ Τυρρηνῶν.* Suetonius Tranquillus in vita Caesaris Augusti: 2) *Aesar Etrusca lingua deus.* Inde *ara* quoque videtur dicta, et priscis Italis *asa*, Numae Pompilii lex: 3) PELEX. ASAM. IVNONIS. NE. TAGITO. *Pellex aram Iunonis ne tagito.* Sic: *Furii, Valerii, ero, mures, melior, foederum, plurima, arena*, vulgo apud priscos Romanos, et in Saliorum carminibus, 4) dicta sunt, *Fusii, Valesii, eso, muses, foedesium, plusima, asena.* Apud Turcas آز *az, parum, parcum*, apud Slauonos *az, vnum*, sicuti apud Russos *odin.* Sed vt Asiam ab istis diis, vel deos septemtrionales ab Asia fuisse dictos existimemus, maiori opus est vi ad persuadendum nobis. Potius ego, vt paullo ante dixi, ea in sententia sum, conuenientiam tenuem soni in vtraque voce, erroris caussam exstitisse, vt Othinum cum asis suis ex Asia repeteret ille Polyhistor Arius, cui aurem praebuit Snorro. Sed multo grauius peccatum in Teucris, cuius nominis tanta non est cum *Turcis* societas. Vbi a Peringskiöldo *Teucria* editur, ibi ipso in Snorrone est *Tyrkland.* 5) Nimirum postquam illustris Stiernhielmus 6) coniecturam expediuit, *Turcas* vetustis septemtrionis monumentis celebratos esse, digna visa est Peringskiöldo coniectura, quam sequeretur. Alio loco vbi Snorro de Leifuri in Vinlandiam profectione agit, comes eius commemoratur *Turkir Sudur madur*, 7) ibi Peringskiöldus: *sociorum vnus Turkirus*, omisit enim in Latina versione, *vir e regione meridionali*, quod in Suedica interpretatione exstat. Mihi vero nihil aliud dicere voluisse Snorro videtur, quam *Turcam ex australi terra.* Neque illud *Tyrkland* quidquam aliud est, quam *Turcia*, non illa in Turkestan, sed ad Danubium.

2) c. 97. 3) Apud A. Gellium l. IV. c. 3. 4) Varro apud Macrobium l III. c. 2. et de Latina lingua l. VI. 5) t. 1. p. 5. 15. 6) Apud Olaum Verelium ad Hervorar Saga p. 5. seq. 7) t. 1. p. 332.

Digitized by Google

bium et Danaſtrim et Danaprin Tanaimque et in Cherrhoneſo Taurica. Cherrhoneſum et ſuperiores regiones vsque ad fontes Tanais, vt a Conſtantino Porphyrogenneta deſcribitur, Chazari tenuerunt, multis ante hunc Imperatorem aetatibus ex Turceſtania profecti. Theophanes Byzantius: [8]) Τοὺς Τούρκους ἀπὸ ἑῶας, οὓς Χαζάρους ὀνομάζουσιν εἰς συμμαχίαν ἐκαλεῖτο. Et lingua Chazarorum nulla alia, quam Turcica fuit, quod multis exemplis conſtat. Quocirca etiam liber Coſri, qui diſputationem Iudaei cum Chazaro continet, Turcice ſcriptus fuit. Supra Chazaros Turcae alii eorum cognati a fontibus Tanais vsque ad Iſtrum conſederunt. Et tametſi, quod ex Conſtantino Porphyrogenneta conſtat, circiter A. C. 893. a Pazinacitis toto illo agro eiecti fuerunt, tamen ad Iſtrum et in Pannonia ſedes ſuas collocarunt. Ex hac igitur regione priſca fama Othinum eduxit, in qua cum Turcas viderent colere, eo *Tyrkland* nomen regionis, vt tum erat, ediderunt. Et vox illa *Diar* Turcica reuera eſt, et *domus complures, regionem, prouinciam* ſignificat. Sic وِيار بكر *Diar Bekir*, وِيار ربيعة *Diar Rabia*, وِيار مصر *Diar Mezir*, وِيار الجزيرة *Diar Algjezira*. Praeterea in dignitatum nominibus videtur fuiſſe iſthuc *Diar*: nam et Kiouiae Princeps Oſcoldus, qui circiter A. C. 865. fuit, *Diar* in Ruſſicis Annalibus vocatur, quod nominis, imitatione Turcarum geſſiſſe videtur. Tenemus igitur regionem, quam Getae Scythaeque incoluerunt iis temporibus, quibus Othinum fuiſſe fama perhibet. Non nego, Snorronem Tyrklandiae nomine aliam regionem in animo habuiſſe. Nam cum de Othini expeditione agit, eam ad orientem Tanais collocat, Othinumque profectum dicit *fürſt veſtur in Gardariki, oc tha ſuthur i Saxland*, [9]) *primum occidentem verſus in Gardarikiam*, (quae nunc media Ruſſiae regio eſt) *deinde meridiem verſus in Saxoniam.*

Scili-

8) p. 263. 9) p. 5.

Digitized by Google

Scilicet cum illius aetate, Turciae eius, quam modo commemoraui, iam obliterata esset memoria, contra ea Turcae orientales celebrarentur, eodem se vertit Snorro. Sed si ex Getis fuit Othinus, non iam mirum est, fermonem illius tam in Germania quam in Dania et Scandinauia peregrinum fuisse visum, ita tamen, vt non plane abhorreret ab his linguis, quemadmodum Turcica. Testantur sane septemtrionales, diuersam illius fuisse linguam, eamque *Asamal*, *Asarum sermonem* vocant. Olaus Verelius, 10) postquam ostendit, sibi cum Arngrimo videri, ab omni aeuo in septemtrione hanc linguam Noruagicam obtinuisse, (id autem mihi quodammodo a vero non videtur alienum esse) Eddam producit his verbis: *Asiatici matrimonia in his terris inierunt, genusque suum in Saxonia et arctoo orbe admodum propagarunt: sola ipsorum lingua hic in vsu fuit: et satis liquet, quod in septemtrionem linguam suam intulerint per Noruegiam et Daniam, Sueoniam et Saxoniam.* Eo in loco ipsa Noruegica lingua ex *Asamal* orta atque facta dicitur. At Verelius, seu dissimulans Eddae auctoritatem, siue aliquem eius errorem sentiens, ita fatur: *Vocabatur haec lingua Asamal, hoc est, Asiaticorum sermo: sed a priori, non nisi dialecto differebat: vtriusque enim communis mater Scythica fuit: si quid autem peculiare posterior haec habebat, vulgo id minus receptum, Scaldis tantum frequentabatur, nouo hoc lepore carmina sua condire studentibus: quae propterea minus facilia intellectui, nostro praesertim aeuo, cum vulgaris pariter ac poetica dictio vetus in vsu esse desiit.* Eddam cum citet, prologum eius dicit, quem alibi merito exsibilat. Eo in prologo, Olai Magni codices haec tantum habent: *Ex indigenis ibi Asae vxores sibi et filiis suis delegerunt, vt hae familiae intra breue tempus per Saxoniam et omnem orbem arctoum dispergerentur et lingua Asianorum facta esset propria et communis omnibus*

10) In historia Gothrici et Hrolfi p. 2.

bus has terras incolentibus. Codex vero Regius et Stephanius non modo iſta addunt, quae Verelius produxit, ſed etiam alia. *Noruegis, Suecis, Danis, Anglis. Quod confirmant litteris mandata priſcorum Aſiaticorum nomina propria, quae vna cum hac lingua Aſiae, in ſeptemtrionalia haec regna, Noruegiam, Sueciam, Daniam et Saxoniam transtulerunt: occurrunt etiam in Anglia locorum et vrbium vetuſta nomina, quae alia lingua, quam ibi iam viget, videntur indita.* Totum locum, at iterum in medio omiſſis quibusdam verbis, Ioannes Peringskiöldus produxit, [1]) vt oſtenderet, mox ab Odini profectione, ſermonem illum *per vniuerſam Germaniam, Galliam et Britanniam mox propagatum fuiſſe*, a qua opinione Verelius abhorruit. Quid autem in ea eſt, quod aliquis probet? Si Odinus toto cum populo ſuo, Pompeii, vt nobis concedunt omnes, aetate, in ſeptemtrionem conceſſiſſet, non potuiſſent tamen Germani Aſarum ſermonem tam cito cognoſcere, vt eodem iam ſub Iulio Caeſare et Auguſto vterentur omnes. Locutos autem inuenio eam linguam, quae nunc fere eſt. Non adeo confeſtim magnis in populis veteres linguae intereunt, nouae recipiuntur: non tantum alicuius tyranni imperium valuit, quae natura ſua fieri non poſſunt, ea vt impetraret. Redeo igitur ad Verelium, qui *Aſamal* dialectum diuerſam eſſe concedit, eandem tamen linguam eſſe contendit: *nam*, inquit, *vtriusque mater Scythica fuit.*

1) Ad Theodorici vitam p. 353. Idem ex alio MS. veteri p. 354. haec adfert: „Omnes hiſtoriae et relationes, „quae lingua Noruegica conſcriptae ſunt, atque veritatem comitem habent, a Turcarum et Aſianorum in „Septemtrionem migratione ibidemque habitatione initium ſumunt: quapropter vere dicendum eſt, eam „linguam, quam Noruegicam vocamus, ipſos ſecum huc „in aquilonem transduxiſſe, quae lingua poſtea Saxo„niae, Daniae, Sueciae, Noruegiae et alicui parti An„gliae communis facta eſt. Huius populi princeps erat „Odinus Thori filius.“

Digitized by Google

fuit. In eo petit ſibi concedi, quod maxime controverſum eſt. Non video, quemquam Scythicae linguae rationes tam congruentes Scandinauicis et Teutonicis reperiſſe, vt Lithuanicae Mathaeus Praetorius in Orbe Gothico demonſtrauit eſſe. *Lapides* Praetorio minatus eſt Peringskiöldus, forte mihi alius minabitur. Enimuero his armis non opus eſt, non defenſoribus illis. At iocari video Peringskiöldum atque addere, *litteratos.* Ne illis quidem obruetur Praetorius. Sed Scythiam Verelius non dicit eam, quae ſola fuit Scythia, vt ex Herodoto patefecimus, verum Ephorianam illam, reuera autem, niſi antiquiſſimo cuique ſuae gentis auctori refragetur, Turciam. Dicat mihi nunc quisquam, quemadmodum Turcica lingua mater et Germanicarum et Scandinauicarum eſſe potuerit: aut quemadmodum ſola dialecto diſcrepet.

Qui *Teucriam* ex *Tyrkland* excuderunt, iidem hanc orientis regionem a Snorrone deſignatam ex oculis relinquunt, aliam ſine duce quaerunt. Peringskiöldus ad Theodorici regis vitam [2]) hunc ex Heruarae hiſtoria locum produxit: *Theſſu ſamtüda komm auſtan Aſiae menn oc Tirkiar oc bigdu Nordurlaund*, atque ita Latine conuerti: *Circa idem hoc tempus ex oriente aduenerunt Aſiani atque Turcae*, (i. e. *Teucri, Troiani*) *qui boreales has oras excolere coeperunt.* Verelius, cum Heruaram ederet, nihil de Teucris et Troianis ſuſpicatus eſt. [3]) Mutata ſcena eſt per Stiernhielmi coniecturam. Huic autem coniecturae patrocinabitur vetus opinio, Othinum a Troia et ex Phrygia fuiſſe profectum. Quantum Troia diſtat ab oriente Tanais, in qua regione iidem Asgardum ſitum fuiſſe prodiderunt?

qua opera ſi credam illis,
Vna opera alligem canem fugitiuam agninis lactibus.

Fue-

2) p. 352. 3) p. 6. 37. 38.

Digitized by Google

Fuerunt igitur eruditi viri, vt aetas quaeque tulit eruditos, qui Homericis delectati Musis hoc totum excuderunt. Qui vero? nempe vel solum nomen *Fryggae*, quae Othini fuit coniux, admonere eos Phrygiae potuit; saepe enim multae atque longae vna ex voce cusae sunt fabulae. Et cum *Asgard* adeo celebraretur, pro ingenio istius seculi, nullam aliam vrbem, quam Troiam recordabantur. Vetus tamen ista est opinio. Non ego heic ad prologum Eddae prouocabo, in quam Olaus Verelius vehementer inuectus est. 4) *Maximam*, inquit, *prologi istius partem, vtpote adulterinam et a sciolo quopiam ex mythologia Graeca et Latina consutam non agnoscit genuina Edda Snorronis.* Attamen etiam genuina in Edda, mythologia septima haec inuenio: *In medio orbe Borsonii condiderunt Asgardum dictam: haec Troia erat.* (*Asgardur*, *thad er Troia.*) Quod Olaus Magnus *medio in orbe* reddidit, in Snorrone est, *i Midum heime.* Quid si isthuc potius tamquam proprium nomen edidit Snorro? quid si *Media* ea sit? Nam tali in eruditione, qualis tum obtinuit, mirum non est, si quis in Noruegia atque Islandia crediderit, Turciam et Mediam eandem esse regionem, eandem deinde Teucriam et Phrygiam, ibi Troiam fuisse celebrem vrbem. Et potuit ab illis totum hoc ad Tanaim reiici, quando Geographus Rauennas, aptissimus seculo suo auctor, sic ait: 5) *Iuxta regionem Maeotida est patria maxima, quae dicitur Dardania.* Est haec Dandaria, de qua supra diximus: at Rauennas ille profecto *Dardanos* sibi visus est deprehendisse: quid enim aliud sibi velit isthuc *patria maxima*?

Venit mihi hoc loco in mentem Platonis in secundo de Republica dictum: primum quidem et vel maxime reprehensionem habere, si quis mentiatur, praecipue

4) In notis ad Heruarur Saga c. 2. adde p. 5. 5) p. 141. ed. Porch.

cipue tamen, ἐάν τις μὴ καλῶς ψεύσεται. Quid autem poteſt eſſe imperite mentiri, ſi haec, quae produximus, aliquid ingenii habent? Non eſt ita deplorata hiſtoria Romana, vt Q. Pompeii temporibus aliquod nomen fuiſſe, vel Dardanum vel Teucrium putemus: non illa tunc Troia fuit, vt Asgardi gloria, vel Othini regia, eius vaſtitati conueniat. Neque Turcia illa Orientalis Romanorum vmquam arma audiuiſſe videtur. Getae vero ad Iſtrum ſenſerunt etiam iis temporibus, quibus fere Pompeius fuit, cum, vt ex Appiani Alexandrini Illyricis conſtat, bella in Illyrico Romani geſſerunt. Snorro Sturlaeus 6) de aetate Othini ſic teſtatum reliquit: *Per id tempus, Romanorum imperatores arma ſua longe lateque per orbem circumferentes, cunctas nationes ſub iugum miſere: quo fiebat, vt poſſeſſiones ſuas multi domini deſererent. Romani imperatores*, Snorroni, *Rumveria Höftingiar*, vocabulo aptiſſimo ad rem et ampliſſimi ſenſus, vt quemcunque magiſtratum Romanum contineat. Prologus Eddae diſerte Pompeium nominat, quod item ab eruditione Romana petitum eſt. Neque aſpernantur hanc aetatem doctiſſimi viri, neque nos ſane refragamur. Nam poſtquam ex multis difficultatibus, quae Othinum circumſident, eluctati ſumus, nihil inuenimus, in quo acquieſcamus, niſi Geticas gentes et hoc fere tempus, cum tantae Getarum vires, vt ſupra diximus, in Scythicos populos incubuerunt. In primis autem Othinus Neuros forte et Gelonos ſemigraecos ex ſedibus ſuis excitaſſe et cum Getis ſuis ſeptemtrionem occidentemque verſus duxiſſe videtur, fortaſſis etiam Scythis multis ſigna eius ſequentibus. Nam quod ex Herodoto conſtat, Budini, Neuri, Gelonique in Scythico nomine et corpore olim continebantur, cum origine Scythica non eſſent, lingua quoque vterentur alia, quam Scythica. Itaque in incorrupta fama apud Snorronem, Vani illi et Voeni, quibuscum foedera conſociauit

6) t. I. p. 5.

Digitized by Google

cianit Othinus, diuerſi ſunt ab incolis Gardarikiae, quae regio tum vtique a Scythis tenebatur. Recolamus nunc ex Herodoto, qui mores Neurorum maxime, quae ſtudia praeſtigiarum illo in populo fuerint, eaque conferamus cum Voenis Snorronis, 7) aut cum his Fennis, qui nunc ſunt. Ne λυκανθρώπους quidem Neurorum obliuioni traditos reperiemus. Quare hi mihi cum Budinis et Gelonis Voenorum populus fuiſſe videntur, ſiue Fennorum. Fennos autem paullo poſt hanc aetatem, Romanis referentibus et cum primis Cornelio Tacito; ad Viſtulam totaque in Polonia vagantes reperimus, neque alii nunc mihi videntur Aeſtii fuiſſe in Pruſſia et Curonia, *orientales* dicti Germanis Balthici maris accolis, commodo ad ſitum vocabulo. Cum Getis autem Othinus videtur reliquam migrationem confeciſſe. Eſt deinde in Othini nomine aliquid, quod, cum Budinos praeſtigiatores cogito, non puto penitus eſſe diſſimulandum. Ab Adamo Bremenſi et Varnefrido et in Genealogia veteri, quam Schefferus in Vpſalia produxit, Othinus vocatur *Wodan*. Ita paſſim ſcriptoribus, Germanicis praeſertim, *Voden*, *Vodan* et *Vodin*. Eggehardus Vragienſis ad A. C. 943. praedium Lutarii Comitis *Wodeneswego* commemorat, tamquam *Wodeni viam* dicas, iuxta *Sundersleuo*, oppidum. Si *Wodin* pronuncies, tum maxime iſthuc Βουδῖνος ſeu *Vudinos* (vt veteres Graeci dicebant) auditur, nomen populi Budini. Fuere alii Budini trans Tanaim in Aſia ad Caucaſum, qui cum fere notiores ſint in iis ſcriptoribus, quorum ſecundum Herodotum monumenta exſtant, facile fallere potuerunt eruditos Noruagos et Islandos, illum praeſertim Polyhiſtorem, vt cum de Budinis fama exſtaret, non de his ad Boryſthenem, ſed de aliis ad Tanaim et Caucaſum cogitarint. Ceterum Getas, quorum ducem Othinum fuiſſe autumo, etiam alia tenuis fama indicat, cum de Thracibus admiſcetur, vt dicam poſtea. Praeterea hoc

 velim,

7) t. I. p. 3. ſeq.

velim, vt quis in Strabone animaduertat, quanta Getici nominis ante eum potentia fuerit, quam exiles autem postea vires exstiterint: 8) Αὐξηθέντες δ' οὖν ἐπιπλεῖσον οἵ τε Γέται, οἵ τε Δάκοι, ὥςε εἴκοσι μυριάδων ἐκπέμπειν ςρατείαν, νῦν ὅσον εἰς τέτταρας μυριάδας συνεςαλμένοι τυγχάνουσι, καὶ ἐγγὺς μὲν ἤκουσι τοῦ ὑπακούειν τοῖς Ρωμαίοις. *Cum autem Getae et Daci vehementer aucti essent, vt exercitum ad ducenta millia educerent, nunc ad quadraginta fere millia redacti sunt, et prope abest, vt Romanis se subiiciant.* Quam ob rem non est absurdum statuere, maximam Getarum partem cum Othino emigrasse. Denique vt Snorro indicat, habitum praestigiis honorem fuisse in Othini populo, tamen illis in rebus superiores et quasi magistros exstitisse Voenos, sic Strabo 9) apud Getas, ἄνδρα γόητα, qui ex Aegypto diuinationes repetierat suas, hoc est, a populo alio, quam Getico, commemorat, cuius artibus Βοιρεβίςας princeps Getarum vsus, rempublicam eam formauerit. Et vt Othino istae praestigiae diuinitatis opinionem conciliarunt, ita Geticus populus ad honorem illum praestigiis deferendum procliuis in hoc vel Decaeneo vel Ceneo fuit Strabo: 10) Προσημασίας ἐκμεμαθηκώς τινας, δι' ὧν ὑπεκρίνατο τὰ θεῖα, δι' ὀλίγου καθίςατο θεός. *Diuinationes quasdam edoctus, per quas deorum responsa dabat, parum abfuit quin fieret deus.* Sed alio in loco: 11) Ὁ παρὰ τοῖς Γέταις θεὸς, τὸ μὲν παλαιὸν Ζαμόλξις Πυθαγορικός τις, καθ' ἡμᾶς δὲ, ὁ τῷ Βυρεβίςᾳ θεσπίζων Δεκαίνεος. *Deus apud Getas, olim quidem Zamolxes ille Pythagoraeus, nostra vero memoria Decaeneus, qui Byrebistae vaticinatur.* Aetas hominis nos admonet, hunc Decaeneum fortassis ipsum illum Othinum fuisse, qui, Voerebista rege occiso, populo autem Getico dissidiis distracto, migrationem eam susceperit.

Exposui sententiam, quae de aetate Othini communior in septemtrione fuit, inque ea, quae vana essent, anni-

8) p. 211. 9) p. 210. 10) p. 210. 11) p. 524.

Digitized by Google

annisus sum expurgare, quae similia vero, confirmare. Alia praeter hanc in prologo Eddae proposita est. Ostendi iam supra, quod Verelii de prologo isto iudicium fuerit. Neque eo minus illustris Stiernhielmus succensuit 2) his prologi:

ἱπαλεκτρύοσι, γρυπαέτοις, τραγελάφοις,

A ἐν τοῖσι παραπετάσμασι τοῖς Μηδικοῖς γεάφουσι.

Tamen multi fuerunt, qui pleraque, vti veterem famam, reciperent. Itaque operae pretium est, vt arcana huius adyti patefaciamus. Adparebit enim, quibus *fornum bokum*, *libris antiquis*, vt Hervarae auctor loquitur, vsi fuerint septemtrionales, quantumque cauendum sit, ne eruditula commenta amplexemur, pro vetusta Scandinavicarum gentium fama. Nam ille prologi auctor Othinum Pompeii aetate fuisse scribit, eundem vero vicesimum a Priamo Troiano recenset. Nimirum ex duabus sententiis hic corrector fecit vnam. Si cuique patrum eius annos triginta dederis, erit summa in Othino collecta sexcentorum annorum. Et, si Troia capta sit A. P. I. 3530. vt optimus quisque Chronologorum censet, illa summa adiecta, Othinus A. P. I. 4130. annorum fuerit triginta: hoc autem ab eo Othino, de quo diximus, interuallum est annorum amplius quingentorum. Biornus Ionae Skardsaeensis, *maximus inter Islandos antiquarius*, vt eum Stephanus Olai ad Vaticinium Volae appellat, in commentariis ad Voluspam, ex Saemundi Oddensis annalibus Odinum Priscum refert ad annum a Troia capta 667. hoc est, ad A. P. I. 4197. Eum et producit et reprehendit Thormodus Torfaeus doctissimus aeque Islandus, tamquam alicuius Islandi commenta pro Saemundi rationibus sequentem: ipse autem ita sentit, vt in calculo annorum, annis in singulos distribuendis XXXV. ad A. P. I. 4230. excedat. 3) *Si*, inquit, *con-*

2) Vide notas Verelianas ad *Hervarar Saga* p. 5. seq.
3) In serie regum Daniae p. 129. In Historia Noruegica Parte I. p. 138.

Digitized by Google

iecturis locus esset, suspicari liceret, cum Thraces Dario Hystaspi circa haec tempora se dediderunt, regem eorum ab Thore Memnonis filio oriundum metu seruitutis in Scandinauiam concessisse. Enimuero hic annus Torfaei iam in Xerxem regem congruit, non in Darium. Genealogiam regis Thracici a Thore Memnonis filio non huius facimus, neque cetera moramur. Nam mythologus aliquis Noruagus hic videtur in Herodoto Budinorum migrationem in alteram Borysthenis ripam respexisse, quam ad A. P. I. 4168. contigisse, in Chronologia Scythica diximus: a quo anno Biorni calculus propius abest, quam noster. Non, quod iam tum Budinus aliquis, aut ille Othinus Priscus fuerit, aut quod emigratum sit in septemtrionem, sed quod in nomine Budinorum offendentes mythologi, porta eburnea insomnium vigilantes admiserint. Et sunt in Herodoto alia, quae aucupati videntur fuisse. Credo ego, cum de Arimaspis legissent, ex eo talem sibi suum Othinum finxisse. Saxo Grammaticus: 4)

Vulgo dicitur Othin

Armipotens, uno semper contentus ocello.

Edda Snorronis, mythologia decima quarta fabulatur, Othinum, cum e fonte Mimi sapientiam bibere vellet, Mimero fontis domino oculum oppignorasse, vnde in vaticinio Volae: 5)

Omnino noui, Odine, vbi oculum abdidisti,

In recenti illo fonte Mimeri.

Saxo Grammaticus iterum ait: 6) *Odinum orbum oculo, bispido amiculo circumactum, bellorum vsum calluisse.* Totidem verbis ille Aristeas Proconnesius de Arimaspis:

Ὀφθαλμὸν δ' ἓν ἕκαστος ἔχει χαρίεντι μετώπῳ,

Χαίτῃσι λάσιοι, πάντων ϛιβαρώτατοι ἀνδρῶν.

Oculum

4) p. 32. 5) v. 31. 6) p. 39.

Digitized by Google

Oculum vnum habent in fronte,

Hirsuti capillos, omnium fortissimi hominum.

Deinde quae mythologi habent de *Sif* muliere, (quam propter vnius congruentiam syllabae, pro reliqua facilitate sua *Sibyllam* interpretantur) ea sunt ex Herodoti illo loco surrepta, vbi de Hercule et virgine semidracone. Sed quid ceteris de Tyra fabulis atque isti genealogiae Thracicae in prologo Eddae faciemus? Admiscet mythologus *nigri Memnonis arma*, tamquam ille Troam Priami filiam duxerit atque ex ea genuerit Tyren. Hoc est eiusmodi, vt illud alterum, Priamum fuisse Odinum et a Frygga coniuge eius Phrygiam regionem appellationem habuisse. Multa quidem in Aurorae filio Memnone Graeculi post Homerum sibi permisere, omnes tamen eum Aethiopibus et Indis praeficiunt, filiam autem Priami elocare eidem ausus est nemo. Constantinus Manasses, 7) vbi Παντάνιν Indum Priamo subsidia misisse per Memnona canit, de exercitu eius ita fatus est:

Ὁ δὲ στρατὸς ἦσαν Ινδοὶ, πάντες μελανοχρῶτες.

Adeo, in quibus lusit Homerus, in iis posteritas seriam confectata historiam, noua quotidie excudit, quasi sublevatura poetae fidem. Qui autem poterant auctori prologi, Priami ista γενεαλογούμενα in mentem venire? Potest fieri, vt aliquid ex veteri fama de Thracibus Getarum populo cognatis vicinisque percrebuerit. In Fastis Siculis ex Semironio Babylonio refertur, 8) quod post Ninum in Assyriis regnauerit Θουῤῥᾶς ὀνόματι, ὅντινα μετωνόμασεν ὁ τούτου πατὴρ Ζάμης τῆς Ῥέας ἀδελφὰς, Αρεα, εἰς ὄνομα τοῦ πλάνητος ἀστέρος, *Thurras, cui ipsius Thurrae pater, Rheae frater, nomen Martis imposuit, a planeta.* Hunc deinde Thurram, ait, expeditione suscepta versus boream, Caucasum quendam ex

 stirpe

7) p. 28. ed. Paris. 8) p. 88. ed. Raderi.

Digitized by Google

ſtirpe Iapeti bello aggreſſum, denique in Thracia obiiſſe. Eſt ſane illa tenuis memoria Tyrae Thracum parentis, de quo Samuel Bochartus in Phalego, quantum ſatis eſt, egit. Hic eſt *Thor* in mythologiis ſeptemtrionalibus, a quo videtur *Tyr* in Edda Snorronis 9) diſtingui, at in prologo confunduntur nomina. *Tyr* in ſeptemtrionalibus linguis *magnum quemque virum* ſignificat, et in compoſitis augendi vim habet, vt Georgius Hickeſius animadvertit. 10) Credo eandem vim vocis apud Sarmatas obtinuiſſe. Nam Lucianus in Toxari teſtatur, ſi quis praelio ſuperatus *ζίφιν* exclamarit, eius vitae Sarmatas pepercisſe, veluti *ἐπὶ λύτρου ἥκοντος*, hoc eſt, veluti qui diceret, vt ille in Rhapſodia Dolon:

Ζωγρεῖτ', αὐτὰρ ἐγὼν ἐμὲ λύσομαι.

Heſychius: *τυρωθέντα, τὸν ταραχθέντα, κινηθέντα.* Sed vtcumque inter Thracas vicinosque Getas et Scythas Sarmatasque celebre hoc Tyrae nomen fuerit, tamen ipſo in prologo Eddae nihil aliud, quam hoc nomen arreptum aliunde ſentio. Thraces vero, quos genealogiae Priami immiſceri videmus, non ſunt Europaei, ſed Aſiatici. Acceperat igitur mythologus, Thracas cum Rhaeſo ſuo Troianis rebus ab Homero adſpergi. Hi ſunt illi Thraces, quos Herodotus 1) cum Phrygia in Aſia poſuit. Euſtathius ad Dionyſium Periegeten 2) de his Thracibus: *Καλούμενοι δέ ποτε Βρίγες, εἶτα μεταβάντες εἰς Ασίαν μετέπεσον εἰς τὸ Φρύγων ὄνομα.* *Dicti Briges, atque cum in Aſiam traiecisſent, mutato nomine Phryges.* Iſta migratio, ſi qua fuit, tam vetuſta eſt, quam Dardanus. Nam is, vt Euſtathius alio loco, 3) in cataclyſmo ex Samothracia nauigaſſe dicitur in Aſiam, *εἰς τοὺς Τρωϊκοὺς τόπους.*

9) Conf. in Edda mythol. 19. et 23. 10) In Theſauro linguarum ſeptemtrionalium T. I. in Grammatica Moeſo-Gothica p. 102. It. p. 18. et Rudolphus Ionas in Lexico Islandico voce *Tyr*. Eddae mythologia 23. 1) l. III. c. 90. 2) ad v. 323. 3) ad v. 524.

Digitized by Google

τόπους. Macedones item referebant Herodoto, 4) Briges finitimos Macedoniae agros tenuisse, transgressos in Asiam dictos fuisse Phryges. Hos Thracas Xenophon quoque ab Cyri expeditione rediens reperit. Brigum autem nomen Hesychius nobis explicat ex Iuba: Βρίγα λέγεσθαι ἐλεύθερον, Lydia lingua: quod nostrum videtur esse *Frey*, *fry*, *liber*, *sui iuris*, est enim hoc simile iis vocibus, quas Plato ex Phrygiis in Cratylo recensuit, quasue nos etiam hodie in linguis nostris agnoscimus. Mythologus autem ista quidem ignorauit: quae in mentem temere venerunt, ea sic posuit, vt historia eius Horatianae tabulae esset

Persimilis, cuius, velut aegri somnia, vanae
Finguntur species, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formae.

Sed sunt ex Graecis, qui in Homero Thracas Europaeos interpretentur; quare minora scholia 5) non patiuntur Rhaesum Eionis esse filium, vt Homerus cecinerat, sed Strymonis edunt fuisse; nam is fluuius in Thracia Europaea erat. Deinde alii Thracas ab Ilio duxerunt in Europam, eo maxime argumento, quod hic quoque reperiebant Dardanos. Appianus in Illyricis Graecis Hoeschelianis: 6) ὑλώδης δ' ἔστιν ἡ Παιόνων χώρα ἐπιμήκης ἐξ Ἰαπόδων ἐπὶ Δαρδάνους, *vliginosa est Paeonum regio et a Iapodibus ad Dardanos protenta*. Paeones autem ipsi de Iliacis originibus gloriabantur. 7) Itaque fieri potest, vt in vetusta

4) l. VII. c. 73. 5) Il. K. v. 435. 6) p. 11. Imperite vetus interpres, vt solet: „Paeones natio „ingens circa Istrum per longum incolens, ab Iapo„dum populis supra Dardanos protenditur." 7) Herodotus l. V. c. 13.

Digitized by Google

Othini fama de Thracibus Europaeis aliqua memoria conseruata fuerit, quae deinde ex Homericis fabulis aliisque Graeculorum figmentis sit foedata. Nam ipsum Getarum nomen ad extremum in Othini fabula reperimus, vbi de morte eius Snorro: [8] *Morti vicinus perhibuit, Godheim sibi petendum esse, vt amicos suos ibi exhilarare posset. Godheim* Peringskiöldus *deorum sedes* reddit, inuito vtique Snorrone, qui paullo ante dixerat: *Hanc Svithiod* (Sueciam) *vocarunt Mannheima, sed alterum Miklo Svithiod* (magnam Sueciam siue Scythiam) *appellarunt Godheima: de hoc Godheim multa exstant memoriae prodita.*

Postquam Othinum ab Istro et Borysthene deduximus, non opus est, vt totum illius iter in Saxoniam, Daniam, Suediam ex Snorrone persequamur. Nam satis nunc est, quod memoriam conuersionum iis in regionibus, quas tractandas suscepi, recoluimus. Ceterum non displicet mihi Olai Verelii sententia, cum de Othino sic ait: [9] *Fuit hic Odinus per orbem arctoum longe celeberrimus, non tam illustribus facinoribus, quam praestigiis et artibus magicis.*

Coniectura de nomine Baltbici maris.

Matthaeus Praetorius in Orbe Gothico Balthicum mare ab *albis littoribus* dictum censuit. Pruteni enim littorales, quoad linguae Prussicae, quae nunc plane est extincta, vsus obtinuit, *Baltikkai* appellati sunt, id est, *albae*

8) p. 11. 9) In indice ad *Herrauds Saga* voce *Sowar Odins.*

Digitized by Google

albae terrae incolae, a *baltikkas*, quod *album* significabat. Est autem hoc vocabulum etiam Litthuanicum. *Baltas*, *baltinu*, *dealbare*, *balkſtu*, *ſubcandidum eſſe*, *baltis* et *balties*, *ceruſſa*, *baltis*, *baltimas*, *albugo*, *baltulis* et *baltinelis*, *candidum*. Vendice, *biola*. Eſthonice, *walge*, Fennice, *walckia*, Ruſſice, *bielo*. Quemadmodum littorales Pruſſi lingua ſua *Baltikkei* dicti fuerunt, ita inuenio, Ordinis Teutonici Equites iuſſos iſthuc, in quod ſuccina eiiciuntur, *Wittland*, id eſt, *albam terram* appellaſſe. Vidi duo diplomata Hannonis Sangeruſani, ex quibus hoc didici. Vnum hic adponam:

Frater Anno Hoſpitalis S. Mariae Theut. Hieroſolym. Magiſter vniuerſi praeſens ſcriptum viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Recognoſcimus et tenore praeſentium proteſtamur, quod, cum nos et Fratres noſtri, quandam munitionem, vt ſecurus pateat introitus et exitus nauibus ad terras Pruſſiae applicantibus, in loco, qui Wittlandes-ort vulgariter appellatur, conſtruere intendimus: qui ſiquidem locus, pro tertia parte Venerabilem Dominum Epiſcopum Sambienſem et pro duabus partibus nos contigit, idem Epiſcopus, vt dicta munitio a nobis ac noſtris Fratribus in Chriſtianitatis ſubſidium conſtruenda felicem ac proſperum aſſequeretur effectum, eam dicti loci partem, qui ipſum in longitudinem et latitudinem vsque ad nemus adiacens contingit, nobis Fratribus ac Ordini noſtro cum vtilitate, iurisdictione et iure in veram proprietatem contulit ac donauit perpetuo libere poſſidendam. Nos vero de Fratrum noſtrorum conſilio dicti Epiſcopi grato occurrentes aſſenſui, tres manſos et praeterea tantum terrae ſpatium in longitudine et latitudine, quantum nobis, Fratribus noſtris ac Ordini, dicto loco, ſcilicet Witteslandes-ort, vt praemiſſum

Digitized by Google

missum est, contulit ac donauit, praefato Episcopo suisque successoribus cum omni vtilitate, iurisdictione et iure in veram proprietatem pro restauro conferimus et donamus in eo loco, quo dictus Episcopus Cathedralem suam sedem decreuit collocare. Praeterea hoc adicimus (adiicimus) *supra dictis, quod, si in dicto loco, videlicet Wittlandes-ort, contigeris inuenire lapides, qui Burnstein* (succinum) *vulgariter appellantur, dictorum lapidum duae partes nobis ac Fratribus nostris et pars tertia tedet Episcopo memorato. Et si necesse fuerit expensas haberi in collectione seu conquisitione lapidum praedictorum, nos et Fratres nostri ipsas pro duabus partibus faciemus et saepedictus Episcopus pro tertia parte sua, tertiam partem faciet et per sacrum. In huius itaque rei testimonium, sigillum nostrum est appensum. Datum anno Domini 1264. mense Iulii.*

FASTI

Digitized by Google

FASTI ACHAICI.

A. P. I.	A. V. C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4431	471	P. Cornelius Dolabella Cn. Domitius Calvinus	CXXIV. $\frac{1}{2}$			
4432	472	C. Fabricius Luscinus Q. Aemilius Pappus	$\frac{2}{3}$			
4433	473	L. Aemilius Barbula Q. Marcius Philippus	$\frac{3}{4}$			
4434	474	P. Valerius Laevinus T. Coruncianus Nepos	CXXV. $\frac{4}{1}$	1	*His XXV. annis unus*	Sub verem huius anni Pyrrhus rex in Italiam traiecit. Vide infra *Fastos illustratos* c. I. 6. Dymaei, Patrenses, Tritaeenses, Pharaeenses Achaicam rempublicam eodem

A.P.I.

A. P. I	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4435	475	P. Sulpicius Saverio P. Decius Mus	$\frac{1}{2}$	2	Γραμματεὺς seu Scriba et Στρατηγοὶ seu Praetores duo,	vere condunt. c. I. 6. 7.
4436	476	C. Fabricius Luscinus II. Q. Aemilius Pappus II.	$\frac{2}{3}$	3		
4437	477	P. Cornelius Rufinus II. C. Iunius Brutus II.	$\frac{3}{4}$	4		
4438	478	Q. Fabius Gurges II. C. Genucius Clepsina	CXXVI. $\frac{4}{1}$	5		
4439	479	M. Curius Dentatus III. L. Cornelius Lentulus	$\frac{1}{2}$	6		
4440	480	Ser. Cornelius Merenda M'. Curius Dentatus	$\frac{2}{3}$	7		
4441	481	C. Fabricius Luscinus IV. C. Claudius Canina	$\frac{3}{4}$	8		
4442	482	L. Papirius Cursor II. Sp. Carvilius Maximus II.	CXXVII. $\frac{4}{1}$	9		
4443	483	C. Quinctius Gulo Claudus L. Genucius Clepsina	$\frac{1}{2}$	10		

A.P.I.

Digitized by Google

A. P. I.	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.
4444	484	C. Genucius Clepsina II. Cn. Cornelius Blasio	2/3	11	
4445	485	C. Fabius Maximus Pictor Q. Ogulnius Gallus	3/4	12	
4446	486	P. Sempronius Sophus App. Claudius Crassus	CXXVIII. 4/1	13	quotannis lecti, rebus praefuerunt.
4447	487	A. Atilius Regulus L. Iunius Libo	1/2	14	
4448	488	T. Iunius Pera N. Fabius Pictor	2/3	15	
4449	489	Q. Fabius Maximus Gurges III. L. Mamilius Vitulus	3/4	16	
4450	490	App. Claudius Caudex M. Fuluius Flaccus	CXXIX. 4/1	17	
4451	491	M'. Valerius Maximus M'. Otacilius Crassus	1/2	18	
4452	492	L. Postumius Megillus Q. Mamilius Vitulus	2/3	19	
4453	493	L. Valerius Flaccus T. Otacilius Crassus	3/4	20	

Digitized by Google

A. P. I.	A. V. C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4454	494	Cn. Cornelius Scipio Asina C. Duilius Nepos	CXXX. 4/1	21		
4455	495	C. Aquilius Florus L. Cornelius Scipio	1/2	22		
4456	496	A. Atilius Calatinus P. Sulpicius Paterculus	2/3	23		
4457	497	Cn. Cornelius Blasio C. Atilius Regulus	3/4	24		
4458	498	M. Atilius Regulus II. L. Manlius Vulso Longus	CXXXI. 4/1	25		
4459	499	M. Aemilius Paullus Ser. Fulvius Nobilior	1/2	26	1	MARCVS Carynensis vnus vnius anni praetor, c. I. 7.
4460	500	Cn. Cornelius Asina II. A. Atilius Calatinus II.	2/3	27	2	His annis e Dymaeorum, Tritaeensium et aliarum vrbium ciuibus praetores lecti. c. II. 1.
4461	501	Cn. Seruilius Caepio C. Sempronius Blaesus	3/4	28	3	
4462	502	C. Aurelius Cotta P. Seruilius Geminus	CXXXII. 4/1	29	4	

Digitized by Google

A. P. I.	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4463	503	L. Caecilius Metellus C. Furius Pacilius	1/2	30	5	MARCVS Carynensis. c. II. 1. Sicyonii, pulso Cal. Iuniis Nicocle tyranno, accedunt corpori Achaico.
4464	504	C. Atilius Regulus II. L. Manlius Vulso	2/3	31	6	
4465	505	P. Claudius Pulcher L. Iunius Pullus	3/4	32	7	c. II. 1. Aegienses, Burii, Carynenses accedunt corpori Achaico.
4466	506	P. Seruilius Geminus II. C. Aurelius Cotta II.	CXXXIII. 4/1	33	8	
4467	507	L. Caecilius Metellus II. M. Fabius Buteo	1/2	34	9	c. I. 8. c. II. 1.
4468	508	M. Fabius Licinus M'. Otacilius Crassus II.	2/3	35	10	
4469	509	M. Fabius Buteo II. C. Atilius Balbus	3/4	36	11	ARATVS Sicyonius I. c. II. 3.
4470	510	A. Manlius Torquatus C. Sempronius Blaesus II.	CXXXIV. 4/1	37	12	
4471	511	C. Fundanius Fundulus C. Sulpicius Gallus	1/2	38	13	ARATVS II. c. II. 2. Corinthii, Epidaurii,

Digitized by Google

A. P. I.	A. V. C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
						Troezenii, Megarenſes, acceſſere Achaeis. c. II. 2.
4472	512	C. Lutatius Catulus A. Poſtumius Albinus	2/3	39	14	ARATVS III. c. I. c. II. 7. Cleonis Nemea celebrat praetor. c. II. 7.
4473	513	Q. Lutatius Catulus Cerco A. Manlius Torquatus II.	3/4	40	15	
4474	514	C. Claudius Cento M. Sempronius Tuditanus	CXXXV. 4/1	41	16	ARATVS IV. c. II. 7. Bellum Aetolicum. c. II. 7. 8.
4475	515	C. Mamilius Turrinus Q. Valerius Flaccus	1/2	42	17	ARATVS V. c. II. 7. 8.
4476	516	Ti. Sempronius Gracchus P. Valerius Falto	2/3	43	18	ARATVS VI. c. II. 7. 8.
4477	517	L. Cornelius Lentulus Q. Fuluius Flaccus	3/4	44	19	ARATVS VII. c. II. 8. Ariſtippus tyrannus oppreſſus. c. II. 8.
4478	518	C. Licinius Varus P. Cornelius Lentulus	CXXXVI. 4/1	45	20	DIOETAS c. II. 8. Megalo-

Digitized by Google

A. P. I.	A. V. C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
						polis Achaeis tradita a Lysiade tyranno. c. II. 7.
4479	519	C. Atilius Balbus II. T. Manlius Torquatus	1/2	46	21	ARATVS VIII. c. II. 6.
4480	520	L. Postumius Albinus Sp. Caruilius Maximus	2/3	47	22	LYSIADES Megalopolitanus I. c. II. 6.
4481	521	Q. Fabius Maximus M'. Pomponius Matho	3/4	48	23	ARATVS IX. c. II. 6.
4482	522	M. Aemilius Lepidus M. Poblicius Malleolus	CXXXVII. 4/1	49	24	LYSIADES II. c. II. 6.
4483	523	M. Pomponius Matho II. C. Papirius Maso	1/2	50	25	ARATVS X. c. II. 6.
4484	524	M. Aemilius Barbula M. Iunius Pera	2/3	51	26	MARCVS Carynensis. Vincitur bello nauali cum Illyriis et naue mersa perit. c. II. 6.

Digitized by Google

A.P.I.	A.V.C	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4485	525	L. Postumius Albinus Cn. Fuluius Centumalus	$\frac{3}{4}$	52	27	LYSIADES III. c. II. 5. 6. Athenae Achaeorum factae per deditionem.
4486	526	Q. Fabius Maximus II. S. Caruilius Maximus	CXXXVIII. $\frac{4}{1}$	53	28	ARATVS XI. c. II. 5.
4487	527	P. Valerius Flaccus M. Atilius Regulus	$\frac{1}{2}$	54	29	ARISTOMACHVS Argiuus. c. II. 5. Simultates cum Cleomene Spartanorum tyranno susceptae.
4488	528	M. Valerius Messala L. Apustius Fullo	$\frac{2}{3}$	55	30	ARATVS XII. c. II. 5. Clades Achaeorum ad Lycaeon, Manginea occupata, ad Megalopolin res male,

Digitized by Google

A. P. I.	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
						ad Orchomenium bene gestæ.
4489	529	L. Aemilius Papus C. Atilius Regulus	¾	56	31	TIMOXENVS. c. II. 5.
4490	530	Q. Fulvius Flaccus II. T. Manlius Torquatus	CXXXIX. 4/1	57	32	HYPERBATES. c. II. 5. Clades Achaeorum ad Hecatombaeon accepta.
4491	531	C. Flaminius Nepos P. Furius Philo	½	58	33	ARATVS XIII. c. II. 5. Bellum Cleomenicum paullo ante hunc praetorem hieme coepit.
4492	532	M. Claudius Marcellus Cn. Cornelius Scipio II.	¾	59	34	TIMOXENVS. c. II. 5, 9. Cleomenes victus fugatusque, Sparta capta.

Digitized by Google

A. P. I	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4493	533	P. Cornelius Asina M. Minucius Rufus	$\frac{3}{4}$	60	35	ARATVS XIV. c. II. 9. Clades Achaeorum ad Caphyas. Sociale bellum in Aetolos decernitur. c. II. 9.
4494	534	L. Veturius Philo C. Lutatius Catulus	CXL. $\frac{4}{1}$	61	36	ARATVS minor, Arati, praetoris filius. c. II. 9. Bellum sociale gestum.
4495	535	M. Liuius Salinator L. Aemilius Paullus	$\frac{1}{2}$	62	37	EPERATVS Pharaeensis. c. II. 9.
4496	536	P. Cornelius Scipio Ti. Sempronius Longus	$\frac{3}{3}$	63	38	ARATVS XV. c. II. 9. Pax cum Aetolis.
4497	537	C. Flaminius Nepos II. Cn. Seruilius Geminus	$\frac{3}{4}$	64	39	
4498	538	C. Terentius Varro L. Aemilius Paullus II.	CXLI. $\frac{4}{1}$	65	40	

Digitized by Google

A. P. I.	A.V.C.	Cos.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4499	539	Ti. Sempronius Gracchus Q. Fabius Maximus III.	1/2	66	41	
4500	540	Q. Fabius Maximus IV. M. Claudius Marcellus	2/3	67	42	
4501	541	Q. Fabius Verrucosi F. Maximus Ti. Sempronius Gracchus	3/4	68	43	ARATVS XVI. c. II. 4. Philippus rex Messenios adfligit. c. II. 4.
4502	542	App. Claudius Pulcher Q. Fuluius Flaccus III.	CXLII. 4/1	69	44	ARATVS XVII. c. II. 4. Veneno perit.
4503	543	P. Sulpicius Galba C. Fuluius Centumalus	1/2	70	45	EVRYLEON. c. III. 2.
4504	544	M. Claudius Marcellus M. Valerius Laevinus II.	2/3	71	46	CYCLIADES. c. III. 2. Aetoli et Elei ad Larisam cum Achaeis praelium committunt.
4505	545	Q. Fabius Maximus V. Q. Fuluius Flaccus IV.	3/4	72	47	
4506	546	M. Claudius Marcellus	CXLIII. 4/1	73	48	NICEAS. c. III. 2.

Digitized by Google

A. P. I.	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
		T. Quinctius Crispinus				
4507	547	M. Liuius Salinator II.	I/2	74	49	PHILOPOEMEN Megalopolitanus I. c. III. 2. Ad Mantineam victi Spartani.
		C. Claudius Nero				
4508	548	Q. Caecilius Metellus	2/2	75	50	PHILOPOEMEN II. c. III. 2.
		L. Veturius Philo				
4509	549	P. Cornelius Scipio	3/4	76	51	ARISTAENETVS Diaeus. c. III. 2.
		L. Licinius Crassus				
4510	550	M. Cornelius Cethegus	CXLIV. 4/1	77	52	
		P. Sempronius Tuditanus				
4511	551	Cn. Seruilius Caepio	1/2	78	53	
		C. Seruilius Geminus				
4512	552	Ti. Claudius Nero	2/2	79	54	LYSIPPVS c. III. 3.
		M. Seruilius Geminus				
4513	553	Cn. Cornelius Lentulus	3/4	80	55	PHILOPOEMEN III. c. III. 3.
		P. Aelius Paetus				

Digitized by Google

A. P. I.	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4514	554	P. Sulpicius Galba C. Aurelius Cotta	CXLV. $\frac{4}{1}$	81	56	CYCLIADES. c. III. 4.
4515	555	L. Cornelius Lentulus P. Villius Tappulus	$\frac{1}{2}$	82	57	ARISTAENVS Megalopolitanus. c. III. 4.
4516	556	Sex. Aelius Paetus Catus T. Quinctius Flamininus	$\frac{2}{3}$	83	58	NICOSTRATVS. c. III. 4.
4517	557	G. Cornelius Cethegus Q. Minucius Rufus	$\frac{3}{4}$	84	59	ARISTAENVS. c. III. 4.
4518	558	L. Furius Purpureo M. Claudius Marcellus	CXLVI. $\frac{4}{1}$	85	60	
4519	559	M. Porcius Cato L. Valerius Flaccus	$\frac{1}{2}$	86	61	ARISTAENVS II. c. III. 4.
4520	560	P. Cornelius Scipio Africanus II. P. Sempronius Longus	$\frac{2}{3}$	87	62	
4521	561	L. Cornelius Merula Q. Minucius Thermus	$\frac{3}{4}$	88	63	
4522	562	L. Quinctius Flamininus Cn. Domitius Aheno barbus	CXLVII. $\frac{4}{1}$	89	64	PHILOPOEMEN IV. c. III. 5.

Digitized by Google

A. P. I.	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4523	563	P. Cornelius Scipio Nasica M'. Acilius Glabrio	I/2	90	65	DOPHANES. c. III. 5.
4524	564	L. Cornelius Scipio C. Laelius	2/3	91	66	
4525	565	Cn. Manlius Vulso M. Fulvius Nobilior	3/4	92	67	PHILOPOEMEN V. c. III. 6.
4526	566	M. Livius Salinator M. Valerius Messala	CXLVIII. 4/1	93	68	PHILOPOEMEN VI. c. III. 6.
4527	567	M. Aemilius Lepidus C. Flaminius Nepos	1/2	94	69	PHILOPOEMEN VII. c. III. 7.
4528	568	Sp. Postumius Albinus Q. Marcius Philippus	2/3	95	70	
4529	569	Ap. Claudius Pulcher M. Sempronius Tuditanus	3/4	96	71	ARISTAENVS. c. III. 7.
4530	570	P. Claudius Pulcher L. Porcius Licinius	CXLIX. 4/1	97	72	LYCORTAS. c. III. 7.
4531	571	Q. Fabius Labeo M. Claudius Marcellus	1/2	98	73	PHILOPOEMEN VIII. a Messeniis capitur et veneno

Digitized by Google

A. P. I.	A. V. C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic	Praet.	
						necatur. c. III. 1. 7. LYCORTAS suffectus. c. III. 1.
4532	572	L. Aemilius Paullus Cn. Baebius Tamphilus	$\frac{2}{3}$	99	74	LYCORTAS. c. III. 1.
4533	573	P. Corn. Cethegus M. Baeb. Tamphil.	$\frac{3}{4}$	100	75	
4534	574	A. Postumius Albinus C. Calpurnius Piso	CL. $\frac{4}{1}$	101	76	LYCORTAS. c. IV. 1.
4535	575	Q. Fuluius Flaccus L. Manlius Acidinus	$\frac{1}{2}$	102	77	HYPERBATVS. c. IV. 1.
4536	576	M. Iunius Brutus A. Manlius Vulso	$\frac{2}{3}$	103	78	CALLICRATES Leontesius. c. IV. 1.
4537	577	C. Claudius Pulcher Ti. Sempronius Gracchus	$\frac{3}{4}$	104	79	
4538	578	Q. Petilius Spurinus Cn. Cornelius Scipio Hispalus	CLI. $\frac{4}{1}$	105	80	
4539	579	P. Mucius Scaevola M. Aemilius Lepidus II.	$\frac{1}{2}$	106	81	XENARCHVS. c. IV. 2.
4540	580	Sp. Postumius Albinus	$\frac{2}{3}$	107	82	

A. P. I.

Digitized by Google

A. P. I.	A. V. C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
		M. Mucius Scaevola				
4541	581	L. Postumius Albinus	3/4	108	83	
		M. Popilius Laenas				
4542	582	C. Popilius Laenas	CLII. 4/1	109	84	ARCHON c. IV. 2.
		P. Aelius Ligur				
4543	583	P. Licinius Crassus	1/2	110	85	XENON alteruter ex his annis praetor fuit. c. IV. 3.
		C. Cassius Longinus				
4544	584	A. Hostilius Mancinus	2/3	111	86	
		A. Atilius Serranus				
4545	585	Q. Marcius Philippus	3/4	112	87	ARCHON c. IV. 3.
		Q. Seruilius Caepio				
4546	586	L. Aemilius Paullus II.	CLIII. 4/1	113	88	
		C. Licinius Crassus				
4547	587	Q. Aelius Paetus	1/2	114	89	Mille Achaei et amplius Romani euocati ad causſam dicendam.
		M. Iunius Pennus				
4548	588	C. Sulpicius Gallus	2/3	115	90	CALLICRATES. c. IV. 4.
		M. Claudius Marcellus				

Digitized by Google

A. P. I.	A. V. C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.
4549	589	T. Manlius Torquatus Cn. Octauius Nepos	$\frac{3}{4}$	116	91
4550	590	A. Manlius Torquatus Q. Cassius Longinus	CLIV. $\frac{4}{1}$	117	92
4551	591	Ti. Sempronius Gracchus M'. Iuuencius Talna	$\frac{1}{2}$	118	93
4552	592	P. Cornelius Scipio Nasica C. Marcius Figulus	$\frac{2}{3}$	119	94
4553	593	M. Valerius Messala C. Fannius Strabo	$\frac{3}{4}$	120	95
4554	594	L. Anicius Gallus M. Cornelius Cethegus	CLV. $\frac{4}{1}$	121	96
4555	595	Cn. Cornelius Dolabella M. Fuluius Nobilior	$\frac{1}{4}$	122	97
4556	596	M. Aemilius Lepidus C. Popilius Laenas II.	$\frac{2}{3}$	123	98
4557	597	Sex. Iulius Caesar L. Aurelius Orestes	$\frac{3}{4}$	124	99

Digitized by Google

A. P. I.	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
4558	598	L. Cornelius Lentulus C. Marcius Figulus	CLVI. 4/1	125	100	
4559	599	P. Cornelius Scipio Nasica M. Claudius Marcellus II.	1/2	126	101	
4560	600	Q. Opimius Nepos L. Postumius Albinus	2/3	127	102	
4561	601	Q. Fuluius Nobilior T. Annius Luscus	3/4	128	103	
4562	602	M. Claudius Marcellus III. L. Valerius Flaccus	CLVII. 4/1	129	104	
4563	603	L. Licinius Lucullus A. Postumius Albinus	1/2	130	105	
4564	604	L. Quinctius Flamininus M'. Acilius Balbus	2/3	131	106	MENALCIDAS Spartanus. c. IV. 5.
4565	605	L. Marcius Censorinus L. Calpurnius Piso	3/4	132	107	DIAEVS Megalopolitanus c. IV. 5. Achaei e custodia a Roma.

A.P.I.

Digitized by Google

A. P. I.	A.V.C.	Coss.	Olymp.	A. Achaic.	Praet.	
						nis dimissi. c. IV. 4.
4566	606	Sp. Postumius Albinus L. Calpurnius Piso	CLVIII. $\frac{4}{4}$	133	108	DAMOCRITVS. c. IV. 5.
4567	607	P. Cornelius Scipio Africanus C. Liuius Drusus	$\frac{1}{2}$	134	109	DIAEVS. c. IV. 5.
4568	608	Cn. Cornelius Lentulus L. Mummius Achaicus	$\frac{2}{3}$	135	110	CRITOLAVS Cecidit in acie aduersus Romanos. c. IV. 5. DIAEVS suffectus. c. IV. 5. Corinthus deleta. c. IV. 5.
4569	609	Q. Fabius Maximus Aemilianus L. Hostilius Mancinus	$\frac{3}{4}$	136	111	
4570	610	Ser. Sulpicius Galba L. Aurelius Cotta	CLIX. $\frac{4}{4}$	137	112	

FASTI

Digitized by Google

FASTI ACHAICI ILLVSTRATI.

Caput Primum.

Initia reipublicae Achaicae.

Achaei magnum Homericis temporibus nomen, Spartam, Argos et omnem inferiorem Peloponnesum olim incoluerunt. Cum autem Heraclidae eos his agris expulissent, recepti sunt ab Ionibus, qui tunc inde a finibus Corinthi occiduum littus Peloponnesi tenebant, regionem ab ipso situ Aegialeum dictam, deinceps enim Ionia ab incolis nominata est. [1]) Rex tum erat Achaeorum Tisamenus Orestis filius. Inde coorto dissidio Iones ab Achaeis tota regione exterminati sunt. Pulsis Ionibus, sub regum potestate Achaei manserunt vsque ad Ogygum seu Gygem: vtrumque enim nomen apud Polybium exstat. [2]) Ogygi autem filiorumque eius impotentia exacerbati Achaei, sublata tyrannide, popularem statum induxerunt. Ex eo diuisum est Achaicum nomen in duodecim πόλεις, *ciuitates*, seu, vt alias iidem scriptores edunt, μέρη, *regiones*. Non tamen eaedem ciuitates semper recensitae sunt eo in numero, aliis deletis clade aliqua, aliis in Achaicum corpus illarum loco receptis. Herodotus 3) haec nomina suae aetatis ciuitatum edidit: *Pellenen*, *Aegiram*, *Aegas*, *Buram*, *Helicen*, *Aegium*, *Rhypes*, *Patrees*, *Pharees*, *Olenum*, *Dymen*, *Tritaeces*. Ταῦτα, inquit, δυώδεκα μέρεα νῦν Αχαιῶν ἐστι καὶ τότε γε Ιώνων ἦν.

Poly-

1) Strabo, Pausanias. 2) p. 178. 375. 3) l. I. c. 145.

Digitized by Google

Polybius 4) autem has libera in re publica ciuitates recenset: *Patras* (*Patrees* Herodoti), *Dymam*, *Pharas* (*Pharees* Herodoti), *Tritaeam* (*Tritaees* Herodoti), *Leontium*, *Aegiram*, *Pellenen*, *Aegium*, *Buram*, *Ceraunium*, *Olenum*, *Helicen*. Nullae tum Herodoti *Aegae* et *Rhypes*. Earum in loco succesſere *Leontium* et *Ceraunia*. Pauſanias tamen 5) nomina Achaicarum ciuitatum, vt fuere ſub regibus, paullo aliter edidit, quam Herodotus, vt nunc quidem in Pauſaniae exemplaribus eſt: *Dymam*, *Olenum*, *Pharas*, *Tritiam*, *Rhypes*, *Euſium*, *Cecyrinam*, *Buram*, *Helicen*, *Aegas*, *Aegiram*, *Pellenen*. Pro eo, quod eſt in Pauſania Εάσιον, Amaſaeus Θάσιον cenſuit legendum: at Sylburgius non abſurde pro Εάσιον ſcriptum a Pauſania putat Αἴγιον, vt in eo nihil ab Herodoto differat. Cecyrinam vero Pauſaniae idem Sylburgius recte cenſet, eiusdem Pauſaniae et Strabonis Κεφαυνίαν, aut potius, vt Pauſanias aliis in locis, Κερύνειαν eſſe: Καρύνειαν tamen malim, ex quo eſt Κάρυνεὺς Polybii. Haec ciuitas ex poſterioris memoria temporis irrepſit in catalogum Pauſaniae. Nam cum haec duodecim nomina ſint, tamen non multo poſt Pauſanias etiam Patras adſcribit, vt ſint tredecim ciuitates, inuito et repugnante ipſo Pauſania. Carynia loco mota, repoſitis Patris, emendato Eaſio, vt ſit Aegium, Herodotus et Pauſanias in nominibus concordant. Aegas et Rhypas cur praetermiſerit Polybius, Strabo declarat: 6) Aegam enim, ſeu alio nomine Aegas, non habitari tradit, agrum Aegienſium eſſe: Rhypes autem, Myſcelli illius patriam, qui Crotonem condidit, item eſſe nullas, agro inter Aegienſes et Pharienſes diuiſo. Et Pauſanias quoque tantum ruinas Rhyparum ſua aetate exſtitiſſe ait. Crotona a Myſcello condita eſt Olympiade XI. aut XII. 7) quod ſatis vetus tempus eſt florentiſſimae

4) p. 179. 5) p. 536. 6) Strabo p. 441. 442.
7) Strabo p. 291. eodem anno, quo Syracuſae. Vid. etiam Heraclidem in politiis Graecorum p. 2833. ed. Gronouii.

Digitized by Google

simae vrbis. Quaenis τῶν δυώδεκα μερίδων rursum in septem aut octo δήμους seu *populos* distribuebatur: τοσοῦτον, inquit Strabo, 8) εὐανδρεῖν τὴν χώραν συνέβαινεν. Inde vsque a libertate recuperata, nulla admodum re, nisi iustitiae et aequitatis laude celebrati sunt Achaei. Neque enim Persicis in bellis subsidia misere ad Thermopylas, aut ad Euboeam aut Salaminem. Sic Pausanias. 9) Quod autem addit, οὐδὲ σφᾶς κατάλογος συμμάχων ἔχει Λακωνικὸς ἢ Ἀττικὸς, id ad illa ipsa bella pertinet. Nam tametsi, vt idem testatur Pausanias, ad Plataeas subsidia misere Graecis aduersus Mardonium, tamen, quia non venerunt in tempore, in communi Graecorum donario, quod Olympiae dedicatum est, Achaeorum nomen ceteris sociis non fuit adscriptum. Bello Peloponnesiaco, vt vel e Thucydide constat, Athenienſibus fauerunt, nullo admodum insigni motu rerum. Quare oraculum, vt supra posui, perquam ignominiose tractauit Aegienses, vt Achaeorum longe vilissimos. Ast vbi Helice terrae motu concussa (id autem accidit Olympiadis CI. 4. vt supra declarani) Aegium agri Helicensis accessione auctum, caput extulit, 10) iam inde dignitate et opibus longe inter ceteras vrbes maximis fuit. Id accidit duobus ante Leuctricam pugnam annis. Postquam ea in pugna fractae sunt Lacedaemoniorum vires, Arcades autem et Messenii contra eos arma cepere, Thebani a Macedonibus deuicti, Athenienses debilitati, nihil in commune consulebatur, Achaei diuturna pace et libertate (praeter Pellenen, quae tum adhuc sub tyranno erat) viribus ad audendum comparatis, aliquo haberi in honore coeperunt. Hanc potentiam, praesertim cum ad Chaeroneam in acie stetisset contra Philippum regem, 1) Macedones inique ferre, premere deinde Achaeos, donec diuersis studiis partium animos populi dissociarent, vt aliae ciuitates tyrannos, aliae praesidia Macedonica reciperent. 2)

II. Tan-

8) p. 441. 9) p. 536. 10) Pausanias p. 589.
1) E Pausania et Polybio l. II. c. 38. seq. 2) Polybius l. c.

Digitized by Google

II. Tandem conspirarunt Dymaei, Patrenses, Tritaeenses et Phareenses ad concordiam et recuperandam libertatem, Olymp. CXXIV. quarto anno. Quinto post anno, Aegienses, eiecto praesidio Macedonico et Burii, interfecto tyranno, Caryenenses autem, (Καρυᾶεῖς fuere, qui Καρανίαν Polybii et Straboni, vt supra retuli, incolebant) tradente vrbem tyranno, in vnum et idem concilium coierunt. Accessere mox Sicyonii extra Achaiam. Forma ea rei publicae. Erat suus cuique ciuitati senatus, vt Liuius habet. 3) Hi sunt ἄρχοντες Polybii. 4) Is autem scribit, cum Attalus Aegii in concilio postulasset, vt honores Eumenis regis fratris sui restituerentur, decretum concilii ad ciuitates esse missum, quo iubebant τοῖς ἄρχουσι πᾶσας ἀποκαταστῆσαι τὰς Εὐμένους τιμάς. Per se autem quisque intelligere potest, τοὺς ἄρχοντας senatus cuiusque fuisse praesides et rectores. Erant et Damiurgi pro ciuitatum numero; donec decem Damiurgi lege instituerentur, summus populi Achaici magistratus. 5) Primis quinque et viginti annis omnes Achaei Γραμματέα κοινὸν ἐκ περιόδου καὶ δύω Στρατηγούς, *Scribam vnum communem e singulis secundum ordinem ciuitatibus et duos Praetores* elegerunt. 6) Post id vitium est populo commodius factum, si vnus Στρατηγὸς seu Praetor quotannis exercitui praeficeretur, et secundum eum Ἱππάρχης esset, seu magister equitum, magistratus ipse, Ἱππαρχία. 7)

III. Praetorum ius erat conuocare Damiurgos, Damiurgi de quibus rebus erat consultandum, praetore communicante, senatum populumque singularum vrbium consulebant. Deliberatione priuatis in concionibus inita, Damiurgi vocabant concilium Achaicum etiam extra tempus lege statutum, si ita videretur. Concilia enim populi statuta tantummodo bis habita quotannis, sub veram et auctumnum. Vbi in vnum conuenerant, Prae-

3) l. XXX. c. 19. 4) p. 1246. 5) Liuius l. XXXVIII. c. 30. l. XXXII. c. 22. 6) Polybius p. 181. 7) Polybius p. 181. 1244. 1398.

Digitized by Google

tor qui concilio praesidebat, Ioue, Apolline, Hercule auspicii caussa vocatis, de quibus consultandum esset, in medium proponebat. Suadentibus aliis, aliis dissuadentibus, si maior Damiurgorum pars consentiret, referebatur ad populum. Tertio die decretum iusti concilii fieri, ex legē erat. Eo in concilio, quod de bello aduersus Philippum regem cum Romanis gerendo habitum est, Sex. Aelio Paeto, T. Quinctio Flaminino Coss. quinque Damiurgi relaturos se ostendebant: quinque alii duos dies tenebant, ne decretum recitari et perrogari sententiae possent, donec Memnon Pellenensis aduersae partis vnus et minis et precibus Rhisiasi, pater is erat Memnonis, ad Damiurgorum, qui Romanis studebant, factionem tertio die traductus, numero iubentium accessit. Sic relatum est ad populum. Dymaei et Megalopolitani, priusquam lex ferebatur a populo, ne ea tenerentur, concilio excesserunt. Aliis de rebus, quam de quibus ante concilium cum senatu populoque singularum ciuitatum communicatum fuisset, agi in conciliis non placuit. Itaque Caecilio legato Romano negarunt concilium gentis se daturos Damiurgi, nisi scripta mandata ederet, de quibus antea domi consideraret populus. Praetoris erat, hortari, vt de communi re sua conferrent, suaderent, dissuaderent, expenderent aequa lance rationes suas, ex animi sui sententia nihil ipse dicebat, si de bello disceptaretur. Quapropter Philopoemen praetor apud Liuium: [8] *Bene comparatum apud Achaeos esse, ne praetor, cum de bello consuluisset, ipse sententiam diceret: statuere quam primum ipsos, quid vellent, iussit, praetorem decreta eorum cum fide et cura exsecuturum.* Ceteris in rebus inuenio praetorem sententiam dixisse suam, suasorem dissuasoremve fuisse. Cum de Eumenis regis honoribus Aegii ageretur, Archon praetor vt Attali legatorum precibus subueniret, surrexit ad dicendum. Res enim, inquit Polybius, ipsa postulabat, vt

8) l. XXIV. c. 25.

vt praetor diceret. Pauca in rem locutus, ne corruptus fuisse censeretur, e consilio discessit. At tum Polybius, qui magister equitum erat, surrexit, et sermonem habuit, factumque eius in verba decretum est. 9)

IV. Huius concilii fundamenta primus iecit Marcus Carynensis, Philopoemen opus perfecit, Lycortas confirmauit. Primo tempore cum pro regno status coepit esse popularis, concilia in Aenario luco sunt coacta; post recuperata libertate, Aegii haberi placuit. Sic Pausanias et Strabo. Liuius, 10) *seu dignitate*, inquit, *vrbis seu loci opportunitati datum est.* Nonnunquam tamen postea Argis, et Sicyone, et Corinthi, et Tegeae, et Rhii, et Megalopoli extra ordinem conuentus indicti. Id vero etiam egit Philopoemen praetor, vt omnibus in ciuitatibus, quae Achaici essent nominis, conuentus ex ordine celebrarentur. Cum super ea re legem pararet promulgare, conuentumque Argos indiceret, Damiurgi Aegium euocarunt populum. M. Fuluius Aegiensium fauebat caussae, Argos tamen venit, vbi cum diu multumque disceptatum esset, praetorque rem inclinatam cerneret, ab incepto destitit. 1) Obtinuere tamen ceterae vrbes, vt tandem etiam aliis in vrbibus conueniretur.

V. Conuentus, vt dixi, iusti in modum concilii coacti sunt quotannis duo. Vnus vere exeunte sub exortum Pleiadum, vt testatur Polybius, 2) alter sub auctumno. Henricus Doduellus 3) cum variae sint huiusce sideris in parapegmatibus Graecis ἐπιτολαὶ, putat a Polybio isthuc tempus indicari, quo aestas ceperit secundum Plinium. Nam Plinius ita fatur: 4) *Vergiliae priuatim attinent ad fructus, vt quarum exortu aestas incipit, occasu hiems, semestri spatio inter se messes vindemiasque et omnium maturitatem complexae.* Et ille quidem pro-

9) p. 1244. Cetera fere e Polybio p. 1179. seq. Pausanias p. 544. 10) l. XXXI. c. 25. l. XXXII. c. 19.
1) Liuius l. XXXVIII. c. 30. 2) p. 424. 487.
3) in cyclis p. 291. 4) l. XVIII. c. 29.

Digitized by Google

parapegmate Romano ad VI. Idus Maias Vergiliarum exortum constituit. Varro autem 5) ad VII. Idus Maias, a quo die Columella quoque aestatem orditur, vt in Plinio quoque emendandum, sic vt est in Varrone. Geoponici scriptores, Florentinus, 6) (quamquam hic quoque Varronem sequitur et praeterea corruptus est) Quintilii fratres, Proclus, Ioannes Tzetzes Hesiodeus scholiasta 7) intra initia Maii atque Nouembris rusticis suis definiunt et verem potius exeuntem, quam aestatis initium in Vergiliarum exortu ponunt. Georgius Syncellus 8) *Μαΐου ἐννάτῃ τὴν τῶν Πλειάδων ἐπιτολὴν* constituit: hoc item est VII. Idus Maias. Sed non opus est, vt multa hic colligam: nam Dionysius Petauius 9) summa diligentia et accuratione id ipsum egit, vt ostenderet, ad XI. Maii matutinum ortum *Φαινόμενον* eius sideris fuisse relatum. Iam cum exortu Heliaco Pleiadum et aestas et messis exordiebatur in Graecia et annus Achaicus. Hesiodus:

Πληϊάδων Ατλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Αρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

Aratus: Iupiter, ait, Pleiadibus

καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο,
Σημαίνειν ἐκέλευσεν, ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο.

Sic Manlius, sic omnes. De anno Achaico Polybius: 10) *Τὸ μὲν οὖν κατὰ τὴν Ἀράτου τοῦ νεωτέρου στρατηγίαν ἔτος ἐτύγχανε διεληλυθὸς περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν· οὕτω γὰρ ἦγε τοὺς χρόνους τὸ τῶν Ἀχαιῶν ἔθνος,* annus praeturae Arati elapsus erat circiter Pleiadum exortum: sic enim agebat annum populus Achaeus. De concilio autem, 1) in quo comitia legendis praetoribus egerint Achaei, eundem in modum, iisdem verbis, *περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν.* In verno igitur concilio designa-

5) De re rustica l. I. c. 28. 6) p. 4. 14. 7) p. 91. seq. 8) Variarum Diffentionum Petauii l. II. c. 29. 9) l. c. 10) l. V. c. 1. 1) p. 487.

Digitized by Google

signati sunt. Sed intercedebat aliquot dierum tempus inter comitia eumque diem, quo die praetores designati magistratum iniuerunt. Nam cum Aetoli Messenios Olympiadis CXXXIX. 4. adorti et in solemni concilio querelae sociorum ad Achaeos perlatae essent, bello in Aetolos decreto, Aratus designatus est praetor. Cum autem Timoxenus, qui a concilio praeturam nondum depositerat, lentius agere videretur delectu habendo rebusque apparandis, Aratus id ipsum aegre ferens, vt maturaret auxilium, quinque diebus magistratum anticipauit, et a Timoxeno publicum sigillum recepit, id enim praetoris in manu erat. 2) Et de Archone Polybius, 3) decretum fuisse in concilio, in quo fuerat designatus, vt illico procederet praetor, quia bellum instabat Romanum cum Perseo. Ex quibus intelligo, initium anni Achaici fuisse ipso in exortu Heliaco Pleiadum circiter XI. Maii, eodem quoque die praetores iniisse magistratum atque ita esse interpretandum Polybii alterum locum περὶ τὴν ἐπιτολὴν *ipso in exortu*: alterum, vbi de concilio agit, *circiter exortum* significare, seu aliquot diebus ante, vt populus ab ipso concilio tempus haberet proficiscendi in agros, ad messem faciendam. Polybius igitur etiam disertis verbis testatur, 4) exeunte vere designatos fuisse praetores, ineunte aestate, hoc est, non ita multis post diebus coepisse in magistratu esse. Eandem rationem seruatam puto in concilio altero statc *sub auctumno*, vt Liuii ipso verbo vtar: 5) fuisse enim celebratum exeunte auctumno, medio anno Achaico, cum rebus bello gerendis tempus iam exiisset et operae agrestes feriarentur.

VI. Primi ex Achaeis Dymaei cum Patrensibus, Tritaeensibus et Pharaeensibus in libertatem et commune concilium conspirarunt Olympiade CXXIV. vt Polybius testatum reliquit. 6) Plutarchus, qui sua ex Arati Sicyonii praetorii viri commentariis accepit, annum edidit

2) Polyb. l. IV. c. 6. 3) p. 1244. 4) p. 424. 5) l.c.
6) Polybius l. IV. c. 6. Plutarchus in Arato p. 1049.

Digitized by Google

nullum, tantum cum Pyrrhi in Italiam expeditione motum populi Achaici connectit. Nimirum Pyrrhus res primum gessit cum P. Laeuino Cos. A. V. C. 474. sed magistratum inierat Kal. Quintilibus A. P. I. 4433. vt tum fuisse compertum habemus, 7) itaque Olympiadis CXXIV. 4. paullo ante inito. Bellum Tarentinum anno ante Pyrrhi expeditionem coepit, teste Pausania in Atticis: 8) Τούτοις δὲ τῷ πρότερον ἔτει πρὸς Ρωμαίους συνεστήκει πόλεμος, vt Casaubonus docte emendauit in commentario Polybiano. 9) Causa belli, vt ex Dionysii excerptis constat, C. Fabricio, Q. Aemilio Coss. probro apud Tarentinos adfectis legatis Romanis. Inter eos Coss. et P. Valerium Laeuinum annus intercessit vnus, quo L. Aemilius, Q. Marcius Coss. bellum cum Tarentinis ex voto gesserunt. Tum vero Tarentini bello impares, A. V. C. 473. extremo, Pyrrhum auxilio vocarunt, isque cum classe, ne exspectato quidem vere, vt Zonaras e Dionysio docet, in Italiam profectus: ergo A. V. C. 474. Olymp. CXXIV. 4. A. P. I. 4434. Id amplius stabiliendum duco. Polybius 10) Romanos cum Gallis pacem fecisse scribit triennio ante Pyrrhi expeditionem, quinque ante Delphicam Gallorum cladem annis. Galli ad Delphos accisi sunt, teste Pausania in Phocicis, 1) Olympiadis CXXV. 2. Ad eundem annum Phlegon Trallianus, aut potius Eratosthenes Cyrenaeus in Ολυμπιονικῶν συναγωγῇ habet τὴν Κελτῶν ἀπώλειαν. Addit Pausanias, Anaxicrate archonte Athenis: et Anaxicratem ait archontem fuisse, cum Ladas Aegiensis stadia vicit. Ladas vicit Olympiadis CXXV. 1. Gorgia tum maxime archonte Athenis. Secundum Gorgiam Anaxicrates Athenis magistratum gessit, vt testatur Eratosthenes in Olympionicis. Iam si duobus annis ante Pyrrhus traiecit, confirmatur nostra ratio. Et tribus annis ante Pyrrhi expeditionem pax cum Gallis inita, Cornelius Dolabella Cos. Gal-

7) V. Doduellus in cyclis Romanis p. 586. 8) p. 28.
9) p. 118. 10) p. 151. 1) p. 854.

Digitized by Google

Gallos Senones Etruſcosque ad lacum Vadimonis vicit, Inter eum conſulem et Laeuinum duo conſulatus, duo anni interceſſere. Habes Olympiadis CXXIII. 4. tertium ante Pyrrhi expeditionem. Polybius quodam in loco, 2) Pyrrhum in Italiam veniſſe ſcribit vno anno priusquam Galli impreſſionem fecere in Graeciam: hi autem, ſi vno anno in Graecia commorati Delphos inuaſerunt, ne hoc quidem impedit, quin Pyrrhus vere nouo Olympiadis CXXIX. 4. A. V. C. 474. traiecerit. Sed, vt verum fatear, non ita ſenſit Polybius. Nam cum Gallorum impreſſionem in Graeciam commemorat, non Macedonum cum Gallis res attingit, ſed ſolam barbarorum excurſionem per ceteras in Graecia vrbes. Eam autem excurſionem clademque Delphicam et tranſitum Gallorum in Aſiam, vt ex verbis perſpicuum eſt, vno et eodem in anno recenſet. Sic Eratoſthenes quoque: ἡ τῶν Κελτῶν εἰς Ἑλλάδα στρατεία τε καὶ ἀπώλεια. Hoc vero intereſt inter Eratoſthenem et Polybium, quod is rem vtramque Olympiadis CXXV. 2. refert, hic autem anno vno ante, ſiue primo eiusdem Olympiadis. Niſi quid in Polybii verbis deprauatum ſit, memoriae is lapſus fuit: nam is ipſe Polybius alio in loco, vt ſupra declaraui, annos duos inter Pyrrhi expeditionem et Delphicam Gallorum cladem dedit. Denique Polybius notam temporis 3) expeditionis Italicae edidit, Ptolemaeum Lagi, Seleucum Nicatora, Lyſimachum, Ptolemaeum Ceraunum non magno interuallo deceſſiſſe. Hi vtique circa initium, medium et finem Olympiadis CXXIV. obierunt, qua ex re nihilo minus confirmata noſtra eſt ſententia.

VII. Hoc primum conſtituto, vt, ſi Pyrrhus vere A. V. C. 474. Italiam cum claſſe petiit, eodem autem anno Dymaei cum ceteris vrbibus Achaicae rei publicae fundamenta iecerunt, annus is ſit ab V. C. 474. Olympiadis CXXIV. 4. vergens in Olympiadem CXXV. audiendus porro eſt Polybius. 4) Annos, vt ex eo ſupra

2) l. I. c. 6. 3) l. II. c. 41. 70. 4) l. II. c. 42. Strabo tantum 20 annos p. 440. ſed ὡς ἐν παρόδῳ paullo negligentior.

Digitized by Google

declarauí, primos XXV. ſcribam vnum et praetores duos habuere Achaei: ab illo autem tempore Marcum Carynenſem praetorem vnum, vnos praetores deinceps in ſingulos annos. Igitur Marcus Carynenſis praetor eſt factus anno XXVI. poſt Achaicam rem publicam conſtitutam, A. V. C. 499. Olympiadis CXXXI. 1. in ipſo Vergiliarum exortu, vt ſupra quoque demonſtraui. Atque ita etiam Caſaubonus in chronologia Achaica.

VIII. Circiter quintum annum, hoc eſt, 30. Achaico, A. V. C. 503. Olympiadis CXXXII $\frac{3}{4}$. Aegienſes praeſidium Macedonicum oppido eiecerunt: ſecuti eos Burii, occidere tyrannum. Iſeas autem tyrannus Carynenſis id ipſum metuens, vrbem tradidit. 5) Inde, vt dicam poſtea, alii atque alii ſocii acceſſerunt, eorumque nomina lapideo foederis monumento, fidei cauſſa inſcripta ſunt. 6)

Caput Secundum.

De decem atque ſeptem praeturis Arati Sicyonii.

Vt praetores populi Achaici ſuis annis inſeramus, diligentia maxime adhibenda eſt in ordinandis ſeptemdecim praeturis Arati Sicyonii: has vt conſtituamus, ante omnia opus eſt, annum cognoſci, quo Sicyon libertatem recuperauit Arati ope. Polybius hoc quod quaerimus, docet. Sed animus adhibendus eſt, ne in interpretando Polybio offendamus. Τετάρτῳ δὲ ὕςερον ἔτει τοῦ προειρημένου ςρατηγοῦντος, annos natus viginti Aratus patriam liberauit. Vt antea exul fuerit Argis, vt comparata parua manu Sicyonem nocte occupauerit, vt Nicocles tyrannus fuga ſalutem quaeſiuerit, Plutarchus in Arati vita narrat. Ne vero ſic interpretere Polybium,

5) Polybius l. II. c. 41. 6) Polybius p. 387.

Digitized by Google

um, vt Casaubonus: Marcum Carynensem praetorem quartum fuisse, cum Sicyon liberata est a tyranno. Hoc enim Henricum Doduellum summum virum, in cyclis Laconicis 7) fefellisse opinor, vt post Marcum praetorem crederet praetorem primo fuisse Aratum Olympiadis CXXXII. 1. Nempe Polybius hic per saltum incedit, Marcum Carynensem Olympiadis CXXXI. 1. et parte maxima anni secundi, seu ab ipso initio aestatis A. V. C. 499. ad θερινην ὡραν A. V. C. 500. praetorem fuisse supra ostendimus. Ab hoc praeturae anno quartum dicit Polybius, quo res gessit Aratus Sicyone. *Post Marci primam praeturam quarto anno, eodem praetore Marco*, inquit Polybius. Non quod Marcus continuauerit magistratum, alioqui dicturus fuerat, τοῦ προειρημένου τὸ τέταρτον στρατηγοῦντος, non τετάρτῳ ἔτει τοῦ αὐτοῦ στρατηγοῦντος, *eodem, qui quatuor annis ante fuerat, praetore*. Et diserte tradunt scriptores annuam fuisse praeturam, cum vero etiam Polybius a Marco primum praetore e Dymaeis, Tritaeensibus aliarumque vrbium ciuibus praetores fuisse lectos, quorum nomina interciderunt. Igitur Sicyon capta est anno Achaico XXX. Olympiadis CXXXII $\frac{1}{4}$. Addit Plutarchus 8) ipsum diem V. Daesii, qui cum in Olympiadis CXXXII. primum annum incidit, ipsas Kal. Iunias demonstrat iuxta tabulas Doduellianas. Monet nos Plutarchus, mensem eum Antheſteriona ab Athenienſibus vocitatum. Antheſterion non exceſſit medium Martium in cyclo Harpali, nedum vt attingeret Maium, cum Daesius intra Maium et Iunium iis temporibus coerceretur. Sed ratio illa Plutarchi, comparandi menses Macedonicos cum Atticis, nondum satis explorata est, vt eum audeam erroris postulare. Ergo Sicyon capta est, cum Marcus Carynensis non ita multis ante diebus praeturam susceperisset.

II. Iam, inquit Polybius, anno constituto, quo Sicyon Achaeorum facta, ἀγόδῳ δὲ πάλιν ἔτει στρατηγὸς αἱρεθεὶς

7) p. 323. 8) p. 1051.

Digitized by Google

αἱρεθεὶς τὸ δεύτερον *Acrocorinthum cepit* Aratus. Cepit autem vrbem atque arcem, quae in Macedonum poteſtate erat, aſtu, vt prolixe narrat Plutarchus. Archelaus dux, vbi viuus in manus Achaeorum venit, dimiſſus eſt: Theophraſtus ducum alter, quod excedere vrbe nollet, occiſus: Perſaeus tertius, dum arx oppugnatur, fugit Cenchreas. Ille Zenonis philoſophi ſectator, cum poſtea aliquando de Zenonis paradoxo, ſolum ſapientem bonum eſſe ducem, diſceptaretur, fertur dixiſſe: τοῦτο μάλιστα καμοί ποτε τῶν Ζήνωνος ἤρεσκε δογμάτων· νῦν δὲ μεταβάλλομαι νουθετηθεὶς ὑπὸ τοῦ Σικυωνίου νεανίου, vt eſt apud Plutarchum. 9) Si numeremus ab illo, quem ſupra dixi, anno, octo alios annos, praetor iterum Aratus fuit Olympiadis CXXXIV $\frac{1}{2}$. Aliam notam temporis Polybius ſubiecit: Corinthum captam eſſe ab Achaeis, anno vno antequam Carthaginienſes magno bello victi a Romanis, pacis condiciones acceperunt. Cladem dicit Carthaginienſium ad Aegates inſulas a C. Lutatio Cos. acceptam. Eam acceptam eſſe A. V. C. 512. Olympiadis CXXXIV. 2. exeunte, ſatis conſtat. Nondum enim adulta aeſtate commiſſum nauale eſt praelium: itaque paullo ante tertium eiusce Olympiadis annum. Fuit igitur Aratus praetor iterum a Maio menſe, qui incidebat in Olympiadis CXXXIV. primum annum, vsque ad Maium, qui Olympiadis CXXXIV. 2. anno agebatur. Nam res Aratus ad Corinthum geſſit τῇ περὶ θέρος ἀκμάζον ὥρᾳ, plenilunio: 10) hoc eſt, adulta aeſtate, quae eam aeſtatem anteceſſit, qua Carthaginienſis claſſis eſt victa. Ex quo Doduellus 1) argumentum ducit, nocte ea Acrocorinthum eſſe occupatam, quam Metageitnionis XVI. ſeu Sextilis Iuliani XII. dies excepit. Acceſſere rei geſtae magnitudine perculſi ad corpus Achaicum Epidaurii, Troezenii, qui Argolicum littus tenebant, et extra Iſthmum Megarenſes.

III. Nunc

9) p. 1037. adde Athenaeum p. 162. Polyaenum in Stratagematis l. VI. c. 14. Pauſaniam p. 130. 10) Plutarchus p. 1036. 1) in cyclis p. 292.

Digitized by Google

III. Nunc quoque prima praetura e Plutarcho deprehenditur. Scribit autem Plutarchus, Aratum pulso Sicyonio tyranno adolescentem annorum viginti equo meruisse et magistratibus (damiurgos populi et archontas ciuitatum puta) percarum, praetoribus, siue Dymaeus aliquis, seu Tritaeensis, seu ex aliquo alio oppido esset, dicto audientem enixe fuisse, cum cerneret exules a se Sicyonem reductos praediorum suorum possessoribus molestos, vt de vtrisque bene mereretur, profectum ad Ptolemaeum (is tum erat Euergetes Philadelphi filius) argenti summam, quanta satis erat, ad controuersias Sicyonias sedandas impetrasse et regis animum confirmasse Achaeis. Inde iam ille reuersus, cum summa apud Achaeos esset gratia, praetor factus est: ἐνιαυτῷ δ' ὕστερον, inquit Plutarchus, αὖθις στρατηγῶν, *anno interiecto iterum praetor*, Corinthum aggressus est. Si praetor fuit anno interiecto, prima praetura attribuenda est anno Achaico XL. qui inierat ineunte aestate Olympiadis CXXXIII. 3. Plutarchi interpres ἐνιαυτῷ ὕστερον enunciat Latine *insequenti anno*. Perperam vero hoc, vt multa alia: nam id Plutarchus potius dixisset τῷ δ' ἑξῆς ἐνιαυτῷ. Et quod ipse testatur Plutarchus, quod nobis etiam in progressu disquisitionis nostrae spectandum erit, Aratus alternis fere annis praetor fuit. Pausanias quidem vbi tradit, [2]) Sicyonios ab Arato liberatos, αὐτίκα δὲ στρατηγὸς ἀπὸ τῶν Ἀχαιῶν ἤρητο ait. Sed confusa sunt omnia eo in loco Pausaniae, quaedam etiam suspecta. Vt, cum scribit, Aratum Sicyonios, libertate restituta, sui iuris esse voluisse, post vbi Macedones Antigono Philippi tutelam gerente, Graecis formidarentur, Sicyonios, quamquam Dorici generis erant, rece-

2) p. 129. 130. Sic Strabo p 440. scribit: „Aratum praetorem Antigono Acrocorinthum ademisse et patriam „suam Achaeis adiecisse et Megarenses et Argos et „Hermionam, Phliuntem, Megalopolin." Quibus in verbis nihil accurati, nihil chronologicum est.

Digitized by Google

recepisse in Achaicum concilium. Cui rei palam aduersatur Polybius 3) cum sic ait: Aratus annos viginti natus patriam ereptam iugo tyranni virtute sua et fortitudine, προσένειμε πρὸς τὴν τῶν Αχαιῶν πολιτείαν, ἀρχῆθεν εὐθὺς ἐραστεὶς γενόμενος τῆς προαιρέσεως αὐτῶν; *Achaicae rei publicae adiunxit: iam indè statim a principio studiosus institutorum populi Achaici.* Habet sua ex Arati ipsius commentariis Polybius: Pausanias vero videtur aurem praebuisse Phylarcho, cuius quae fides sit, Polybius 4) declarauit. Iam Sicyonios Achaeis adscriptos demum habuit secundum Pausaniam annus Achaicus 52. quoniam Demetrius rex, vt infra demonstrabo, A. V. C. 525. decedens, Philippum filium sub tutela Antigoni reliquit. Quae cum attigit Pausanias, tum ille vero αὐτίκα δὲ στρατηγὸς Αρατος. Aut igitur vndecimam praeturam Arati anno 53. in animo habuit: aut primam si dicere voluit, vides vt omnia perturbauerit per summam negligentiam. Primam autem dicere voluit, nam ea in praetura ait, contra Amphissenses, Locros atque Aetolos duxisse, Corinthumque cepisse. Iterum alia perturbatio. In prima praetura quidem Aratus Locros et Calydoniam populatus Boeotis subsidio venit, pugna ad Chaeroneam commissa et Aboeocrito Boeotarche ab Aetolis caeso: Corinthum vero ea in praetura non cepit, sed vt ex iis, quae supra tradidi, colligitur, anno Achaico 38. Olympiadis CXXXIV. 2. anno inito.

IV. Nunc reliquas Arati praeturas persequemur. Plutarcho 5) et Polybio testibus, Aratus multas praeturas aut continuatas aut alternis annis gessit, donec in decima et septima praetura lento veneno a procuratore Philippi regis, Taurione, necatus est. 6) Plutarchus maxime alienatum a Philippo rege scribit Aratum, postquam ille classem Romano bello amiserat: tum enim regem infesto animo inuasisse Messenios, Arato vehementer Messeniorum

3) p. 181. 4) p. 196. 5) p. 1028. 6) Plutarchus p. 1047. Polybius p. 722.

rum vicem dolente. Polybius autem in excerptis mortem Arati ponit intra id tempus, cum M. Marcellus Syracusas expugnauit, et Philippus rex Lissum in Illyrico. Syracusae sunt captae, Q. Fulvio Flacco III. App. Claudio Coss. cum dies festus Dianae ageretur.' 7) Hi Coss. fuere A. Varroniano 542. ab Olympiadis CXLI. 4. anno, ita vt iis Cos. Olympiadis CXLII. 1. annus inierit. Philippo autem regi suspecto iam antea bellum denique illatum est Q. Fabio Maximo IV. M. Claudio Marcello Coss. 8) A. V. C. 540. Philippus Apolloniam cum classe adortus, sublatis velis vertit ex improuiso et Oricum cepit. M. Valerius praetor Romanus ad Oricum venit cum classe instructa, vrbem recepit, Apolloniae infestum regem per Q. Naeuium praefectum socium oppressit, inde classem ipse oppositi regiis. Cum se teneri sentiret Philippus, subductis aut incensis nauibus, Macedoniam terrestri itinere petiit, magnam partem inermi exercitu et spoliato. Res paullo ante hiemem gesta: classis Romana Orici hiernauit. Haec est illa Philippi regis classis, quam amissam fuisse Romano bello Plutarchus scribit. Post id vero res contra Messenios gestae et Aratus offensus. Porro etiam Liuius 9) Philippi in Illyrios bellum, quo bello Lissus est capta sub verem A. V. C. 544. M. Marcello, M. Laeuino Coss. explicat. Fuit igitur Aratus veneno sublatus inter A. V. C. 542. et A. V. C. 544. Iam, si Philippus A. V. C. 541. Messenios fines, populi, sui quidem iuris, non alieno tamen ab Achaeis animo, 10) inuasit, eo anno primum simultates inter regem et veterem eius amicum consiliorumque participem Aratum sunt natae, ob quas Arato lentum venenum paullo post a Taurione, vt Polybius ait, exhibitum, ex quo decimum en septimum praetor exstinctus est. Vt Philippus rex Demetrium filium miserit cum aliquot nauibus in Peloponnesum, vt is astu et celeritate summa arcem Messeniorum occupaueris, Pau-

7) Liuius l. XV. c. 23. 8) Liuius l. XXIV. c. 40.
9) l. XXVI. c. 25. 10) Pausanias p. 390.

Digitized by Google

Pausanias narrat. 1) Id necesse est, contigisse tempore aliquo, quo nauigari potuerit, nec tamen adhuc obsessum a Romanis fuerit mare. Puta me dicere sub A. V. C. 541. verum. His autem rebus gestis Philippum regem ipsum adfuisse ad Messenam, e Polybii excerptis teneo, 2) eodem quoque venisse Aratum cum Arato filio. Et fuit Aratus eo tempore praetor. Nam Plutarchus 3) scribit, Messenios seditionibus agitatos, cum magistratus a multitudine dissideret: ὁ μὲν Ἄρατος ὑστέρει βοηθῶν, ὁ δὲ Φίλιππος, ἡμέρᾳ μιᾷ πρότερον ἐλθὼν εἰς τὴν πόλιν, non modo aluit seditionem, sed etiam auxit, vt apertam in vim erumperet. Si Aratus ἐβοήθει, praetor fuit. Haec igitur est decima sexta Arati praetura. Anno post res in Peloponneso Philippus gessit nullas: imminebat enim Macedoniae M. Valerius praetor cum classe. Quid igitur tandem? quo anno dicemus Aratum praetorum XVII. fuisse? A. V. C. 542. an A. V. C. 543? Casaubonus extremam Arati praeturam posuit Olympiadis CXLI. 2. A. V. C. 539. quod cum iis testimoniis, quae produxi, pugnat. Cum optio alterutrius annii nobis est relicta, nihil aliud ad suspicandum de vero anno occurrit, quam veneni lenti mentio. Discessit a rege hostilia omnia metuens ab eo, qui priuatim in domum suam deliquerat, publice Messenios adfligebat, Achaeis insidiari videbatur, nulla fide, nullo beneficiorum respectu. Philippus autem, vni e ducibus et familiaribus suis Taurioni negotium dedit, vt quam occultissime Aratum veneno aggrederetur. Is postquam in familiaritatem Arati irrepsit, cogitata perfecit: dedit autem venenum, vt ait Plutarchus, lentum, θέρμαις τε μαλακαὶς τὸ πρῶτον ἐν τῷ σώματι καὶ βῆχα κινοῦν ἀμβλεῖαν, εἶτα οὕτως κατὰ μικρὸν εἰς φθορὰν περαίνον. Ergo non tantum veneno, sed etiam Taurioni tempus erat concedendum: veneno, vt grassaretur, Taurioni, vt se apud Aratum neque Philippo, neque familiaribus eius pronum ad insidias, insinuaret.

Quae

1) p. 348. 2) p. 703. 3) p. 1050.

Digitized by Google

Quae mecum considerata sic habui, vt inclinaret animus, Arati praeturam extremam A. V. C. 543. inferendam potius esse, quam A. V. C. 542. Sed, vt infra ostendam, A. V. C. 543. praetor fuit, et vel sic satis temporis et Taurioni ad praebendum venenum et veneno ad nocendum tribui potuit, praesertim si extremo tempore praeturae decessit Aratus. Decessit, vt Pausanias tradit, 4) Aegii: inde corpus Sicyonem ductum honoresque diuini eius meritis decreti.

V. Venio nunc ad duodecimam praeturam Arati suo anno inferendam. Plutarchus scribit: 5) duodecimum praetorem male pugnasse contra Cleomenem ad Lycaeon. Elapsus autem, collectis e fuga copiis, Mantineam sociam Cleomenis vrbem occupauit. Ad Megalopolin cunctari visus, oppugnantibus Spartanis vrbem. Lysiades Megalopolitanus, qui eum in annum praeturam cum Arato petierat, iam antea infensus Arato, sine mandato praetoris aggressus Lacedaemonios, fortiter pugnans occubuit, inuidia in Aratum redundante, veluti destituisset aemulum laudis. Quam ob rem annuum exercitus stipendium praetori mulctam dixit. Ad exercitus raptim Aegium concessit, populusque Orchomenium vindicauit ignominiam deuictis Spartanis et Megistono Cleomenis vitrico capto. His rebus gestis Aratus praetura non modo decessit, sed eam etiam in perpetuum abiurauit: motus tamen postea Achaeorum discrimine recepit, vt infra declarabo. Praetorem fuisse duodecimum A. V. C. 531. Olympiadis CXXXIX $\frac{1}{3}$. ex sequentium annorum rebus colligitur. Nam post Arati hanc praeturam Timoxenum in magistratu illo fuisse, Plutarchus testatur: 6) post Timoxenum fuisse praetorem Hyperbaten, e Plutarchi Arato 7) et Cleomene 8) colligo. Hyperbate praetore, Mantinea amissa, Achaei ad Hecatom-

4) p. 132. 5) p. 1043. Pausanias scribit p. 131. 539. ad Dymen fuisse pugnatum, vbi Aratus praetor agros habuit. 6) p. 1044. 7) p. 1045. 8) p. 811.

Digitized by Google

tombaeon in Dymaeis ingenti praelio fusi, acciuerunt Cleomenem, quem pace facta ducem sibi legerent. Hic vero Aratus, quod poterat, tum vi, tum artibus suis obtinuit, vt Cleomene deluso, res Achaea ad opem Antigoni tutoris spectaret. Ergo Cleomenes bellum Achaeis indicit, (nam antea magis tumultus, quam iustum bellum fuerat,) Pellenen oppugnat, elapsoque Hyperbate praetore, vrbe potitur. Argiui quoque et Sicyonii rebus nouis studebant: Corinthiorum violentas manus vix euasit Aratus. Inde Corinthii se suaque Cleomeni dediderunt: Achaei vero ad Aratum frequentes conuenerunt Sicyone, praetoremque eum libera cum potestate, quod alii nemini honori datum, et cum praesidio delectorum adolescentium creauerunt. Hanc praeturam, quae, vt vides, decima tertia fuit, certissimis ratiociniis suo in anno constituere possumus, ex quo deinde rationibus subductis annus quoque duodecimae praeturae exibit. Bellum hoc Cleomenicum Olympiade CXXXIX. gestum esse, satis constat. Est vero a Cleomene indictum ipso tempore, cum Nemea celebrarentur, teste Plutarcho. 9) Ergo primo anno Olympiadis CXXXIX. Nam tertio anno eiusdem Olympiadis, cum Nemea altera instaurarentur, vt e Polybio 10) constat, bello Cleomenico finis est impositus. Nemea autem tertio cuiusuis Olympiadis anno ineunte aestiua, primo exeunte hiberna erant. Hiberna, vt videtur, duodecimo secundi hiberni mensis die. Igitur praetura decima tertia Arati, orto bello Cleomenico, coepit sub anno secundo eius Olympiadis seu A. V. C. 531. cum ipso aestatis principio. Plutarchus de hac praetura: 1) Τριάκοντα μὲν ἔτη καὶ τρία πεπολιτευμένος ἐν τοῖς Αχαιοῖς, πεπρωτευκὼς δὲ καὶ δυνάμει καὶ δόξῃ τῶν Ελλήνων. Iam quae sententia Plutarchi sit, vide. In rei publicae gerendae praeceptis, 2) οὕτω, inquit, παρῆλθεν εἰς δόξαν Αρατος, ἀρχὴν ποιησάμενος πολιτείας τὴν Νικοκλέους τοῦ τυράννου κατάλυσιν. Cum

9) p. 812. 10) p. 216. 1) p. 1046. 2) p. 804.

Digitized by Google

Cum verſatum in re publica dicit, ab eo tempore, quo Nicoclen tyrannum Sicyonium oppreſſit, iſthuc quidem non plane ſignificat, inde iam vsque in magiſtratibus eſſe coepiſſe, at Plutarchi tamen animo eam opinionem ſediſſe, non abſurdus eſt, qui ſuſpicetur. Illi autem triginta tres anni non poſſunt ab alio principio duci, quam ab eo tempore, cum praetura annua fuit conſtituta ab Achaeis. Nam in decima tertia praetura, vt vides, Aratus tertius et triceſimus praetor annuus fuit. Sic, puto, tempus ipſe in commentariis inſigniuerat Aratus: non, quod tot annos magiſtratus geſſerit, ſed, quod hoc illius formae rei publicae ſpatium exſtiterit. Antequam decimum et tertium praetor fuit, ſub Nemeis ludis, bello Cleomenico indicto, Aratus cum Antigono egit, vt auxilio veniret Achaeis contra Spartanos. Et cum Antigonus alia conditione quam tradendae Corinthi ſeſe moturum non eſſe oſtendit, Aratus miſſo ad regem Arato filio de foedere conuenit in eam conditionem, quod tum Corinthus auulſa a nomine Achaico Spartanis ſe dediciſſet. 3) Auctumnus erat, cum Antigonus aduentaret Cleomenesque exercitum haberet ad Iſthmum: interea Argos per Ariſtotelem Argiuum proditione receperunt Achaei. 4) Dux memorabilis rei Aratus, ſed Macedonicis cum copiis, vt priuatum eo tempore fuiſſe adpareat. 5) Ciuitates aliae quae defecerant, metu perculſae redierunt ad foedus Achaicum: Cleomenes ne a Macedonibus et Achaeis includeretur, receſſit, Antigonus Acrocorintho recepta hibernauit Corinthi et Sicyone. Ineunte vere Antigonus Tegeam mouit eaque vrbe et Mantinea Orchomenioque captis, ipſe ad conuentum Achaeorum ſub auctumno profectus exercitum in hiberna dimiſit. Haec igitur maximam partem perpetrata ſunt Arato praetore: erat adhuc praetor, cum Cleomenes otioſos arbitratus hoſtes in hibernis agere, Megalopolin admotis copiis cepit, primo autem vere fines Argiuorum inuaſit. Initio denique aeſta-

3) Polybius p. 191. 192. 4) Polybius l. c. 5) Plutarchus p. 1046.

Digitized by Google

gis, hoc est, cum praetor nouus Achaeorum inisset magistratum, Antigonus in Laconicam mouit, Cleomenemque tandem magno praelio vicit, in quo Philopoemenis adolescentis virtus eluxit, quem postea praetorem nominabo saepius. Cleomenes nocte, quae diem consecuta est, e Sparta aufugit in Aegyptum: vrbs capta, vetus rei publicae forma et disciplina restituta. Paucis diebus post, Antigonus, audito, Illyrios impressionem fecisse in Macedoniam, motis castris Argos venit sub ipsum tempus Nemei ludicri. Haec aestiua erant Nemea XII. Panemi siue Olympiadis CXXXIX. 3. A. V. C. 532. XVI. Quintilis secundum Doduelli tabulas. Olympiadis CXL. 1. Lacedaemonii nouis rebus studentes Agesipolin et Lycurgum creauerunt reges: is annus, inquit Polybius, 6) erat a fugato Cleomene tertius. Ita omnia in hac parte chronologiae confirmata sunt. Illo autem anno, quo victus fugatusque est Cleomenes, Timoxenum Achaeorum praetorem fuisse, inuenio, vt paullo post dicam amplius. Ante Aratum praetorem duodecimum, in magistratu fuit Aristomachus Argiuus. Hoc plane intelligere mihi sum visus e Plutarcho. 7) Nam is narrat, Aristomachum Argiuum tyrannum, cum Aratus eum ad societatem Achaicam pellexisset, spe praeturae proposita, quae glorioſior esset, quam tyrannis, aurem praebuisse conditioni, Lysiadem autem, qui tum praetor erat, vt suum isthuc meritum esset, Aristomachum sibi conciliasse. Cum de summa rei ageretur in concilio, Aratus Aristomachum perculit, mox permisit tamen auctorque adeo fuit, vt non modo reciperetur, sed etiam, vt praeturam in proximum annum Aristomacho decernerent Achaei. Ea in praetura Aristomachus, inuito Arato, cum Cleomene tyranno Lacedaemonio simultates aluit, quae erupere in tumultum. Cum ad Pallantion Cleomenes se obtulit, Aratus autem Aristomachum absterruit, ne signa conferret, ea calumnia Lysiades duodecimam praeturam petenti Arato se extorsurum putauit. Nihil tamen egit. Adparet autem

6) p. 422. 7) p. 866. 1043. 1047.

Digitized by Google

tem e Plutarchi Cleomene 8) etiam, Aratum paullo ante Ariſtomachum praeturam geſſiſſe. Nam cepit Caphyas Aratus: ea occaſione Cleomenes cum copiis mouit, oppoſitusque Cleomeni eſt Ariſtomachus praetor. Habes ordinem rerum illum, vt non modo, quo anno Ariſtomachus praetor fuerit, intelligatur, ſed etiam vt Aratus ante Ariſtomachum, ante Aratum Lyſiades collocandus ſit. Hic Lyſiades tres praeturas geſſit. Auctorem habeo Plutarchum. 9) Sed haec ceteraque quae inter ſecundam et duodecimam Arati praeturam interceſſere, accuratius expendenda duco.

VI. Demetrius rex Macedoniae, quo anno Philippum filium orbum, Antigonum autem tutorem reliquerit, Polybius declarat, ſub ipſum inquam tempus expeditionis Romanorum in Illyrios. Demetrius Illyriorum regem Agronem concitauit, qui ſuſcepto bello haud dubie ſuperior, nimis laetus ea felicitate, morbum commeſſationibus accelerauit, relicta in regno vxore Teuta. Teuta proxima aeſtate nouas copias in Graeciam immiſit, quo tempore cum Achaei ſubmiſiſſent Aetolis auxilia naualia, pulſi ab Illyriis, Marcum Carynenſem, qui exercitum ductabat, amiſerunt. Submerſus enim eſt cum naue. 10) Eadem aeſtate Cn. et L. Coruncanius legati Romani de iniuriis expoſtulatum venere ad Teutam. Hi, dum redeunt, ſummiſſis percuſſoribus caeduntur. Ea cauſſa anno poſt Cn. Fuluius Centumalus, L. Poſtumius Albinus Coſſ. cum exercitu profecti in Illyricum, vno anno bellum confecerunt. Obiit igitur Demetrius rex A. V. C. 525. Antigono Tutori Dexippus et Porphyrius annos XII. Euſebius XX. attribuunt. Antigonus autem, cum, vt ſupra demonſtraui, A. V. C. 532. capta Sparta, raptim moueret in Illyrios, adulta aeſtate hoſtes acie vicit. Hic, cum lateribus non peperciſſet clamando monendoque milites, ſanguinem vomere coepit ex eoque

 morbo

8) p. 806. 9) p. 1041. 10) Polybius p. 137.

Digitized by Google

morbo non multo post diem obiit supremum. 1) Ergo vix octo annos rebus Macedonicis praefuit et sub A. V. C. 553. fato functus est. Simul apparet, Marcum Carynensem A. V. C. 524. praetorem fuisse. Paullo antequam Aristomachus consilia de tyrannide ponenda communicavit cum Arato, hic Athenas occupauerat et Piraeeum, Munichiam, Salaminem et Sunium datis CL. talentis Diogeni praefecto Macedonici praesidii, receperat. 2) Mortuus tum maxime erat Demetrius rex. Obiit autem A. V. C. 525. Et eo anno Athenis in concilium Achaicum receptis, praetorem, non Aratum, sed alium fuisse, diserte testatur Plutarchus. 3) Scribit enim, Athenienses, accepto, Demetrium decessisse, accitusse Aratum: ὁ δὲ καίπερ ἑτέρου μὲν ἄρχοντος τότε τῶν Αχαιῶν, tamen accurrit. Bene igitur in hunc annum Lysiadis praetura conuenit, vt qui superiori anno Arati factione a tertia praetura depulsus, tamen eum nunc aequo iure peteret et consequi est visus. Marco Carynensi Lysiadem cedere oportuit, cum tertiam peteret praeturam. Obstitit enim Aratus priuatim infensus Lysiadi. 4) Antea autem παρ' ἐνιαυτὸν ἦρχε μὲν ἐναλλαξ τῷ Αράτῳ στρατηγῶν Λυσιάδης, vt ait Plutarchus. Sic Arati X. IX. et VIII. praeturam, simul cum duabus Lysiadis ordinauimus.

VII. Lysiades antea tyrannus Megalopolitanus Aratum metuebat adeo, vt Aristippo Argiuorum tyranno sublato, vnice in se versum tandem leniendum obsequio et deponenda tyrannide censeret. Quod cum accidit, eo anno non erat praetor Aratus. Accitus enim Megalopolin ad Lysiadem venit, 5) quod eum facturum non fuisse praetorem, puto. Consentit denique ipsa fere ratio, vt Lysiadem se suosque anno Achaico 45. tradidisse, anno autem 47. praetorem fuisse ponamus, quod non videntur paucis interiectis diebus aut mensibus Lysiadi praetori rem

1) Polybius p. 215. 216. 2) Pausanias p. 130. 3) p. 1047. 4) Plutarchus p. 1032. 5) Plutarchus p. 1042.

rem publicam traditurí fuisse Achaei, quam paullo antea oderant tyrannum: annus vnus interiectus eluere poterat inuidiam. Igitur A. V. C. 518. a Lysiade, vt dicebam modo, Megalopolis est tradita Achaeis. Et ita se gessit Lysiades (seu vt Pausanias atque Plutarchus Λυδιάδης et Λυδιάδας: quamquam nos Polybium potius sequimur, apud quem est Λυσιάδης et Λυσιάδας Dorice;): ita, inquam, se gessit, ὡς Ἀράτῳ παρισωθῆναι τὰ ἐς δόξαν, *vt vitae dignitate atque publica existimatione Arato nihil concederet*, quod ait Pausanias. 6) Quod de Aristippo tyranno dictum est, id vero explicatius edisseremus: aperiet enim nobis aditum ad patefaciendam nouam praeturam Arati. Aratus statuit, 7) sublato per insidias Aristomacho, Achaeos in libertatem vindicare. Prodito consilio, Aristomachus nihilo magis tutus, a seruis suis obtruncatur. Sed Aristippus tyrannidem occupat, frustra cum subitariis copiis Arato aduolante. Aristippus Achaeos, quod in pace arma cepissent, iudicio postulauit, priuatim vero vel in primis infensus Arato, instinctu Antigoni Gonatae regis percussores submisit. Frustra tamen laqueos tendebat viro inter suos spectabili et gratioso. Aratus cum exercitu adortus Aristippum ad Chareta fluuium acri praelio pugnauit. Vbi hostilem exercitum auctum subsidiis sensit, Cleonas sese contulit, eaque in vrbe Nemeorum ludicrum instauravit. Haec Nemea aestiua acta sunt Olympiadis CXXXIV. 3. anno ineunte, mensis aestiui secundi die XII. In hunc solum annum illa Nemea quadrant. Nam in eiusdem Olympiadis primo anno exeunte, quae acta sunt Nemea hiberna, ea nondum ita laeta fuere Achaeis, vt Aratus Argos spectare posset. Immo post illa Nemea Aratus primum praetor res ad Corinthum gessit. Etiam Nemea hiberna Olympiadis CXXXV. 1. anni huc trahi non possunt. Nam eo maxime anno Aratus cum Aetolis bellum gessit. Plutarchus, 8) vt semel narrationem instituerat de rebus

6) p. 657. 7) Plutarchus p. 1039. 1040. 8) p. 1041

Argiuis, ita eam persecutus est, resque Megalopolitanas et Lysiadis subiunxit, denique, quod omiserat eo in sermone, Aetolicum bellum attingit. Sane et Aristippi caedes et Lysiadis res omnes post isthuc bellum collocandae sunt: non item illa Nemea. Nam in hunc ipsum primum Olympiadis CXXXV. incidere non poterant, quia Aetolico non Argiuo bello distinebatur Aratus: neque in tertium annum eius Olympiadis, post Aetolicum bellum A. V. C. 517. quoniam duobus annis ante et amplius Antigonus Gonatas rex iam obierat, quem tum maxime, cum eas res ad Chareta gessit Aratus, superstitem fuisse, Plutarchus declarat. Doduellus rationes perturbauit. 9) Putat enim Aratum Olympiadis CXXXII ¼. primum fuisse praetorem; ea autem in praetura bellum Aetolicum esse gestum censet. Hoc de bello Aetolico repugnat omnibus rationibus nostris, quas puto satis esse firmatas. De prima praetura Arati atque secunda multis iam supra diximus, quo in loco Polybii quoque testimonium, quod offensioni fuit Doduello, expendimus. Nunc vide alia, quae Doduello obstant. Aratus persuasit Agidi Lacedaemoniorum regi, vt societate cum Achaeis inita, Aetolos a Megaricis finibus depelleret. Cum ad Corinthum conuenissent et Agis censeret pugnandum esse cum Aetolis, antequam Peloponnesum inuaderent, Aratus obstitit, ὅτι βέλτιον ἡγεῖτο τοὺς καιροὺς σχεδὸν ἅπαντας συγκεκομισμένων ἤδη τῶν γεωργῶν, παρελθεῖν τοὺς πολεμίους. Agis ostendit se facturum, quod visum esset Arato, καὶ γὰρ πρεσβύτερόν τε εἶναι καὶ στρατηγεῖν Ἀχαιῶν. Sic Plutarchus ex Arati commentariis. 10) Aratus, vt regem plane in sententiam suam adigeret, magnam partem exercitus dimisit: Agis vbi sese deseri sensit et ipse se recepit Lacedaemonem: vbi per Agesilaum ephorum omnia turbata inuenit, ad Chalcioecum confugit. Cleombrotus alter rex in aede Neptuni sedit supplex. Leonidas ab exilio reuocatus, re-

9) in cyclis p. 383. 10) p. 801.

Digitized by Google

regnum, e quo fuerat pulsus, recepit, Cleombrotum exulare iussit, Agim insidiose captum coniectumque in carcerem ephororum iudicio tradidit. Hi laqueo cervicem regis elisserunt. Leonidas rex Agiatiden Agidis vxorem opulenti haeredem patrimonii, probis moribus et forma praestanti, vi coegit, vt Cleomeni filio suo nuberet. Illa socerum mariti sui interfectorem summo odio prosecuta est, περὶ δὲ αὐτὸν τὸν νεανίσκον ἦν ἀγαθὴ γυνὴ καὶ φιλόστοργος. Iam paullo ante Cleomenicum bellum, Democrates exul Lacedaemonius, Cleomenis indolem spectans et vigorem aetatis, Arato vndecimum praetori (vt satis e Plutarcho [1]) apparet, si cum rationibus nostris eius testimonium conferatur) dixit: ὥρα σοι ταχύνειν, πρὸ τοῦ κέντρα φύσαι τοῦτον τὸν νεοσσόν. Fuerit licet hic νεοσσὸς annorum triginta, tum cum Aratus praetor XI. erat Olympiadis CXXXVIII $\frac{4}{1}$. ergo Olympiadis CXXXII. 2. vix annorum septem puer fuit: qui malum ducere potuit Agiatiden? Quae cum ita sint, non is extremus annus Agidis fuit. E contrario bellum cum Aetolis nullum gerere poterant Achaei adulto paullum Demetrii Macedonis regno. Nam contra illius potentiam Achaei Aetolique foedus iniuerunt. Ergo cum ceterae rationes consentiant, nihil autem repugnet, Aetolicum bellum gestum est Olympiadis CXXXV. 1. seu, vt ex iis, quae e Plutarcho protuli, liquet, auctumno, messe iam conuecta ab agricolis A. V. C. 514. Post autem, vbi Demetrius Antigono Gonatae successerat, Athenas aggressus est Aratus, [2]) sextum praetor.

VIII. Redeo ad Aetolicum bellum. Ab Corintho, vt dixi paullo ante, socios dimisit Aratus, ipse denique recessit. Agis rex nonnihil moratus, vt magnum ostentaret et Spartano dignum animum, tandem et ipse se recepit. Per hanc opportunitatem Aetoli Peloponnesum ingressi Pellenen ceperunt: at Aratus repente eos in vrbe

1) p. 806. 2) Plutarchus p. 1046.

Digitized by Google

adortus Aetolos lasciuientes, acie ante moenia vrbis vicit et cum hostium agmine irrupit in vrbem. Verum, inquit Plutarchus, 3) cum multae atque validae gentes conspirarent in Achaeos, Aratus statim cum Aetolis et pacem et foedus confirmauit. Has gentes puto, primum Macedonas, quos aeque metuebant Aetoli Achaeique; qui nunc defuncto Antigono Gonata, nouo sub rege Demetrio videbantur in ordinem redigi posse, qui Aristippum Argiuorum tyrannum aluerant aduersus Aratum: praeterea Argiuos ipsos et Megalopolitanos, qui sub tyrannis adhuc erant: denique Spartanos, qui Agide illa lueme sublato, acta illius improbare videbantur. Quare nihil vero similius, quam Aratum sequentibus etiam tribus annis fuisse praetorem, cum tot terrores Achaicum nomen circumsisterent. Noli autem mirari continuatas Arati praeturas summo in discrimine rerum. Plutarchus de Arato sic habet: 4) *Tantum polluisse auctoritate*, ὡς εἰ μὴ κατ' ἐνιαυτὸν ἐξῆν, παρ' ἐνιαυτὸν αἱρεῖσθαι στρατηγὸν αὐτὸν, *vt, si non quotannis contingeret cum praetorem legi, tamen secundo quouis fieret.* Tum is ipse quoque, vbi narrauit, quantis terroribus agitatus Aristippus tyrannus, quantum sibi cauerit, ad Aratum flectens sermonem, ὃ δ' οὐχ ὅπλοις κατὰ βίαν, νόμῳ δὲ ὑπ' ἀρετῆς ἀπατάπαυσον ἀρχὴν πεποιημένος, *libere tamen egit.* Quid ἀπατάπαυσος ἀρχὴ, nisi continuatae praeturae? Et hoc commemorat Plutarchus ita, vt facile intelligas, eum extrema Aristippi spectare. Aristippum autem Arato VIII. praetore oppressum esse, ex eo colligo etiam, quod mox Lysiades id ipsum metuens, se suaque tradidit Achaeis anno Achaico 45. Praetorem tum fuisse Dioetam puto. Illum, inquam, de quo Polyaenus in stratagematis: 5) Διοίτας στρατηγὸς Ἀχαιῶν τὴν Ἡραείων πόλιν φανερῶς ἑλεῖν οὐ δυνάμενος, ἀφανῶς εἶλε, φθείρας μεγάλοις χρήμασι τῶν Ἡραείων τινας. Bene Casaubonus: *scribendum* τὴν Ἡραείων πόλιν *et mox* Ἡραειῆς. Nam ita

3) p. 1046. 4) p. 1038. 5) l. II. extremo.

ion est τὸ ἐθνικὸν apud Polybium et Pausaniam et Stephanum Byzantium: vrbs ipsa Ἡραία in Arcadia, haud procul a Messene, vt ille Stephanus, ad Alpheum fluvium, vt notum e Pausania. Nulli sane anno magis convenit vrbs capta et attributa Achaeis, (recepti autem sunt ab Dioeta in fidem, ὡς εἰσαῦτις ὑπήκοοι γενησόμενοι τοῖς Ἀχαιοῖς,) quam huic anno. Reliqui enim anni nullum interuallum relinquunt Dioetae praetori. At cum Aratus XIII. praetor erat, Heraeenses ad Lacedaemonios defecerant. Nam quod Polybius testatur, 6) Antigonus Tutor Mantinea per deditionem occupata, Heraeam et Telphusiam duxit, παρελαβὼν δὲ καὶ ταύτας τὰς πόλεις, ἐθέλοντι προσχωρησάντων αὐτῷ τῶν κατοικούντων. Aegium ad concilium populi profectus est. Mansit vrbs sub praesidiis Macedonicis, donec anno Achaico 57. Philippus rex *reddidit Heraeam et Triphyliam Achaeis*, vt ait Liuius. 7) Fuit igitur antea Achaeorum Heraea, quam ad Lacedaemonios, inde ad Macedonas traducta est.

IX. Reliquae sunt praeturae duae Arati, decima quarta et decima quinta, vtraque facile expedienda. De decima quarta prius dicam paucis. Celebris ea est clade Achaeorum ad Caphyas accepta. Aetoli post Antigoni Tutoris mortem inuasere Messenios anno Achaico 35. cum Timoxenus praetura nondum abiisset, 8) Aratus autem praetor esset designatus. Eo lentius peragente negotium, Aratus quinque diebus anticipato magistratu mandata dedit ad ciuitates, vt Megalopolin conuenirent, qui arma possent ferre. Inde duxit in Aetolos et clade maxima ad Caphyas est adfectus. Aetoli victoria vsi, Pellenenses et Sicyonios agros populati, per Isthmum discessere domum, quod aestas vtique vergeret et Philippum aduentare fama esset. Philippus Corinthi congregatis sociis, bellum in Aetolos decernit, quod ex eo

sociale

6) p. 194. 7) l. XXXII. c. 5. 8) Plutarch. p. 1049. Polybius p. 383.

Digitized by Google

ſociale dictum. Paucis poſt diebus ſolemne concilium Achaeorum conuenit, in quo Aratus omnibus probris ſententiisque proſciſſus, populum dicendo et commemoratione rerum ſuarum placauit. Id concilium Olympiadis CXXXIX. 4. habitum fuiſſe diſerte tradit Polybius, 9) ſic, inquam, vt vergerit in Olympiadem CXL. Interim Aratus e decreto concilii ſocios in arma concitat, exercitum conſcribit, bellum parat. Polybius iſtius anni notam quoque indicat, quod tum Saguntini ab Hannibale petiti fuerint, 10) ſed ita tradit, vt adpareat, eum res Carthaginienſes accommodare ad Achaicas. Primum enim refert Aratum Arati filium patri ſucceſſorem datum, 1) eo autem praetore Saguntinos petiiſſe Hannibalem. Saguntus oppugnari coepit M. Liuio, L. Aemilio Coſſ. vt Polybius Liuiusque memoriae prodiderunt. Horum conſulatus incidit in A. V. C. 535. ab Idibus Martiis, vt tum erat, cum adhuc procederet tum primus annus Olympiadis CXL. tum praetura Arati minoris ſuperiori anno ſuſcepta. Fuit Aratus filius patris diſſimillimus et ſegnis imperator. Eo praetore bellum ſociale coepit. Aratum minorem Eperatus Phareenſis in praetura ſecutus eſt, depulſo ab illius ſpe magiſtratus Arato patre per Philippi regis factiones, vt Plutarchus 2) et in primis Polybius 3) teſtantur. Eperato praetore Polybius ſcribit Hannibalem petiiſſe Italiam, P. Scipione, Ti. Sempronio Coſſ. ipſo teſte Polybio 4) Olympiadis CXL. 2. Bene hoc conuenit. Bellum ſociale finem habuit Olympiadis CXL. 3. vt Polybius duobus locis teſtatur. 5) Tum autem praetor fuit decimum quintum Aratus pater. Nam Philippus rex ſegnitiem Eperati pertaeſus, cum Arato Sicyone rediit in gratiam, vt anno poſt Eperatum praetor fieret. 6) Arati praeturas ſuis annis adſignauimus ita, vt multorum aliorum quoque praeturas conſtitutas ſimul habeamus.

X. Vnum

9) p. 394. 10) p. 413. 425. 1) p. 424. 2) p. 1049. 3) p. 480. 4) p. 525. 5) p. 414. 617. 6) Polybius l. V. c. 30.

Digitized by Google

X. Vnum ad extremum non praetermittam. Iosephus Scaliger in ἰσοριῶν συναγωγῇ 7) narrat, Agin Eudamidae filium in Eleos mouisse, Megalopolin oppugnasse, Pellenen cepisse, praelio cum Mantinensibus commisso, et re male gesta incidisse in Aratum et tum exercitum amisisse, tum vitam. Haec testatur in Canonibus Isagogicis 8) Scaliger se edidisse, *vt gesta colligi potuere*, ne forte putes ex MSto quodam fragmento haec eum edidisse. Nimirum secutus est Pausaniam, qui haec ita de Agide tradita reliquit, 9) vt ipsam aciem, qua ab Arato Sicyoniorum et Achaeorum duce atque Lydiade Megalopolitano victus fuerit Agis, instruat. Fuit, vt ait, eodem in praelio Podares dux Mantineensis, eius Podaris, qui aduersus Epaminondam pugnans cecidit, ἀπόγονος τρίτος, quod nisi reddas pronepotis filium, sane non video, quomodo in istius Agidis tempora congruat, cuius res supra attigimus. Sed is Agis bello non cecidit: necatus est admodum iuuenis in carcere: ac ne gessit quidem bellum, nisi cum Achaeis ipsoque Arato contra Aetolos. Alio loco Pausanias, 10) cum dicit, Eleos inuitos secutos fuisse Lacedaemonios contra Athenienses in bello Peloponnesiaco, (vt constat etiam ex Thucydide,) tum vero addit, συνέσησαν δὲ μετὰ οὐ πολὺν χρόνον ἐπὶ Λακεδαιμονίους Μαντινεῦσιν ὁμοῦ καὶ Ἀργείοις, et denique res Philippi Amyntae regis ponit. Rursum alio in loco 1) bellum inter Lacedaemonios Eleosque caussam accepisse prodit eo tempore, cum a Thebanis victi Lacedaemonii Olympico ludicro arcerentur. Denique alio in loco 2) hunc Agida Eudamidae sic designat, vt nullum sit dubium, quid senserit, quemue Agiden indicauerit. At cum Agin scribit, 3) Pellenen Achaeorum vi cepisse, ab Arato autem Sicyonio mox fuisse eiectum, hic ego vero Pausaniam teneo in manifesto errore, vt qui legerat Agide opem ferente Achaeis captam

7) p. 366. 8) p. 341. 9) p. 619. 10) p. 383.
1) p. 454. 2) p. 657. 3) p. 529.

Digitized by Google

captam ab Aetolis Pellenen et mox recuperatam ab Arato. Quare nihil est verius, quam quod fecit infinitis in locis Pausanias, idem feciſſe in Agide Eudamidae multaque diuersorum temporum facta et ducum nomina confudiſſe, quod multis verbis refellere huius neque loci neque argumenti est. Satis est, si explodatur Pausanias, ne quem incautum fallat.

Caput Tertium.

De octo Philopoemenis praeturis.

Philopoemen annum agens LXX. praetor octauum a Messeniis captus et veneno sublatus est. Fuisse eum hoc anno praetorem, Plutarchus sub extremo vitae neque dicit, neque penitus dissimulat. Scribit vero Philopoemenem Argis ex febre male habuisse, cum de Messeniorum tumultu adferretur, ad eum nuncium advolasse nihilo minus vno die Megalopolin stadia amplius quadraginta, atque inde cum equitibus quos voluntarios secum ducebat, ad Colonidem obsidione liberandam festinasse. Nihil praetorii in toto illo sermone, donec necato Philopoemene subiicit, Achaeos *οὐδ' ἡντινοῦν ἀναβολὴν ποιήσασθαι τῆς τιμωρίας ἀλλ' ἐλομένους στρατηγὸν Λυκόρταν* impressionem feciſſe in Messenium agrum, vbi necem eius vlti, combusto cadauere, cinerem magna cum pompa funeris deuexerunt. Tulit autem vrnam, vt is quoque habet, Polybius Lycortae praetoris filius, cuius historias nunc magis lugemus adeo crudeliter laniatas, quam Achaei Philopoemenem amissum. Iustinus scribit, 4) Philopoemenem antequam cicutam biberet, quaesisse, *an Lycortas praefectus Achaeorum euasisset.* Puta eum dicere praetorem, aut magistrum equitum. At Plutarchus tantum de Lycorta sine magistratus nomine quaesisse tradit. Cum autem adeo raptim lectus est praetor Lycortas, vides vtique desideratum fuisse imperatorem. Et

4) l. XXXII. c. 2.

Digitized by Google

Et fuisse Philopoemenem praetorem, Liuio tutissime credas, qui Polybium studiose expressit. Sic autem ait: 5) *Cum bello superiores essent Achaei, Philopoemen praetor eorum capitur, ad praeoccupandam Coronem profectus.* Addit cetera etiam, quae Plutarchus habet, septuaginta annos iam natum et diutino morbo viribus attenuatis equites nobilissimos gentis nuper a se lectos relinquendi pudore, eos in laqueos sese induisse. Addit deinde de Lycorta, quod *nobis* lucem praebet in Iustino fidum auctorem Trogum Pompeium secuto: *is*, inquit, *alter imperator Achaeorum erat.* Sane cum et Liuius et Iustinus simul de Lycorta et equitibus quaesisse tradunt, argumento id quoque est, Lycortam tum ἱππάρχην Achaeorum fuisse. Iam Pausanias quidem 6) de Philopoemene: ὡς δὴ τῶν Ἀχαιῶν ὄγδοον ἀπεδείχθη τότε ἡγεμών, *a Messeniis captus est*: caue autem sic Pausaniam interpreteris, veluti tum maxime Philopoemen octauum praetor in sequentem annum fuerit designatus: nam sic alias etiam loquitur, cum non designatum, sed in magistratu fuisse aliquem tradit. Octauam hanc Philopoemenis praeturam fuisse, exploratum quoque habeo e numero superiorum praeturarum. Et Plutarchus disserte: ἤδη γεγονὼς ἔτος ἑβδομηκοστόν, ὄγδοον δὲ τῶν Ἀχαιῶν στρατηγῶν. Quidam Graecorum insignem anni istius notam ponunt, Philopoemenem, Annibalem, P. Scipionem Africanum decessisse haud magno interuallo, anno vno, vt est apud Liuium. 7) Valerius Antias apud eundem, 8) Annibalem mortuum prodidit Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello Coss. Alii alio in anno mortuum ferunt: item in Scipione maiore controuersia est, quae in Philopoemene esse potest nulla. Nam his plane Coss. casum eius refert Liuius. Liuium cum dico, puta me dicere Polybium, quem is accurate persequitur. Et quis accuratius poterat nouisse tempus, quam Polybius, qui

5) l. XXXIX. c. 49. 6) p. 704. 7) l. XXXIX. c. 50. 8) l. XXXIX. c. 56.

Digitized by Google

qui Philopoemenem extulerat? Philopoemenis in locum Lycortas magiſter equitum ſuffectus eſt. Nam, quod ſupra e Plutarcho oſtendi, vt nuncius de clade praetoris allatus eſt, repente a concilio Achaico iuſſus eſt praeturam ſuſcipere. Hic vno impetu oppreſſit Meſſenios, de interfectoribus ſupplicium cepit, ſummam vero rei Meſſenicae ad concilium, quod tum Megalopoli conuenerat, reiecit. Δευτέραν σύνοδον vocat Polybius, 9) vt intelligas, conuentum eum ſub auctumno fuiſſe. Ergo tempus deprehendimus, quo tempore Meſſene in ordinem redacta eſt. Polybius 10) ſecundo Olympiadis CXLIX. anno legatos Achaeorum veniſſe Romam ſcribit, et tum maxime adfuiſſe Q. Marcium legatum Romanum, quem iisdem Coſſ. Senatus miſerat, vt, quoniam Meſſene deſciuerat a concilio Achaico, res ſociorum in Peloponneſo reſpiceret, cum e Macedonia rediiſſet, in quam potiſſimum mittebatur. 1) Ex his facile intelligas, ſuperiori hieme defeciſſe Meſſenios, vt pervagata rei fama, Roma excire eius excitu veris legatum Romanum poſſet. Venit primum in Macedoniam, tum in Peloponneſum, quod aliquantum temporis interuallum requirebat: tamen cum Romam rediit, nihil de Philopoemenis exitu adferebat, e contrario Achaeorum potentiam criminantis in modum praedicabat. Fuit igitur initio aeſtatis, cum Q. Marcius in Achaeis ageret, nihil magnae rei ſuſceptum: paullo poſt vero Philopoemen praetor captus et necatus, Lycortas ſuffectus ſub auctumno in concilio Meſſenios reſtituit. 2) Quis autem mihi repugnabit, ſi eundem Lycortam poſt ſuffectum magiſtratum, praeturam quoque ſequentis anni ob rem bene geſtam ſuſcepiſſe dicam? Sic meritus erat, ſic mihi videor Achaeos pernouiſſe, vt merita nulla ſine praemio virtutis relinquerent.

II. In-

9) p. 1206. 10) p. 1202. 1) Liuius l. XXXIX. c. 48. 2) Polybius p. 1206.

Digitized by Google

II. Insignis quoque est secunda Philopoemenis praetura, in qua Nemeum ludicrum spectauit, non magno interuallo a pugna ad Mantineam, insigni honore et populi plausu exceptus, teste Plutarcho. 3) Nemea illa alia esse non possunt, quam Olympiadis CXLIII. 3. anno ineunte. Sic autem Plutarchus fatus est: Λέγεται τῆς τῶν Νεμείων πανηγύρεως συνεχούσης, στρατηγοῦντα τὸν Φιλοποίμενα τὸ δεύτερον καὶ νενικηκότα μὲν οὐ πάλαι τὴν ἐν Μαντινείᾳ μάχην, τότε δὲ σχολὴν ἄγοντα τὴν ἑορτὴν κ. τ. λ. Loquitur de ea pugna, qua Philopoemen praetor Machanidam tyrannum Spartanum ad Mantineam vicit manuque sua interemit. Si istius pugnae tempus inuestigauero, praeturam quoque primam tenebo. Polybius 4) pugnam ponit, inter Asdrubalem Hannibalis fratrem a M. Liuio, C. Claudio Nerone Coss. deuictum, et res a P. Scipione in Hispania aduersus Asdrubalem Gisgonis gestas. Hae res perpetratae sunt sub verem, A. V. C. 548. cum Q. Caecilius Metellus, L. Veturius Philo Idibus Martiis consulatum iissent, vt satis e T. Liuio ipsoque Polybio constat. Iam vero Philopoemen antequam Machanidam est adortus, tum emendandis populi moribus ordinandaque re publica, quam Philippus rex nonnihil perturbauerat, tempus impendit, tum vero οὐδ' ὅλους ὀκτὼ μῆνας *menses non integros octo*, vt ait Polybius, apparando bello. Si hos octo menses a primis auspiciis praeturae numeres, res gesta mense Decembri A. V. C. 547. sin aliquantum temporis ordinandae rei publicae praecipimus, vt hi octo menses solo in apparatu postea sint consumti, incidemus in ipsum verem, paullo ante vernum Achaeorum concilium. Quid autem potius credamus, quam media hieme nihil mouisse Philopoemenem, ex hibernis vero duxisse in Spartanos. Eo in praelio magister equitum fuit Aristaenetus Dymaeus. 5) Quid deinde est manifestum magis, quam continu-

3) p. 362. 4) p. 879. 5) Polybius p. 879.

Digitized by Google

tinuatum Philopoemeni fuisse magistratum, si, vt Plutarchus tradit, non dudum victis ad Mantineam Spartanis iterum praetor Nemeis interfuit Olympiadis CXLIII. 3. ineunte. Nam si interfuisset praetor iterum Nemeis Olympiadis CXLIV. 1. exeunte, non poterat pugna ad Mantineam recentis memoriae officia in populo Achaico concitare. Anno autem post, quem potius legerint praetorem, quam Aristaenetum Diaeum, qui ad Mantineam equitum magister praeclare pugnauerat. Nam ob rem bene gestam summus magistratus ei debebatur, nisi Philopoemenis potius fuisset habenda ratio, cui continuaretur. Sic Lycortas, etiam re male gesta captoque Philopoemene praetore, e magistro equitum suffectus est praetor. Et persuadet hoc quoque nobis error Plutarchi, Aristaenetum hunc confundentis cum Aristaeno Megalopolitano, qui ex eo videtur ortus, quod vtrumque praetorem commemorari sciebat Plutarchus. Ante Philopoemenem Niciam praetorem ponendum duco. Et Liuius quidem Niciae praeturam aestati illi inseruit, qua aestate M. Liuius, C. Claudius Coss. fuere. 6) Sed nescio quo seductum errore fuisse dicam. Nam ita fatus est ipse: *Cum de finiendo Aetolico bello ageretur, nuncius affertur*, Philippo regi, *Machanidam Olympiorum solemne ludicrum parantes Eleos aggredi statuisse: praevertendum id ratus cum expedito agmine Corinthum descendit.* Audito, Machanidam recessisse, *Aegium se ad concilium Achaeorum recepit.* Recte isthuc sane, quoniam ante Olympii ludicri tempus Aegii solemne concilium legendo praetori conuenire solebat. Reddidit tum Philippus Achaeis Heraeam et Triphyliam. Inde cum Achaeis repentinam impressionem classe deuectus in Aetoliam fecit. Ex Aetolia cum praeda Niciam praetorem Aegium remisit, ipse ad confirmandos sibi animos aduersus Attalum regem, Graeciam obiit. Vides sane eo in concilio praetorem fuisse lectum Niciam, Liuiumque

6) l. XXVIII. c. 7. §.

Digitized by Google

quę res ſub primam Olympiadem ineuntem tranſtuliſſe in alterum annum. Ante Niciam Cycliades praetor fuit anno Achaico 71. Nam Liuius 7) ſic ait: *Solemni Nemeorum peracto, paucisque additis diebus Dymas eſt profectus* Philippus: *Cycliadas, penes eum ſumma imperii erat, Achaeique ad Dymas regi occurrerunt.* Paucis poſt diebus ad Lariſſum fluuium pugna cum Aetolis, Eleis Romanisque acerrima commiſſa, 8) Philippus rex fuſus eſt. Fuiſſe tum magiſtrum equitum Philopoemenem, Plutarchus teſtatur. 9) Quod cum vix commemoraſſet Liuius, tum vero *exitu huius anni*, inquit, *T. Quinctius Criſpinus Cos. ex vulnere moritur.* Quae quidem longe grauiſſima eſt offenſio. Nam Nemea dixerat, non ſane ea, quae acta ſunt Olympiadis CXLIII. primo anno exeunte, quod omnes temporis iſtius rationes penitus conturbaret et in M. Liuii C. Claudii conſulatum incideret: ſed ea Nemea, quae acta ſunt ſuperioris Olympiadis tertio anno ineunte, hoc eſt, A. V. C. 544. Ante Cycliaden praetor fuit Euryleon, de quo Polybius in excerptis: 10) Εὐρυλέων ὁ τῶν Αχαιῶν στρατηγὸς ἄτολμος ἦν καὶ πολεμικῆς χρείας ἀλλότριος. Tum vero, inquit, quia tempus eſt, vt ad res Philopoemenis progrediatur, recte ſibi factum videri, ſi mores et ingenium tanti ducis deſcriberet. Hoc dum perſequitur, καταφανὴς ὑπὸ τῶν Αχαιῶν ἱππάρχης ἐν τοῖς προειρημένοις καιροῖς. Vides eum Euryleone praetore, de quo paullo ante dixerat, etiam magiſtrum equitum fuiſſe? Non diſſiteor tamen, in excerptis Polybianis ſaepe difficultatem maximam nobis obuerſari, cum de tempore quaeſtio eſt. Nam cum ſaepe ab inſtituto recedat Polybius, tum vbi receſſerit haud facile deprehendas. Poteſt igitur fieri, vt Philopoemenes magiſter equitum fuerit tantummodo praetore Cycliada. Iſthuc tamen ex excerptis Polybianis manifeſtum eſt, Euryleonem praetorem fuiſſe tem-

7) l. XXVII. c. 31. 8) ib. c. 31. 32. 9) p. 360. 10) p. 1387.

Digitized by Google

pore aliquo inter expeditionem Hiſpanicam, P. Sulpicio, Cn. Fuluio Coſſ. et Nemea, quae Cycliade praetore acta demonſtrauimus, nullo ſane alio, quam 68. anno Achaico.

III. Iam tertiam praeturam quando geſſerit, Liuius teſtatum reliquit. P. Sulpicio Galba, C. Aurelio Coſſ. 1) Cycliaden praetorem fuiſſe tradit, cum Philippus rex ad Achaeorum concilium venit: *Conſultabant*, inquit, *de bello aduerſus Nabin tyrannum Lacedaemoniorum, qui translato imperio a Philopoemene ad Cycliaden, nequaquam parem illi ducem, dilapſa cernens Achaeorum auxilia, redintegrauerat bellum.* Decretum eſt eo in concilio, vt exercitus contra Nabin cogeretur. Simul Cycliadis alteram et Philopoemenis tertiam praeturam deprehendimus. Et Cycliaden artibus Philippi regis praeturam obtinuiſſe, Philopoemene repulſo, e Plutarcho conſtat. 2) Ante Philopoemenem praetorem fuiſſe Lyſippum, vide vt cognouerim. Plutarchus, 3) Lyſippum praetorem, Meſſeniis expugnatis ſcribit mouere non auſum eſſe in Spartanos: at Philopoemenem priuatum ſuis cum ciuibus Meſſenen hoſtium poteſtati eripuiſſe. Nullam notam temporis appoſuit: ſed hunc 79. annum Achaicum nobilem illa praetura fuiſſe ſic colligo. Polybius tradit, Machanida ſublato, Nabin Spartae inuaſiſſe tyrannidem et tres annos quieuiſſe ab externo bello, ciuibus opprimendis vnice occupatum, 4) quod tempus fere incidit hoc anno, cum Machanidas caeſus ſuperioris Olympiadis anno ſecundo exeunte. Iam Philopoemene praetore, quem ab ipſa neceſſitate legiſſe videntur Achaei, et Meſſene recuperata laeti, quieuit Nabis: Cycliade autem praetore, vt ait Liuius, redintegrauit bellum. Haec quia optime cohaerent, mouent me ſane, vt hoc, quo dixi, anno potius Lyſippum praetorem recenſeam, quam ſuperiori.

IV. Poſt

1) Liuius l. XXXI. c. 25. 2) p. 362. 3) p. 363.
4) p. 938.

Digitized by Google

IV. Post tertiam praeturam Philopoemenes cernens Philippum regem sibi aduersari, neque Achaeos sibi satis aequos esse, animis in Philippum plus quam in libertatem versis, profectus est in Cretam, vt Gortyniis operam in bello nauaret: Philopoemenem anno Achaico 82. profectum esse inuenio. Nam Pausanias scribit, eum exspectasse, donec noui magistratus legerentur, vbi sese excludi sensit, excessisse, et, vt Plutarchus declarat, eo maxime tempore, cum patriae periculum immineret a Nabide. 5) Quare cum Achaei Aristaenum praetorem auxilio misissent, Megalopolitani in Philopoemenem graues sententias tulerunt, tamquam in desertorem patriae, Aristaenus autem etsi ab eo in re publica dissidebat, tamen impediuit, ne quid grauius statueretur. Praetor autem Aristaenus (sic eum Polybius, 6) sic Liuius, sic Pausanias, qui Megalopolitanum fuisse tradit, vocant, quorum apud me maior est auctoritas, quam Plutarchi Aristaenetum vocantis) anno Achaico 82. fuit, vt mox demonstrabo. Erant autem bello Romano flagrante Macedonia, tres factiones in Achaia, vna res trahentium ad Philippum regem, principem habebat Cycliadem, altera Romanarum partium Aristaenum, Philopoemen solam rem publicam et libertatem complectebatur. Philippus rex vt tamquam mercede delinitis Achaeis magis obnoxiam sibi eorum rem publicam haberet, Cycliade praetore conditiones tulit de bello Spartano suis opibus conficiendo. Promissa regis insidiosa erant, eaue caussa ab ipso Cycliade sunt reiecta. L. Cornelio Lentulo, P. Villio Coss. hieme, aut potius primo vere in Achaiam legatos misit Philippus, *qui*, inquit Liuius, *iusiurandum*

5) Plutarchus p. 363. Pausanias p. 701. 702. 6) Ille quidem in excerptis Porphyrogenneteis p. 1421. etiam Ἀριστοκράτης appellat, hoc vero potius Graeculo Constantini grammatico, quam Polybio tribuerim. Ortus error, quod Aristaenetus Diaeus confunderetur cum Aristaeno Megalopolitano.

Digitized by Google

(ita enim pepigerant quotannis iuraturos in verba Philippi) exigerent; simul qui redderent Achaeis Orchomenon et Heraeam et Triphyliam. 7) Erat eo tempore adhuc praetor Cycliades, cui initio aestatis successit Aristaenus, qui et Megalopolitanos a Nabide liberauit et Romanam factionem defendens, Cycliaden pepulit. De ea re Liuius ita habet: 8) *Elatiam obsidenti consuli rei maioris spes affulsit, Achaeorum gentem a societate regia ad Romanam amicitiam auertendi; Cycliadem principem factionis ad Philippum trahentium res, expulerant, Aristaenus, qui Romanis gentem iungi volebat, praetor erat.* T. Quinctium Flamininum Cos. dicit. Is magistratum inierat Idibus Martiis. Iam licet eo tempore, tanta προσμπτωσις anni Romani, quantam Iosephus Scaliger et Dionysius Petauius quoque statuerunt, vt Ianuarius congruerit cum Septembri Iuliano, non fuit, expunxit enim hanc opinionem Ismael Bulialdus in epistola ad Gronouium patrem: tamen vnius mensis aut paullo amplius confusionem fuisse, nemo negare audit. Reuera igitur initio Februarii Iuliani ipsiusque veris A. Varroniano 556. consulatum iniit T. Quinctius. Venit autem Brundusio cum classe in Epirum maturius, vt ait Patauinus ille pater historiarum, quam ante eum soliti fuerant consules. Delectus et prodigia procuranda non ita multos dies eum retinere potuerunt Romae. Soluerit extremo mense Februario Iuliano, et post nauigationem, vt is habet, quadraginta dies moratus, vno collocutus cum rege, tertio post hunc diem in faucibus Epiri summo praelio decertauerit, ante Idus Apriles Iulianas, poterat victor discedere. Inde considera Liuium, quas res gesserit consul. Poterat circiter Kal. Maias obsidere Elatiam, eoue tempore cum populo Achaico agere per legatos, cum neque verna tempestas exisset, neque Aristaenus decessisset praetura. Fateor me quam arctissimis gradibus incedere in istius temporis vestigiis, sed ita me ipse

7) Liuius l. XXXII. c. 5. 8) l. XXXII. c. 19.

Digitized by Google

ipse Liuius cogit, qui adeo perspicue post ortum Pleiadum A. V. C. 556. Nicostratum fuisse praetorem demonstrat. Nam cum sequenti hieme Cos. ad Maliacum sinum prope Nicaeam Philippo cum rege colloqueretur, erat, vt Liuius refert, cum Philippo Cychiades ille praetorius Achaeorum exul, cum consule *Achaei duo Aristaenus et Xenophon.* 9) At cum ex iis ipsis hibernis consul Argos peteret ad colloquium cum Nabide, *eodem*, inquit, *Nicostratus Achaeorum praetor cum auxiliaribus paucis venit.* 10) Fuit igitur eo tempore Aristaenus priuatus, Nicostratus autem praetor. Exacto eo anno Achaico, seu vt Liuius, 1) initio veris cum Boeotis egit T. Quinctius, vbi etiam Aristaenus praetor Achaeorum auditus suadere Boeotis societatem Romanam. Initio veris nondum poterat inisse praeturam Aristaenus. At siue in tempore aliquantum aberrauerit Liuius, seu alia qua caussa Aristaenus maturius inierit magistratum, cogit tamen nos res ipsa, vt sic praeturas constituamus, vt in Fastis constitutas vides. M. Porcio, L. Valerio Coss. ab aestate praetorem fuisse Aristaenum, Liuius declarat. 2) Duxit enim illa aestate T. Quinctius aduersus Nabidem, Aristaenus autem cum Achaeis eadem in expeditione fuit. Poterat hic quoque nobis scrupulum iniicere Liuius, quoniam post hiberna Romana illico et concilium habitum de bello gerendo scribit, et Aristaenum praetorem nominat, tamquam superioris anni reliquam praeturam ea vere. At quod Liuium legenti occurret, tota illa aestate Aristaenus praetor Achaeos duxit. Vnus hac in re scrupulus, quod Liuius tradit, 3) cum T. Quinctius bello confecto et Nabidi tyranno Spartanisque pace data exercitum reduxit Elatiam in hiberna, Argiuos ludicrum Nemeorum indixisse. Haec Nemea sunt hiberna, anno primo Olympiadis exeunte, mensis hiemalis secundi die XII. At idem Liuius testatur, die stata propter belli

9) l. XXXII. c. 32. 10) l. XXXII. c. 39. 1) l. XXXIII. c. 1. 2.
2) l. XXXIV. c. 24. 25. 26. 3) l. XXXIV. c. 41.

Digitized by Google

mala praetermissum ludicrum, in aduentum Romani exercitus ducisque fuisse indictum. Nihil igitur scrupuli restat.

V. Redeo ad Philopoemenem. Hic vero tum maxime e Creta aduenit in patriam, cum T. Quinctius et Achaei Nabiden oppugnarent, illis Coss. illo, quo rem gestam esse demonstrauimus, anno. Testem habeo Plutarchum. 4) Is quidem etiam sic ait: ἐφ' ὃν εὐθὺς αἱρεθεὶς ἄρχων. At non ita festinauere Achaei in legendo duce Philopoemene, quod eorum animos profectione Cretica offendisset. T. Liuius 5) P. Cornelio, M'. Acilio Coss. praetorem Philopoemenem nauali praelio a Nabide victum scribit: is enim Antiochi regis aduentu elatus rebellauerat. Sed superiori aestate haec gesta fuisse et a Liuio duarum aestatum res coniungi, manifestum est. Nam cum M'. Acilium Cos. traiecisse refert, tum vero rebus istis inserit Diophanem praetorem, 6) qui res aduersus Messenios gesserit. Illis Coss. quoque Nabidem tyrannum cecidisse scribit Liuius, 7) tum vero *Philopoemen audita caede tyranni profectus Lacedaemonem, cum omnia turbata metu inuenisset, societati Achaeorum Lacedaemonios adiunxit.* Plutarchus quidem refert, cum exercitu eum venisse Spartam et partem vi, partem gratia effecisse, vt Achaici corporis esse vellent ciues, vt eum tunc praetorem fuisse tibi persuadeas: at Pausanias rem facit planissimam. 8) Commemorata enim Nabidis nece scribit, Philopoemenem aduolasse Spartam et coegisse Lacedaemonios, vt se attribui concilio Achaico paterentur, non multo post Titum adueniisse (T. Quinctium dicit, qui tum legatione fungebatur, minime vero, vt Pausanias habet, dux Romanorum eo bello fuit) et Diophanem Diaei filium Megalopolitanum, ἄρχειν ἐν τῷ τότε ἡγεμένον τῶν Ἀχαιῶν, *cui tum praetura mandata erat ab Achaeis*, Lacedaemonem inuasisse. Philopoemen vero,

4) p. 363. 5) l. XXXV. c. 25. 6) l. XXXVI. c. 31.
7) l. XXXV. c. 35. 8) p. 703. Plutarchus p. 365.

Digitized by Google

vero, inquit, καίπερ ἐν τῷ παρόντι ἰδιώτης ὢν, *quamquam priuatus erat eo tempore*, portas vrbis claudi iussit. Ob quod meritum cum multa a Lacedaemoniis Philopoemeni tribuerentur, ille pecuniam reiecit suasitque, vt ea potius Timolaum, qui in Achaico conuentu plurimum auctoritate valebat, amicum sibi redderent. Eandem rem attigit Plutarchus.

VI. Rursum praetor Philopoemenes Cn. Manlio, M. Fuluio Coss. Testis Liuius. 9) Graue eius decretum in Spartanos, videri ab iis foedus violatum: Spartani renunciandum societati decreuerunt mittendumque ad Fulvium Cos. Cephalleniam legatos, qui se suaque dederent Romanis. Ea causa ab Achaeis bellum Lacedaemoniis indictum: *ne extemplo gereretur, hiems impediit*, inquit Liuius. Habes notam temporis, vt intelligas, haec accidisse intra concilium auctumnale et initium hiemis. Nam paullo ante quae de loco concilii controuersia inter Philopoemenem et Damiurgos fuerit, a Liuio relatum est. Cum Fuluius Cos. aduolasset postulassetque, vt de controuersia cum Spartanis legatos Romam mitterent, missi Diophanes et Lycortas. Is omnia Senatui permisit, hic ex praeceptis Philopoemenis postulabat, vt Achaeis ex foedere et legibus suis, quae decreuissent, agere liceret. Responsum a Senatu ita perplexum accepere, vt Achaei omnia sibi concessa iudicarent. Hac veluti victoria elati Achaei bellum gerendum decernunt. *Philopoemeni*, inquit Liuius, *continuatur magistratus*. Eo in magistratu exules Spartanos reduxit Lacedaemoniosque Lycurgi disciplina repudiata, Achaeorum instituta sequi iussit, muros vt diruerent, alia multa immitia mandauit.

VII. Reliqua est septima Philopoemenis praetura, quam vide vt indagauerim. Lycortas praetor fuit P. Claudio, L. Porcio Coss. ita vt successorem habuerit Philo-

9) l. XXXVIII. c. 31.

Digitized by Google

lopoemenem octauum praetorem. Nam his Coss. tradit Liuius [10]) legatos, quorum princeps Appius Claudius fuit, missos et ad Philippum et ad Achaeos venisse, Lycortam autem praetorem iis Clitore in Achaia dedisse concilium. Polybii excerpta [1]) Olympiade CXLVIII. datum fuisse testantur, seu ipso initio praeturae. Missi sunt legati postquam initio illius anni, puta sub verem, Q. Caecilius ceterique legationem renunciauerant Consulibus Senatuique Romano. Ergo huic Q. Caecilio superiori anno Megalopoli dederat concilium populi Achaici Aristaenus praetor, [2]) cum a Philippo rege veniens Caecilius pro Lacedaemoniis disceptaret. Eo in concilio Diophanes cum Aristaeno sentiebat, cum Philopoemene Lycortas et Archon. Aristaenus vir, quantum Philopoemenes in armis, tantum ipse ciuili disciplina et eloquentia potens: Romanorum vero, cum res Achaea patiebatur, studiosissimus. [3]) Spectata fuit eius prudentia illo in concilio, in quo tum Caecilium, tum ceteros legatos audiuit. Erant legati alii, qui a Ptolemaeo rege, alii qui Roma a Senatu redierant. Vtrosque miserat Philopoemenes praetor. Ergo anno vno ante Aristaenum praetor septimum fuit Philopoemenes. Miserat autem Philopoemenes legatos Romam, postquam M. Lepidus Cos. ostenderat, Senatui displicere, quae in Lacedaemonios statuta fuissent, [4]) vt ex eo intelligas, quo anno praeturam gesserit Philopoemenes, qua in praetura belli Boeotici causas quaesiuit, paene vt in vim erumperet. [5]) Hunc in modum praeturas octo Philopoemenis ordinatas digestasque habemus.

VIII. Diodorus Siculus in excerptis Valesianis [6]) de Philopoemene sic scribit: Πολλάκις μὲν στρατηγίας ἠξιώθη, τεσσαράκοντα ἔτη τοῦ πολιτεύματος ἡγούμενος. Hi

10) l. XXXIX. c. 33. 1) p. 1188. 2) Polybius p. 1179. 3) ib. p. 1439. 4) Polybius p. 1173. 5) ib. p. 1174. 6) p. 298.

Digitized by Google

Hi quadraginta anni procedunt a decima tertia praetura Arati. Tunc quoque Plutarchus 7) eum annos natum triginta in praelio aduersus Cleomenem cum equitatu Achaico mirifice se extulisse scribit. Praelium ipsum a Polybio descriptum habemus. 8) Plane haec concordant. At ab eo tempore si dicas rem publicam tractasse Philopoemenem, nihil hoc ad praeturas, aut alium magistratum quem gesserit. Nam ab ipso praelio profectus est in Cretam, nec rediit nisi Euryleone praetore, cum illico magistrum equitum eum legerunt Achaei. Testis Plutarchus.

Caput Quartum.

De praetoribus post Philopoemenem vsque ad euersam rem publicam.

Lycortam dixi Philopoemeni suffectum necem eius esse vltum, tum continuatam ei praeturam videri. Quantum in eo fuit, rem publicam confirmauit in futurum. 9) Anno Achaico 101. eundem fuisse praetorem Lycortam, e Polybio, is Lycortae fuit filius, cognoui. Scribit enim in excerptis, 10) Ptolemaeum Epiphanem legatum misisse ad Achaeos cum amplissimis muneribus, vt societatem cum Achaeis iniret, firmissimam: Achaeos cupide recepisse et post concilium ipsos quoque destinasse legatos tum alios, tum Lycortam: hunc autem ea causa, διὰ τὸ κατὰ τὸν καιρὸν καθ' ὃν ἐποιεῖτο τὴν ἀνανέωσιν τῆς συμμαχίας ὁ Πτολεμαῖος, στρατηγοῦντα τότε συνεργῆσαι αὐτῷ, *quod cum foedus societatemque reparauit Ptolemaeus, ipse praetor fuit et enixe rem iuuit.* Igitur extremo tempore praeturae in concilio, in quo successor Lycortae datus est, de societate, inde etiam de Lycorta legato mittendo conuenit. Sed Lycortas fines

7) p. 358. 8) p. 208. seq. 9) Polybius p. 177.
10) p. 1215.

Digitized by Google

fines non exceſſit, διὰ τὸ μεταλλάξαι Πτολεμαῖον περὶ τοὺς καιροὺς τούτους. Deceſſit Epiphanes Olympiadis CL. anno ſecundo inito A. V. C. 575. Fuit igitur Lycortas praetor anno ſuperiori. Secundum Lycortam praetorem fuiſſe Hyperbatum Polybius teſtatum reliquit. 1) Is ex eorum factione fuit, qui Romanis fauebant, auctor mittendi Romam legatum Callicratem, omnium Achaeorum gratiſſimum. Callicrates vt rediit, quia nondum percrebuerat vulgo, quam pernicioſa adulatione Senatum Romanum armauiſſet in Graecos, praetor creatus eſt in ſequentem annum, vt excerpta Polybiana proditum memoriae reliquerunt. Quod poſtquam de Lycorta praetore proditum eſt in Polybii excerptis, mox excerpta ſequuntur de Hyperbato praetore, ea cum praefatione; ὅτι κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἀναδόντος Ὑπερβάτου τοῦ στρατηγοῦ διαβούλιον, id nondum nos ita certos de tempore relinquit. At poſtquam etiam de Callicratis praetura narratum eſt, tum vero in excerptis, C. Claudii, T. Sempronii Coſſ. expeditiones recenſentur, vt adpareat, nos veris annis praeturas adſignaſſe.

II. Eo tempore, cum iam moueret in Graeciam bellum Perſeus rex, Xenarchus praetor erat, haud obſcure iam antea non ſatis aequus Romanis, 2) nunc vero regem et res nouas non videbatur aſpernari. Incidit vero, vt e Liuio 3) intelligimus, praetura Xenarchi in aeſtatem, qua P. Scaeuola, M. Aemilius Lepidus Coſſ. fuerunt. Eodem teſte Liuio, 4) Xenarchi frater fuit Archon eiusdem in re publica ſectae homo, Aegirates, ſi is ipſe eſt Archon, quem Polybius tradit, 5) poſtea legationem in Aegypto obiiſſe. Hic praeturam geſſit eo tempore, quo Q. Marcius Philippus legatus Graecas ciuitates obiit, cum Perſeo collocutus eſt de induciis, Boeotorum commune diſſoluit et Argis in concilio ab Achaeis im-

1) p. 1216. 2) Polybius p. 1198. 3) l. XLI. c. 23.
4) l. c. c. 24. 5) p. 1228.

Digitized by Google

impetrauit, vt Chalciden praesidio suo tutarentur. Legatione ea Q. Marcius defunctus est κατὰ χειμῶνα, vt ait Polybius, 6) quod Liuius explicat, 7) *principio hiemis*. Et hic quidem legationem recenset P. Licinio, C. Cassio Coss. sed adparet plane, ante eos Coss. superiori aestate Q. Marcium fuisse in Graecia. Nam renunciata legatione principio veris P. Licinius Cos. in Graeciam cum exercitu profectus est.

III. Iterum praetor fuit Archon A. Achaico 112. Nam Polybius tradit, 8) A. Hostilium Procos. ex hibernis in Thessalia legatos misisse circum ciuitates, qui etiam ad Achaeos peruenerint. Datum iis est concilium Aegii. Ab eo profecti in Aetoliam et Acarnaniam. Dum hic commorantur, Achaei inter se consultant, quid facto opus sit. Decretum est, vt illico praeturam adiret Archon, attollentibus animos Achaeis, quod Hostilius superiori aestate rem male gesserat. Ea causa Romae quoque maturata sunt comitia creandis consulibus. Creati sunt Q. Marcius Philippus II. Q. Seruilius Caepio 9) ante diem V. Kal. Februarias, vt Pighius Liuium restituit. Archoni praetori, qui vt casum a re publica auerteret, Romanis auxilia mittenda esse suaserat, datus est magister equitum Polybius, 10) is cuius historias tanti facimus. Archonem praeturam magnis impensis sibi comparasse, Polybius quoque tradit.

IV. Magnae tum in Achaico populo erant auctoritatis, Arcesilaus, Ariston Megalopolitanus, Stratius Tritaeensis, Xenon Patarensis, Apollonides Sicyonius eiusdem cum Archone sententiae et Straton alterius factionis pro Perseo, Lycortas neutrarum partium. Erant praeterea etiam Diophanes, Hyperbatonus, Callicrates, Theodorides Sicyonius, Andronidas, Agesias, Aristodamus, Philippus, Lyciscus, Eureas, Charopus, Telecles

6) p. 1228. 7) l. XLII. c. 44. 8) Polybius p. 1241.
9) Liuius l. XLIII. c. 11. 10) Polybius. p. 1244.

Digitized by Google

cles Megalopolitanus, Anaxidamus, alii. Et quanta multitudo fortium et nobilium virorum fuerit, ex ipsa rei publicae ruina est cognitum, de qua equidem dicam paucis verbis, quia de historia rerum Achaicarum scribere non instituī. Callicrates, quem anno Achaico 103. praetorem fuisse ostendi, anno ante legatus cum esset Romae, cauillando criminandoque vulnera patriae retexit. Hic primum cognouere Romani, posse fieri, vt oppressa libertate Achaica ipsi soli omnia pro arbitrio agerent. In bello cum Perseo Achaicis auxiliis non admodum sunt vsi Romani, quod infidam societatem fore crederent, cum nonnulli e criminatione Callicratis suspecti essent. Confecto autem bello Macedonico, iam quasi per otium dissoluendi corporis Achaici consilia agitabant. Perseo deuicto ex Achaia legati Callicrates, Aristodamus, Agesias, Philippus, in Macedoniam venere gratulatum de victoria. Inde Q. Aelio, M. Iunio Coss. e decem legatis Romanis, qui ad ordinandas res Macedoniae venerant, C. Claudius, Cn. Domitius profecti sunt in Achaiam. 1) Ibi vero criminose accusati in concilio Achaei, tamquam Macedonicis rebus magis quam Romanis aequi, nominatique vno verbo omnes, qui bello cum Perseo rege praetores fuissent. Xenon autem magnae vir auctoritatis in concilio surrexit fiduciaque innocentiae, quoniam et ipse praetor fuerat, se vero ostendit adeo nihil in Romanos deliquisse, vt vel Senatum Romanum iudicem non reformidet. Hoc dictum arripuit legatus Romanus, iussique Romam venire ad caussam dicendam Achaei mille et ampliùs. 2) Ἐξρατήγησα μὲν Ἀχαιῶν καὶ ἐγὼ, inquiebat Xenon apud Pausaniam, cui autem anno eum ego praetorem adscribam? Quoniam C. Popilio, P. Aelio Coss. bellum indictum est Perseo, aut ante priorem Archonis praeturam, cum glisceret bellum, aut ante secundam Archonis praeturam, cum et gestum est et confectum. Quo me vertam nescio.

Post

1) Polybius p. 1284. Liuius l. XLV. c. 31. 2) Pausanias p. 548. 549.

Digitized by Google

Post septimum et decimum annum trecenti et paullo etiam minus, qui soli ex omni illo numero supererant, dimissi sunt e carceribus, cum satis poenarum luisse viderentur. 3) Dimissi sunt igitur L. Marcio, L. Calpurnio Coss. Inde controuersiae cum Lacedaemoniis. Missus est Sulpicius Gallus, qui Lacedaemonios Argiuosque disceptantes conciliaret: is caussam reiecit ad Callicratem, ipse ex auctoritate Senatus quam potuit plurimas ciuitates ab Achaico concilio quellere instituit. Fuit igitur tum praetor Callicrates. Modo item constaret, quo anno C. Sulpicius Gallus consularis legatus fuerit in Graecia. Constat autem ex excerptis Polybianis 4) et Diodori Siculi, 5) et ex Polybii excerptis Peireſcianis, 6) eum A. V. C. 598. apud Sardes legatum de Eumene rege iudicium quam acerrime exercuisse. Videtur igitur superiori anno fuisse in Achaia. Nam Polybius Peireſcianus sic de eo: C. Gallus χωρὶς τῶν ἄρτι ῥηθέντων ἀλογημάτων παραγενόμενος εἰς τὴν Ασίαν. Nulla sane alia imprudenter facta, quam quae in Achaia perpetrauit. Fuit igitur Callicrates praetor anno Achaico 115. veluti in mercedem proditionis magistratus ei delatus sit ab Achaeis Romano fulmine attonitis. Tandem Athenienses Oropios adflixerunt: Oropii Achaeos Menalcida praetore acciuerunt, e quo fonte extrema calamitas manauit. Habeo auctorem Pausaniam et ita habeo, vt extremae praeturae ex eo referri possint.

V. Menalcidas Spartanus, Diaeus, Damocritus, Diaeus iterum, Critolaus, Diaeus tertium, praetores successerunt, teste Pausania. Horum praeturae ordinandae sunt. Incipiam a Critolao. Ad hunc praetorem legati venere Romani, qui concilium gentis sibi vt daretur, postularunt. Critolaus eos reiecit ad sextum mensem et statum gentis concilium sub auctumno. 7) Venerunt igitur legati sub ipsis auspiciis praeturae. Inde Critolaus con-

3) Pausanias f. 549. seq. 4) p. 1298. 1299. 5) legat. 21. 6) p. 144. 7) Pausanias p. 557.

Digitized by Google

consentum Achaeorum Corinthi indixit, vbi bellum esse gerendum cum Romanis decretum est. Q. Caecilius Metellus, pro praetore is Macedoniam tenebat, accepto nuncio, L. Mummio Cos. bellum mandatum Achaicum, maturandum duxit, vt belli Achaici confecti gloriam praeciperet. Primum per nuncios Achaeis edixit, vt quosdam alios populos, qui se a concilio Achaico seiunxerant, sui iuris esse paterentur, sic commissorum veniam consecuturos et aequas pacis conditiones. 8) Interea Metellus copias deducit e Macedonia, Critolaus vero pacis mentione repudiata Heracleam obsidet. Aduentante iam ex Macedonia Metello, Scarphean recedit. Ipso in itinere Metellus hostes assecutus cecidit. Critolaus nusquam neque inter viuos, neque inter mortuos repertus est. Liuius 9) veneno sibi mortem conscisse prodidit. At Pausanias in palude ad Oetan montem forte demersum putat et incertus animi, multa alia in eum modum se suspicari posse ostendit, vt, quod verissimum sit, non adpareat. Hanc cladem alii ad Heracleam, alii ad Scarphean, Liuius ad Thermopylas acceptam ferunt. Scilicet inter Heracleam et Scarphean Thermopylae interiectae sunt, quas iam traiecerat, teste Pausania, Critolaus, cum eum Romani consecuti essent, vt clades illa ab tribus locis commode insigniri queat. Refellendus mihi quoque vno verbo est Flori error, 10) qui sic fatus est: *Critolai manum Metellus Cos. per patentes Elidis campos toto cecidit Alphaeo et vno praelio peractum erat bellum.* Nihil vsquam sani. Neque enim in Elide, sed longe extra Peloponnesum prope Macedoniam pugnatum est: neque vno certamine confectum bellum: neque Q. Caecilius Cos. fuit, sed pro praetore Macedoniam ordinauit. Fuit enim praetor Macedoniae A. V. C. 606. vicitque Andriscum Pseudophilippum. Iulius Obsequens in prodigiis, Sp. Postumio, L. Pisone Coss. Olympionicon synagoge ad primum

8) Pausanias p. 558. 9) Epit. 52. 10) l. II. c. 16.

Digitized by Google

mum annum Olympiadis CLVIII. praetorem rem geſſiſſe, Velleius Paterculus, immo alii omnes produnt. Eodem tempore, dum in Macedonia Metellus praetor bello perſequitur Andriſcum, Damocritus praetor Achaeorum nouus Spartanos petiit, vt Pauſanias refert. 1) Iam cum Damocritus A. Achaico 133. praetor fuit, Diaeus autem anno poſt rebus Achaicis praefuit, vt e Pauſania conſtat, tum vero Diaeum excepit Critolaus, vides Critolaum A. Achaico 135. lectum praetorem, eadem aeſtate fuſum ad Thermopylas eſſe. Diaeo praetore, A. Achaico 132. legatis Romanis Corinthi datum concilium, in quo cum eſſent propemodum violati, ignominioſe vtique habiti, cauſſam excidio vrbis praebuere. 2) Nam etiam hic in Floro error refellendus: *Critolaus cauſſa belli, qui legatos Romanos, dubium an manu certe oratione violauit.* Diaeum dicere oportuit: Critolaus legatis Romanis in concilio nullum reſponſum dedit, iuſſis redire poſt ſextum menſem: neque tamen vel verbo vel re moleſtus fuit. Iam et Menalcidae praeturam et Diaei primam vides recte collocatam. Mutuo enim ſeſe omnes illae praeturae, quas produximus e Pauſania, exceperunt. Poſtquam Critolaus cecidit, Diaeus, *Achaici motus primus auctor*, vt vere Liuius, ei ſuffectus, copias collegit et *ad Iſthmon a L. Mummio Coſ. victus eſt*, vt habet epitoma Liuii. Nam Metellus per Thebanum agrum, Megaram, inde ad Iſthmum duxit. Dum ſe ad praelium accingit, Mummius Coſ. in caſtra venit. Sic Pauſanias. 3) Florus: *Et vno praelio peractum erat bellum: iam et vrbem terrebat obſidio, ſed cum Metellus dimiſſet, ad victoriam Mummius venit.* Et S. Aurelius Victor: 4) *L. Mummius aduerſus Corinthios miſſus, victoriam alieno labore quaeſitam intercepit: nam cum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudiſſet et duce*

1) p. 554. 2) Pauſanias p. 556. 3) p. 560. 4) In viris illuſtribus c. 60.

Digitized by Google

duce Critolao priuaſſet, cum lictoribus et paucis equitibus in Metelli caſtra properauit et Corinthios ad Leucopetram vicit duce Diaeo. Fuit ſane in his rebus diſſenſio ſcriptorum claſſicorum, ne quid ab his, qui infra claſſem ſunt, confictum putes. Nam in hiſtoria miſcella, 5) Metellus praetor dicitur Achaeos Boeotosque ſocios duobus praeliis fudiſſe, vno ad Thermopylas, iterum in Phocide, illic viginti millia, hic ſeptem caeſa. Claudium puta Quadrigarium ea referre. *Valerius Antias*, inquit, *in Achaia pugnatum et viginti millia Achaeorum cum duce ſuo Dieuco cecidiſſe confirmat: at vero Polybius Achiuus, quamuis in Africa cum Scipione fuerit, tamen quia domeſticam cladem ignorare non potuit, ſemel in Achaia pugnatum cum Critolao duce adſerit: Dieucum vero adducentem ex Arcadia milites ab eodem Metello oppreſſum cum exercitu docet: igitur poſt exſtincta totius Achaiae praeſidia everſionem vrbium Metello praetore meditante, Conſul Mummius repentinus venit in caſtra.* Dieucus ſcribarum vitio eſt Diaeus praetor. Ceterum facile vides, Liuii hoc eſſe fragmentum corruptis deprauatisque verbis, vt multa ſunt alia in hiſtoria miſcella et Paullo Diacono. Controuerſum reliquit Liuius, Metellusne an Mummius praelio vicerit Diaeum. Pauſanias autem 6) Mummium tradit pepuliſſe Diaeum, Diaeum fugiſſe Megalopolin et occiſa vxore, venenum hauſiſſe: Mummium die poſt pugnam ad Corinthum adfuiſſe, portisque apertis in ſumma perturbatione, non auſum ingredi, quod inſidias metueret: tertio die vi cepiſſe et incendiſſe vrbem. Plinius: 7) *Capta eſt Olympiadis CLVI. anno tertio, noſtrae vrbis* IↃ CVIII. Hic annus vrbis conditae nos admonet, Olympiadem CLVIII. ſcriptam fuiſſe a Plinio. Olympionica Scaligeri ad Olympiadem CLVIII. 3. κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, ὡς τισι δοκεῖ, Κόρινθος κατὰ Μουμμίου κατεσκάφη, et anno quarto, triumphum L. Mummii de Achaeis et Corinthiis ponunt.

5) p. 25. ed. Murat. 6) p. 569. 7) LXXXIV. c. 2.

Digitized by Google

ponunt. Sic Velleius Paterculus 8) eodem anno et Carthaginem et Corinthum excisam scribit Cn. Lentulo, L. Mummio Coss. Ad Olymp. CLX. cum stadio vicit Diodorus Sicyonius, annum primum, Antitheo archonte, eadem Olympionicon synagoge κατὰ τινας Μούμμιος τὴν Κόρινθον καθεῖλεν. Id quale sit, Pausanias declarat, 9) cum eodem anno, eodem archonte, ne stadionica quidem alio adscripsit: ὁ δὲ πόλεμος ἔσχεν οὕτως τέλος. Igitur e Pausania hoc inseruit Scaliger. Nam excisa Corintho, clades belli etiam alias vrbes absumsit et forte Olymp. CLXI. primus praetor Romanus missus est in Achaiam. L. Mummius Cos. quidem omnem e ciuitatibus popularem statum sustulit, remque publicam tradidit optimatibus, concilia quoque singularum vrbium dissoluit: non multis tamen annis post, Romani sui cuique genti concilia restituerunt. Haec cum commemorauit Pausanias, ἡγεμὼν δὲ ἔτι, inquit, καὶ ἐς ἐμὲ ἀπεσταλλετο. Praetorem dicit Achaiae, cui etiam Graecia parebat, quae quondam Achaeos habuerat principes.

DE
VARAGIS.

Principio Russi reges ex Varagis habuere. Pulsis iis, Gostomislus Slauico ex genere principatum tenuit et intestinis dissidiis infirmum et a Varagorum adflictum potentia. Illius ex consilio Russi regiam domum ab Varagis reuocarunt: Ruricum, inquam, et fratres. Inde iam Varagorum non infrequens memoria in Annalibus Russicis, sed tantum amicorum et sociorum nominis Ruthenici, quiue sub regum Russiae stipendiis militarint,

8) l. I. c. 12. 13. 9) p. 563.

Digitized by Google

aut palatinis officiis sint defuncti. Quod nomen fuerint Varagi, vbi coluerint, nemo est, qui sic explicuerit, vt illius in sententia penitus acquiescam. Sunt ex scriptoribus Ruthenis, quos ad manus habeo, qui, quando Ruricum a Varagis venisse tradunt, huic loco interserunt, *ex Prussia venisse*. Hi quidem omnes Ioannis Basilidis Regis temporibus fuere, aut postea. Quare Chronographus anonymus in synopsi, vt aliquid ad huius sententiae honorem adiiceret, *ex Prussia*, scribit, *aliquem Kurfistra* (*Churfürst* seu *Electorem*) *et Magnum ducem*, *Ruricum numine accitum esse*. Scripsit igitur post A. C. 1612. cum Ioannes Sigismundus Elector, Prussiae ducatum domui suae diuinxisset, crediditque, eundem in Prussia statum ante tot secula fuisse. De Prussia sane Ioanni Basilidi Regi id ipsum persuasum fuisse, Paulum Oderbornium et Petrum Petreium auctores habeo. Sed et quaedam istius Regis cum Alberto Duce acta exstant, ex quibus tota res et opinionis istius quasi lacerti magis adparent, quae autem aequo animo dissimulare possum, quando opinioni illi alia infinita fere obstant. Matthaeus Praetorius 1) quidem eam gratanter accepit, vocem e Prutenico sermone interpretatus, tamquam si Varagi essent *Vareiis*, quasi *compulsi*. Potuisset eodem referre *Wargen* pagum agri Sambiensis veteri rerum celebritate et *Rus* fluuium proxime a Memela. Me vero, vtut patriae impense faueo, tamen ille rumor ne similitudine quidem veri suffultus, non delectat. Si quid praeterea est, quod cuiquam in Praetorio possit placere, id ipsum prolata confirmataque sententia mea, displicebit. Et Praetorius vero Prussos veteres cum Slauicarum gentium stirpibus confudit: quod eum dolo malo feciisse, vt Polonis assentaretur, demonstrare possum. Populum Prussicum duobus fere ante Ruricum seculis hac in regione, eundem fuisse, quem postea Equites Teutonici subiugarunt, hoc est, corporis eiusdem cum Lithuanis, Curonis

1) In Orbe Gothico l. II. 2. 6.

Digitized by Google

nis, Lettis, diuersae autem a Slauicis gentibus stirpis, adeo possum confirmare, vt nullius hominis dissensionem pertimescam. Quare quod hac in opinione plausibile est maxime, cum Praetorius Russos ex sui sanguinis populo principem repetiisse concludit, id me minime omnium perturbat. Sed quidam Rutheni adiiciunt amplius, 2) illum Prussicum principem Ruricum genus duxisse ab Caesaris Augusti germano, qui in Prussia fortunas suas collocarit. Fabula est, digna istorum temporum ingenio, quod vetustis monumentis intemperanter abutebatur ad coniecturas suas, coniecturas edebat pro certa fama. Vincentius Cadlubco episcopus Cracouiensis fundamenta iecit necessitudinis illius Augustae domus cum familia regum Polonica *Koszyrko*, quam ante Piastum ponit. Lesconem tertium scribit, C. Iulium Caesarem tribus praeliis vicisse, P. Crassum apud Parthos (nam et Parthis et Getis et nescio quibus Transparthanis rex fuit Lesco) cum omnibus copiis deleuisse: Caesarem eidem Iuliam sororem in matrimonium elocasse: dotis loco fuisse Bauariam: contra Iuliae a Lescone datam esse Sambiensem in Prussia prouinciam. Si quaeras, a qua coniectura Vincentii ista profecta sint, ipse tibi quasi digito monstrat. Lublino antea Iulinum nomen fuisse Vincentius credebat: confudit enim Iulinum Slauicam ad mare Balthicum vrbem cum Lublino, propter vocis congruentem sonum. Nempe, vt illo credebat, a Iulia: inde iam cetera eodem trahenda erant. Stomachum haec mouere possunt, cum viscerum omnium doloribus, donec illa tam cruda eiecta fuerint. Alia via Petrus Teutoburgicus, 3) homo non adeo vanus, Prussicis rebus Romanas admiscuit. C. Caesarem scribit, in Prussia bellum gessisse. Inductus in opinionem illam est, quod de Drusi et Germanici Caesarum expeditionibus in Glessarias insulas legerat. Nam et Erasmum Stellam Glessariae insulae fefellerunt. Ex-

2) Conf. Petreium in Chronico Moscouitico parte II. p. 139. seq. 3) Historiae Prussicae p. 41.

Digitized by Google

portari monſtroſos hos ingenii partus oportet aliquam deſertam in inſulam, quia veris hiſtoriis peſtem portendunt. Mirum tamen eſt, quam fecundae tales fuerint fabulae. Nam cum iſta exſtarent apud Polonos de neceſſitudine Auguſtae domus et de Romanis in Pruſſia expeditionibus, iam expedita erat via, ſimul cum Iulia, tamquam Auguſti Caeſaris ſorore, etiam fratrem aliquem germanum deducendi ab Roma, inde Ruricum illius ferum nepotem ex Pruſſia.

Sigismundus Herberſteinius, 4) cum videret, Varagos a Ruſſis trans mare Balthicum poni et partem illius maris, quod inter Ingriam et Finniam ſitum eſt, *Waretzkoie more*, *Varegium mare* appellari, ab ſuperiori ſententia, quam ipſe forte primus in Ruſſia diſſeminauit, tandem alio diuertit animum. Prope Holſatiam *Vagriam* reperiebat, et *Vagros*, teſte Adamo Bremenſi, Slauonicum populum. Habebat congruentiam nominis, rem leuiculam, niſi firmioribus fulcris muniatur. Attamen Bernardus Latomus et Fridericus Chemnitius et qui eos ſunt ſecuti, hoc primum omnium poſuere tamquam certum. Et quia inuenerant Ruricum circiter A. C. 840. fuiſſe, ergo qui tum principes in Vagris et Obotritis floruerint, quaeſiuere. Et cum Vitislai regis filii fuere duo, alter Thraſik, cuius liberi eſſent noti, alter Godelaibus, cuius liberi non ederentur, huic Ruricum, Treburem et Sinaus tranſcripſerunt. Quod praeter nomen in hac coniectura Herberſteinio placuit, Vagrios Slauonici corporis Ruſſorum neceſſarios fuiſſe, id ipſum in controuerſia poni poteſt. Nam his Slauicis populis permiſti fuere alii, qui cognatione attingerent Pruſſos et Lithuanos, vt certe Veruli, forte et Vendi. Quidquid Lithuanici illorum in ſermone eſt, vt eſſe adparet, ab veteri ſtirpe generis permanſit, Slauonica admiſta ſunt ab accolis, per quos cincti et a neceſſariis ſuis plane excluſi fuere. Si quis Vagrios his ipſis accenſere velit, non ſatis

4) Rerum Moſcouiticarum p. 3. ſeq.

Digitized by Google

tis idoneam video Adami Bremenſis auctoritatem, vt nos ab adſenſu retineat. Inuenio quidem apud Helmoldum, 5) Vagrios in mari Balthico piraticam exercuiſſe, vt, ſi cui libet, nauibus eos deducere, poſſit in Ruſſiam et vel vim eorum atque metum iniicere. At teſtem habeo Saxonem Grammaticum, 6) Slauonos omnes illo in littore piraticam ſerius inſtituiſſe et perraro adhuc Suenonis Tiuffeskegi regis temporibus, circiter A. C. 985. Quare ne ſatis quidem adparet, quid commercii his Vagriis cum Ruſſis fuerit.

Multa alia in mentem venerunt aduerſus ſuperiores ſententias, quae fiducia meae opinionis, quam nunc expoſiturus ſum, conſulto praetermiſi. Aio igitur, Varagos Rutheniçorum ſcriptorum, fuiſſe ex Scandinauia Daniaque homines nobiles, ſocios in bellis et ſtipendiarios milites Ruſſorum, regum ſatellites: limitum cuſtodes, rebus etiam ciuilibus et magiſtratibus admotos: ab iis deinde in vniuerſum omnes Suedos, Gothlandos, Noruagos, Danos dictos fuiſſe Varagos. Et primum quidem Ruſſici annales quamquam ab Rurico exordiuntur, tamen tenuem memoriam admiſcent, eum ex ſuperiorum Ruſſiae regum, qui et ipſi Varagi fuerint, proſapia exſtitiſſe, pulſos autem a Goſtomislo fuiſſe hos ex eo ſanguine reges. Iam vetuſtae Suedorum et Noruagorum ſagae non ita penitus ſunt explodendae, vt, cum Gardarikiae et Holmgardiae, hoc eſt, Ruſſiae reges ante Ruricum nominant, quamquam multa etiam ex vano hauriunt, earum memoria rerum fide digna ſit nulla. Alii loco atque tempori haec ediſſerere magis conueniet; nunc ex Annalibus Francicis Bertinianis 7) locum adponam cum primis inſignem. Ita anonymus ad A. C. 839. Theophilus Imperator Conſtantinopolitanus *miſit cum eis* (cum legatis ad Ludouicum Pium Imp.) *quosdam, qui*

5) p. 6. ed. Bang. 6) p. 186. 7) Apud Duchesnium t. III. p. 195. b

se, id est, gentem suam, Rhos vocari dicebant: quos rex illorum Chacanus vocabulo, ad se amicitiae, sicut asserebant, caussa direxerat, (sine dubio secundo Borysthene nauibus) *petens per memoratam epistolam, quatenus benignitate Imperatoris, redeundi facultatem atque auxilium per imperium suum totum habere possent: quoniam itinera, per quae ad eum Constantinopolin venerant, inter barbaras et nimiae feritatis gentes immanissimas habuerant, quibus eos, ne forte periculum inciderent, redire noluit: quorum aduentus caussam Imperator* (Ludouicus) *diligentius inuestigans, comperit, eos gentis esse Sueonum, exploratores potius regni illius* (Constantinopolitani) *nostrique, quam amicitiae petitores ratus, penes se eo vsque retinendos iudicauit, quoad veraciter inueniri possit, vtrum fideliter eo nec ne peruenerint: idque Theophilo per memoratos legatos suos atque epistolam intimare non distulit et quod eos illius amore libenter susceperit, ac, si fideles inuenirentur et facultas absque illorum periculo in patriam remeandi daretur, cum auxilio remittendos: sin alias, vna cum missis nostris ad eius praesentiam dirigendos, vt, quid de talibus fieri deberet, ipse decernendo efficeret.* Habes gentem Rossicam ante Ruricum, cuius nominis multo quam Annales Russici edunt, antiquioris, auctores Graecos alio loco producam: habes regem tanta maiestate, vt خاقان *Chakan*, seu *Imperator* et Αὐτοκράτωρ iam tum diceretur: vides hos legatos Rossicos ab stirpe fuisse Sueonas.

Inde autem ab Rurico, omnia nomina Varagorum in Russicis annalibus conseruata, nullius alterius sermonis magis sunt, quam Suionici, Noruagici, Danici: neque vero obscure et parce, vt me quis cauillari putet. Videamus primorum ex Varagis regum nomina. Habemus primum omnium *Ruricum*. Cuius id nomen populi est, nisi Scandinauici aut Danici? *Ruricum* regem Daniae quintum et decimum Saxo Sialandensis citat.

f) Is

8) Is Erico regi, seu regis monacho, in historia Daniae *Rorik*. In serie Runica regum Daniae ab Olao Vormio edita, *Rorek*. In Noruagis celebris est *Hrorekur* seu *Rorekur* Haraldi Pulchricomi filius: 9) eodem tempore rex Heidemarkiae in Vplandia 10) *Hrorekur* et *Rorek* fuit. Et *Rorek*, quem Olaus S. rex Noruagiae vicit. 1) Olaus Verelius sub finem historiae Herraudi et Bosae inter cetera veteris gentis nomina e lapidibus Runicis edidit *Rorikr* et *Rurik*. In Germania quoque *Ruricus* archiepiscopus Rothomagiensis in priuilegio monasterii S. Remigii a synodo Senonensi confirmato. 2) Forte idem nomen, quod apud Germanos fuit *Rugerik* et *Rogerik*. Rurici fratri *Trewur*, *Trubar*, *Trowur* nomen fuit, vt Ruthenicae habent historiae. Saxoni Grammatico 3) in ducibus Ringonis regis Suediae contra Haraldum Hyldetand: *Ivarusque cognominatus Thruwar*. Stephanus Stephanius 4) ex veteri codice Danico: *Iver Truere*. Alterius fratris *Sineus* nomen in septemtrionalibus nondum reperi. Fuere autem nomina propemodum infinita: neque satis constat, an hoc a Russis corruptum non fuerit. Apud Saxonem Grammaticum 5) et Ericum regem 6) est rex *Snio*, ab isto nomine non abhorrens.

Mansere nomina Scandinauica etiam in Rurici posteritate et domo. Exemplo est filius *Igor*, vt eius nomen Russi enunciant: nam Constantino Porphyrogennetae est Ιγγωρ *Ingor*, Liuthprando Tizinensi, Sigeberto Gemblacensi, Eggehardo Vragiensi, *Inger*. Ita Liuthprandus Constantinopoli pronunciari audiuerat. Et Russi recte et Graeci, si septemtrionales audias. In saxo, quod Henricus Curio in monumentis lapidum Runicorum

8) p. 47. 9) Snorro Sturlson in Ynglingorum historia t. I. p. 96. 113. 10) ib. p. 410. 469. 1) ib. t. I. p. 487. 2) Dacherii Spicilegium t. I. p. 595. secundae edit. 3) p. 144. 4) p. 171. 5) p. 157. 6) p. 265. ed. Fabr.

Digitized by Google

ex Laurentii Burei schedis edidit: *Sigvidr et Ingvar et Iarlabangi incidi runas curarunt patri suo Inguar et fratri suo Ragnwalt.* Apud Ericum regem et Hermannum Cornerum 7) *Inguar* rex Danorum: idem Saxoni Grammatico 8) *Ivarus.* Apud Snorronem Sturlaeum 9) *Inguar* rex Fiedrundiae: eidem 10) etiam *Iuar*, vt apud Verelium quoque ex runis. Heruorar saga, 1) *Ifuar Vidfarni et Ifar.* In Teutonicis quoque Iustus Georgius Schottelius, 2) diligentissimus talium explorator, inuenit *Inguer* et *mansionis tutelam* explicuit. Venit mihi hoc loco in mentem Constantini Porphyrogennetae auia. Leo Grammaticus 3) Εὐδοκίαν τὴν Ιγγιείναν et Εὐδοκίαν τοῦ Ιγγερος vocauit. Georgius Monachus 4) τοῦ Ιγγερος. Simeon Logotheta 5) Ιγγηρος. Michael Glycas 6) et Zonaras 7) τοῦ Ιγκηρος. Leontius Byzantius, aut quisquis Basilii Macedonis vitam scripsit, seu magis panegyricum, cum de Basilii nuptiis fatur, *data est ei*, inquit, 8) *in matrimonium* ἡ θυγάτηρ τοῦ παρὰ πάντων ἐπ' εὐγενείᾳ καὶ φρονήσει λαλουμένου τότε Ιγγερος, *filia Ingeris, qui tum ante omnes alios ob nobilitatem et prudentiam colebatur:* Cedrenus, 9) qui hunc auctorem fere sequitur, addit τοῦ γάνους καταγομένου τῶν Μαρτινακίων, *stirpis Martinaceae.* Quam nobilis ille Inger fuerit, viderit Leontius et de Martinaceo genere Cedrenus: nomen vtique peregrinum est. Et quidquid visum sit adulatoribus, oportet stirpem eius non nobilem in Graecia fuisse, e qua stirpe Michael Imperator Eudociam, cum ob pulchritudinem et prudentiam deperiret, ducere tamen non est ausus. Malim vero Scandinauici generis fuisse Ingerem, quam alterius: nomen enim Scandinauicum

7) p. 482. ed. Eccardi. *Inguar* Olaus Vormius in lexico Runico explicat, *fortem virum.* 8) p. 176. 9) t. I. p. 43. 10) p. 98. 1) p. 179. 2) De lingua Germanica p. 1067. 3) p. 464. 471. 4) In nouis Imperatoribus p. 544. 5) p. 455. 6) p. 297. 7) p. 165. 8) p. 147. 9) p. 565.

Digitized by Google

cum est. Neque ei Scandinauicam nobilitatem adimo, vt fere nobilissimus quisque indidem solitus est petere Byzantium: Graecam non concedo. Et licet Byzantii Inger vel ex illustrissima gente vxorem duxerit Eudociae matrem, tam, vt ait Liuthprandus, 10) *Graeci in geneseos, nobilitate, non, quae mater, sed quis pater fuerit, inquirebant.*

Ingoris regis Russorum, vt ad eum redeam, filius *Suiatoslaus*, nomen plane Slauonicum est, si sic, vt Russica monumenta habent, enuncies. At Constantinus Porphyrogenneta, Cedrenus, Zonaras, Ioannes Curopalata, Σφενδοσθλάβον *Sphendosthlauum* seu *Suendoslauum* dixerunt, quod videri potest hibridum esse, extremo Slauonico, principio Normannico *Suen*, multis in nominibus. Nam et componunt Normanni huncce in modum. Habemus in Dania *Suenottonem* regem, apud Germanos *Suendeboldum* et *Suendebordum* Lotharingiae regem, 1) et *Suenebildin* abbatem Heruordensem. 2) Σθλάβους Graeci Constantini Porphyrogennetae aetate et postea, dixere *Slauos*. Reliquum manet *Suen* et *Suendo*, cum exitu ad componendam vocem idoneo. Non nego, *Suiatoslaum* et *Suendoslaum* Slauonice et quidem percommode dici *sanctae gloriae virum:* sed cum sanctitatis nomen populo profano quantum notum fuerit, non apparet, potest fieri vt e Normannico sit corruptum. Nam et *Vlodimer* nomen, vt nunc Russi enunciant, quamquam Slauonicum videtur esse et commode explicari, tamen simili dubitatione incertae originis inuoluitur. Slauoni olim *Vladimir* dixerunt, vnde Cedreno Βλαδίμηρος. Dithmaro Merseburgensi, qui id nomen a Polonis pronunciari ipsius aetate Vladimiri audiebat, et Eggehardo Vragiensi *Vlademir*, *Vladamir*, *Valdemar*. Snorroni Sturlaeo 3) *Valldemar*. Sic

10) l. V. c. 6. 1) Hermannus Cornerus p. 509. 504.
2) ib. p. 449. 3) t. I. p. 196.

Sic item auctori *Vilkinae ſagae* a Peringskiöldo editae, qui, cum Valdemarum Ruſſiae regem Theodorici Veronenſis aetati immiſcet et noua praeterea nomina Pruſſiae aliarumque regionum eodem traducit, adeo fabulam ſuam prodit, vt vix nominandus ſit nobis. Sicuti *Vlodimir* Slauonicum eſt, ita *Valdemar* et Normannicum et Teutonicum. Schottelius in Teutonicis nominibus, *ſiluae praefectum* explicat: quod nobis non placet. Illis enim temporibus *wal* dicebatur, *campus*, *in quo acies hoſtiles concurrunt*, vnde adhuc *Wahlſtadt*, *campi* ſeu *aciei locus*. Poema de amiſſione terrae ſanctae: 4)

Do man des tags
Manches ſtiches vnd ſlags
Auf den wal het gepflegen.

Vbi eo die multi vulnerati ſunt et caeſi in (*wal*) *aciei campo*. Eodem in poemate: 5)

Dy chomen taugenleich
Auf daz wal geſlichen.

Hi parati ad pugnam venerunt in (*wal*) *aciei locum*. Chroniçon rhythmicum ducum Brunſuicenſium: 6)

Alder de Keiſer Otto bald
Behilt de wal vnde den ſege.

Vbi mox Otto Caeſar obtinuit aciem et victoriam. Inde in Capitularibus Baluzii 7) *walaraupa*, *aciei* ſeu *caeſorum in acie ſpoliatio*, et in legibus Aethelredi regis *wealreaf*, apud Verelium *valruf*. Inde *valhalla* ſeptemtrionalium, de quo Ioannes Georgius Keysler diligentiſſime diſputauit: 8) inde *valur*, *ſtrages*, et Odini nomen *walfader*, *aciei pater*, et *waltodur*. Inde *Valpotus* quo-

4) p. 1528. ed. Ecc. 5) p. 1537. 6) p. 127. ed. Leibn.
7) t. I. p. 136. 8) In Antiquitatibus ſeptemtrionalibus p. 127. &c.

Digitized by Google

quoque, vetus familia, ex qua primus magiſter Ordinis Teutonici. Rhythmus de S. Annone Colonienſi: 9)

Ci dere burg vili dikki quamin
Di Waltpodin vane Rome,
Di dir oug er dar in lantin
Veſte burge habitin
Vurmiz vnti Spiri

Martinus Opitius explicat *Gewaltboten*, *legatos*, *praeſides*, *curatores*, ac putat inde eſſe *walten* et *Vualtarium* in Kapitulo Caroli M. Malim a *wal* et *pot*. Kero monachus S. Galli: *Kipoot*, *praecepit*, *Kipot*, *praeceptum*. Dicebant autem veteres omnibus in vocibus eius naturae et rationis, non tam *kebot* et *gebot* quam *kbot* et *gbot* vna ſyllaba, vt Heluetii etiam nunc. Eſt igitur *Valpot*, *aciei praefectus*: nam illa ipſa familia, cuius genealogiam Conradus Ritterhuſius nobis dedit, cum olim *Valpoti de Paſſenheim* dicerentur, nunc obliterato iſto nomine, dicuntur *Marſchalki*, ſignificatione eadem conſeruata in nouo nomine. Sic *Valmar*, *Valtmar*, *Valdemar* eſt *aciei equus* ſeu *bellicoſus equus*. Nam, vt Pauſanias 10) obſeruauit, Celtis *equum*, *mar* dici, ita hoc nomen veteri in ſeptemtrione eſt notiſſimum. Sed *Vſeuolodi* nomen eadem ex familia, quod ſane Slauonicum eſt, Snorro Sturlonides 1) ita inflexit, vt Normannice ſonaret *Viſaualldur*. Ad eiusdem domus cognationem pertinuit *Oleg*: quod nomen in lapidibus Scandinauicis eſt *Alak*. Principes Kiouienſes *Oſcold* et *Dir* Varagos fuiſſe Ruſſici Chronographi tradunt. *Oſcold*, vt Olaus Verelius e runis *Oſkael*, apud Snorronem *Aſkel* 2) et *Aſzkell*. In *Dir* nomine haereo. Poteſt eſſe proprium vt nauium, ita hominum. In Edda Islandica 3) *Tyr*. In Verelii runicis feminarum nominibus *Dirva*. Magis tamen

9) c. 30. 10) p. 845. 1) t. I. p. 183. 2) t. II. p. 319. ibid. p. 405. 3) Mythologia XXIII.

Digitized by Google

tamen inclinat animus, vt credam Russos sequiorum aetatum in altero nomine offendisse: nam *Oscoldum Diar Kiouiae* fuisse dictum opinor. Snorro de Asgardo: 4) *Vrbs principem habuit nomine Odinum: ibi mos obtinuit, vt duodecim praefecti ceteris eminentiores Diar et Drottnar, hoc est, principes et domini dicti, gererent curam sacrorum et populo ius dicerent.* Et Oscoldum eiusmodi regum ante Ruricum praefectum Kiouiensem fuisse, ex rebus cum Igore et Olego gestis concludo. Est autem ديار *Diar* ea significatione plane Turcicum, videturque nomen hoc dignitatis acceptum a Cozaris, gente Turcica, quae tum inter vtrumque Tanaim et in Chersonesso Taurica multum poterat.

Iam in ducibus Varagis Ingoris et Suendostlaui regum *Suendeldus* et *Suindeldus* ita Scandinauicus est, vt me suppudeat illa in copia exemplum producere. Suendeldi filius aliis *Liutr*, aliis *Blut*. Vtrum malis accipe. Olaus Verelius e lapidibus *Liutr*: in qua voce extrema littera, septemtrionalium more, et poni potest, et omitti. Fuit sub Suendostlauo alter dux, ignotus Russicis monumentis, Cedreno ob virtutem eximie laudatus 5) *Sphagellus*, nomen Scandinauicum, vt certe scio me obseruasse: at memoria me destituit. Habemus *Rogvolod* Plocensem ducem. Kniga Stepennaia: *Rogvolod a Varagis dominatum in Plotzko venerat.* Chronographus Ruthenus: *is erat knias in Polotzko et trans mare, et in Poletesk et Muru in Turowas sub ditione tenuit.* De his regionibus et locis alias: nunc de nomine huius Varagi. Inscriptio a Ioanne Peringskioldo ex petra Edensi in vita Theodorici regis profertur: *Raghwaltr fecit exsculpi runas in memoriam Fastvidis matris suae Onemi filiae; quae mortua est in Aidi: sit deus animae eius adiutor: runas exsculpi fecit (Ragnwaltr, hwar a Griklanti was lisforungi) Ragnwaldus, qui in Graecia erat militum dux et anteſignanus.* Ostendam

4) t. I. p. 2. 5) p. 676.

Digitized by Google

dam alias, Ruſſiam a ſeptemtrionalibus dictam fuiſſe Graeciam, atque in iis lapidibus, in quibus Graeciae mentio exſtat, caute nos oportet verſari, ne ambigua voce fallamur. Eſt et apud Snorronem 6) *Ragnwaldus Iarlus*, quem Iaroslaus rex Vladimiri filius ſummo in honore habuit. Is cum Aldeigoburgo vrbe, *Iarls riki*, Ingigerdis reginae dotalitium tenuit, ex quo adhuc *Careliae* nomen manere mihi videtur. A Snorrone nomen alias *Raugnwaldur* et *Roegnvald* effertur. 7) Ioannes Fridericus Peringskiöldus dialecto Suedica expreſſit: *Ragnwald* et *Ragvald*. Notus *Rognvolodus* Eyſteini filius, *Rognvaldus* Einaris, *Rognvaldus* Bruſii filius et alii in Orcadenſibus Comitibus apud Thormodum Torfaeum. Huius Rognvoldi Plocenſis filia, *Rogveda* a Chronographo Ruſſo vocatur, *Rozgnieda* a Stepennaiae Knigae auctore. Habemus eum in modum in monumento Siltenſi apud Olaum Vormium 8) *Rotvidha*. Alioqui *Ragnhilda* Erici Iutlandiae regis filia, Erici Blodoxis regis Noruagorum mater ſatis nota: *Ragnilta* in monumento Trygveldenſi et Bildenſi. 9) Apud Igorem regem in exercitu fuere Varagi, cum aduerſus Conſtantinopolin duceret. Legati Igoris in vrbem miſſi memorantur, in quibus eſt, quod quid aliud eſt, quam *Carolus*? frequens nomen ita, vt antiquum. In monumento Hobroenſi: 10) *Thurir lapidem hunc poſuit* (*vfti Karl gudoa*) *Carolo bono*. Eſt deinde *Ingjeld*. *Ingialldus* Naumudaliae rex, *Ingialdus* Starkadi alumnus Daniae rex, *Ingialdus Trana*, omnes apud Snorronem. Tum *Farlof*. Apud Verelium *Farulf*, in monumento Froelandenſi *Herluf*: in Teutonicis credo *Fardulfus* et *Ferdulfus*. Porro *Rulaw* frequentiſſimum nomen, vt *Hrolf Langom ſpada*: Iarlus Noruegenſis et *Hrolf Krake* rex,

6) t. I. p. 516. ſeq. 7) t. I. p. 82. t. I. p. 542. t. II. p. 339. 8) p. 454. 9) Olaus Vormius in monumentis Danicis p. 112. 475. ſeq. 10) Olaus Vormius l. V. c. 3.

Digitized by Google

rex, *Rolfus Rollo* in Orcadenſibus Torfaei: Saxoni Grammatico *Roluo.* 1) Eſt in legatis *Lidu:* vt *Lyd* epiſcopus Noruegiae 2) eſt *Carn:* vt *Karius* ille Islandus in Orcadibus. 3) Eſt *Riar:* vt *Hroar* ſeu *Ruar*, rex Daniae apud Thormodum Torfaeum et Gualtherum in hiſtoria Hrolfi Krakii a Torfaeo edita. Sunt denique in legatis *Truan*, *Ruald*, *Flelaw*, *Foſt*: Scandinauica omnia. Poſtquam illa a me ſcripta ſunt, multa in Peringskiöldi Vplandicis ceterisque monumentis inueni, quae ad illuſtranda haec nomina pertinerent: at me iam ipſum faſtidium cepit, vt quid lectoribus meis futurum ſit iudicare queam. Vnum, ſed inſigne adiiciam nomen. Ruſſici annales ſub Iaroslao *Iacobum Varagum* celebrant. Is ſine dubio Ingegerdis reginae frater, Olai regis filius fuit. Nam de eo Snorro auctor eſt: 4) *Alius etiam ex reginae thoro ei* (Olao regi Erici filio) *naſcebatur filius, ipſa feria S. Iacobi memoriae dicata: hunc, cum ſacri baptismatis ritu initiandus eſſet, Iacobum nominauit epiſcopus: quod omnino nomen auerſabantur Suiones, quod nemo vmquam Suionum regum ſic appellatus fuerat.* Suionum vero regum nemo? imo ne alterius quidem ſeu nobilis hominis ſeu plebeii exemplum apud Snorronem exſtat. Neque tantummodo Iacobi, ſed omnia Chriſtianae memoriae nomina, tamquam peregrina, penitus infrequentia in ſeptemtrione fuerunt.

Hiſtoriographus ineditus tradit, Vladimirum Iaroslai filium ea in claſſe, in qua contra Conſtantinum Monomachum Imp. profectus eſt, magnam Varagorum multitudinem habuiſſe. Qui Varagi? nempe Cedrenus opinioni noſtrae congruenter tradit, ex Scandinauia fortes viros fuiſſe. 5) Dicitur ei Vladimirus *προσεταιρισάμενος καὶ συμμαχικὸν οὐκ ὀλίγον ἀπὸ τῶν κατοικούντων ἐν*

1) Apud Vormium p. 508. 2) Snorro t. II. p. 347. 3) Torfaeus in Orcadenſi hiſtoria p. 39. 4) t. I. p. 502. 5) p. 758.

Digitized by Google

ἐν ταῖς προσαρκτίαις τοῦ Ὠκεανοῦ νήσοις ἐθνῶν, *sibi associasse etiam auxilia non exigua ex gentibus, quae in borealibus Oceani insulis colunt.* Notum est, insulam dici Scandinauiam peruetusto errore. Item de Vladimiro Magno Russici annales, eum saepe in exercitu suo magnam Varagorum multitudinem duxisse. Danos eos fuisse, Dithmarus Merseburgensis Vladimiri regis aequalis tradit, 6) qui id ipsum a Polonis et Bohemis cognoscere poterat, vt multa verissime cognouit. *In hac civitate Kitawa* (lege *Kiaua*, quae *Kiouia* est) *populi ignota manus*, (ingens multitudo) *quae, sicut omnis haec prouincia* (Russia) *ex fugitiuorum seruorum robore confluentium et maxime Danorum, Pecineis* (Pacinacis) *multum se infestantibus, hactenus resistebat.* Ne quem hic offendant *serui fugitiui.* Homo Germanus sui et seculi et populi ingenio iudicabat et praeterea incommode loquebatur. *Seruos* dicebant lingua sua Teutoni, qui pedibus stipendia mererent, quantumuis nobiles genere et gloria rerum gestarum homines, voce nequaquam, vt Latinum serui nomen est, ignominioso. At fugitiuos censebat eos, qui alio sub rege stipendia mererent, quod tum in Teutonis erat insolens, vt vel ex Dithmaro in Boleslai Poloni rebus cognoscitur, nisi aliunde nobis constaret. Alii Scandinauis Danisque mores et ea vel maxime quaerendae gloriae materia, si quis nobilis vir apud longinquos populos lauream sibi quaesiuisset.

Ex iis quae supra explicui, constitui potest, quae mens incerto auctori in vita Romani Lacapeni Imp. fuerit, 7) cum ὁι Ρῶς, inquit, ὁι καὶ Δρομῖται λεγόμενοι, ὁι ἐκ γένους τῶν Φράγγων καθίσανται, *Russi, etiam Dromitae dicti, qui e Francorum genere sunt.* Sic etiam Symeon Logotheta. 8) De hoc loco dicam alias commodius.

6) Et ex Dithmaro Eggehardus Vragiensis ad A. C. 10 8. 7) p. 262. 8) p. 465. et apud Anselmum Bandurium in Imperio Orientali t. II. p. 33.

modius. At genus hoc Francicum quo pertinet, nisi ad cognationem regiae domus cum Scandinauis, et ad illam multitudinem Normannorum, Suionum, Danorum, qui inter Russos in dignitatibus et exercitu fuere? Nam Constantinopolitani, ex quo Franci caput extulerunt, totam Germaniam dixere Franciam. Quare Constantinus Porphyrogenneta: 9) Φραγγία ἡ καὶ Σαξία. Immo, quemadmodum Eggehardus Vragiensis 10) Germaniam extra fines suos vsque ad Tanaim profert, ita Franciam Graeci dicebant, quidquid ad occidentem imperii Byzantii erat. Liuthprandus Ticinensis: *residentibus nobis ad mensam* (Imperator) *ex Francis, quo nomine tam Latinos, quam Teutonas comprehendit, ludum habuit.* Quae quidem causa est, quamobrem adhuc apud Turcas plerique omnes Europaei افرنج *Efrengj* Franci nuncupentur. At Turcae se quoque Francos ab stirpe esse gloriantur. Non recens illa opinio est: nam auctor anonymus gestorum dei per Francos, qui belli sacri temporibus fuit: 1) *dicunt se esse de Francorum generatione et quia* (quod) *nullus homo naturaliter esse debet* (sit) *miles, nisi Franci et illi* (Turcae.) Nimirum Turcae in Pannonia aliquanto tempore egerunt vicini Francis, vt alias ex Constantino Porphyrogenneta demonstrabo: hinc, opinor, illa eorum gloriarum plena fabula. Quanto magis Francis accensendi fuerunt Suiones, ceterique septemtrionis populi, quorum sermo a Francico non abhorrebat, facinora nihilo minora fuere. Quos cum viderent inter Russos versari, mirum non est, quod et ipsos Russos nuncuparint Francos. Graecorum exemplo Hungari Russos adhuc *Franciai nepec, Francicum genus* appellant. 2) Quid autem Lithuanis faciemus, qui Russos *Gudas* vocant? 3) Quid? in-

9) de administrando imperio p. 95. 10) p. 226. ed. Ecc. 1) p. 7. 2) Albertus Molnar in dictionario Hungarico voce *Russi.* 3) Constantinus Cziruidus in dictionario Lithuanico voce *Russus.*

Digitized by Google

inquam, num *Gothos* dicunt? Quid contra Fennis hiſce noſtris et Eſthonibus fieri volumus, qui Suedos haud aliter vocant, quam *Roſulain*, *Ros populum?* Nempe haec alii loco magis conueniunt. At Liuthprandus Ticinenſis: 4) *Ruſſios, quos alio nomine Nordmannos vocamus;* et iterum: *Gens quaedam eſt ſub aquilonis parte conſtituta, quam a qualitate corporis Graeci vocant Ruſſos, nos vero a poſitione loci vocamus Nordmannos, aquilonares homines.* Video Liuthprandum exiſtimare, nullam aliam cauſſam fuiſſe, cur Ruſſi a quibusdam dicerentur Nordmanni, quam quod ſub borea colerent, vt Gregorius Malatienſis 5) ممالك الامم الشمالية *regna gentium borealium recenſens, in iis etiam ponit* روس *Rus.* Attamen, ſi cum Nordmannico nomine memoriam hanc generis principum Ruſſicorum, ſtipendiariorum Normannicorum multitudinem, cetera conferamus, videtur eadem Liuthprando nominis iſtius prodendi cauſſa exſtitiſſe, quae a nobis explicata eſt.

Iam, ſi Varagi ex Scandinauia tuere, quae vis vocis ſit conſideremus. Olaus Verelius, 6) cum videret, Ioannem Magnum tradere, *Scandiam a nonnullis vocari Vergion*, et iſthuc vero interpretari, *luporum inſulam*, ita fatus eſt: *maior tamen in ea non eſt luporum copia, quam in ceteris Europae regionibus ſyluestribus: et illud etiam hic obiter notandum, in veteri lingua non ſemper notare lupum, ſed praedonem etiam et hoſtem. Olaf Trygvonidis ſaga: han var vargur i veum, hoc eſt, in ſacris latrocinia exercuit: inde Brennevargur, Kaxnavargur, de hominibus maleficis dicitur: exercuere quondam Scandiani continuam fere piraticam, vnde Vargi et patria eorum Vargon vel Vargbem dici potuere.* Et quamquam vir ornatiſſimus doctiſſimusque in eo dubitat, annon potius Ioannes Magnus vitioſo Plinii MS. vſus pro

4) p. 92. 144. 5) p. 108. 6) Notis in *Herwarar ſaga* p. 19.

Nerigon ediderit *Vergion*, (quod mihi sit verosimillimum,) tamen colligit se ipse et ad pristinam opinionem rediens, monet: 7) Cum *Moscouitae* (Russos puta eum dicere plebeio errore) *mare Balticum vocent mare Varegum, teste Herbersteinio, credere quis poterit, et Sueoniam ab eis Varegum et Vergiam appellari.* Olaus Rudbequius 8) in Atlantica et de Russorum Varegis et de vocis veriuerbio item vt Verelius sensit. Haut ita pridem Aruidus Moller, vir amplissimus, cum de Varegia 9) ageret, huic sententiae adsensum quidem praebuit, maluit tamen hoc nominis ex Esthonia ipsa repetere et Fennia, quae praedonum Suedicorum excursiones saepe senserit. Isthic enim *Waras*, *furem* esse et *praedonem*, et *Warga-meri*, *praedonum mare*. Et hoc quidem sic est: etiam Russi *furem* Bopb *Wor* dicunt. Teutonicae gentes huic vocabulo similia habent, sed magis latrocinandi significatione, quae vim, quam furandi, quae fraudem continet. Apud Wolfgangum Lazium veteri sermone Teutonico, *Vuargur*, *latro:* Abrahamus Mylius 10) a *wurgen, necare, wurger*. Godofredus Guilielmus Leibnitius in Celticis: 1) *Vargi latrones Aruernis apud Sidonium, idem olim apud Germanos: piratae Normanni etiam Russis dicti sunt Varaegii. In lege salica, Vargus est extorris, eiectus, qui hodie bannitus. Veriad Cambris etiam est latro apud Cambdenum.* Lex Salica: 2) *Si quis corpus iam sepultum effoderit, aut exspoliauerit, wargus sit, hoc est, expulsus de eodem pago.* Sic etiam in Ripuariis legibus Baluzii 3).

Ne quis hoc loco summis viris turpitudinem nominis obiiciat. Suus cuique populo mos fuit: vetustis Scandi-

7) In additamentis p. 192. 8) t. I. p. 518. *de quo negotio*, inquit, *cum ad Magnorum Ducum stirpem ex Sueonibus deducendam peruenerimus, plura in lucem daturi sumus.* 9) In Dissertatione in Varegia (Wargön) Lundini 1731. p. 21. 10) In Archaeologo Teutono p. 171. 1) p. 145. 2) t. 57. §. 5. 3) tit. 85. 2.

Digitized by Google

Scandinauis vt praedari honori esset, Graecis vt et latrocinari. Honesta haec nomina fuere et gloriae plena. Sed quia hoc nimis est antiquum et septemtrionalia monumenta a reliquarum gentium eruditis non ita vt merita sunt, tractantur, visum est nobis rem illam paullo amplius explicandam esse, praesertim, quod vel sic per se ad historiam Ruthenicarum prouinciarum pertinet. Primum omnium satis constat, cum Scandinauiam omnem, tum Daniam, multa minora in regna priscis temporibus diuisam fuisse. In Noruagis primus Haraldus Pulchricomus, ceteris regulis deuictis, post praelium Hafursfiordense A. C. 875. monarchiae statum ad posteros stabiliuit. Victi sunt, Orcadalensis rex vnus, Trundhemiae reges quatuor, Golardenses duo, Raumdaliae borealis duo et deinceps alii: nam nomina regulorum omnium recensendo defatigor. Haraldus ad condendam monarchiam, exemplo tam Gormi Daniae regis, quam Erici Vpsalienſis excitatus est. 4) De Danis auctorem illorum temporum habeo S. Rembertum archiepiscopum Hamburgensem in vita S. Anscharii. 5) Gualdo monachus Corbeiensis: 6)

Regibus interea Danis iungentibus arma,
Priuatus sceptris Heroildus fraude paternis,
Supplex Augustum rex expetiit Ludouicum,
Eius vti per opem regni repararet honorem.

In *Knitlinsaga*, 7) recensitis Daniae prouinciis: *omnes hae enumeratae prouinciae magnae et populosae vnum hodie agnoscunt regem Daniae: vt olim in multa regna erant diuisae.* De regibus Suioniae Snorro Sturlaeus, quo viro omni in memoria grauior integriorque

Z 3 auctor,

4) Snorre t. I. p. 75. 76. 5) p. 54. ed. Fabr. confer Erici regis historiam Daniae p. 266. 6) p. 87. ed. Fabr. vbi pro *iungentibus arma*, vt legendum censeo, hoc nihili est, *in cunctibus*. 7) p. 36. ed. Vormii.

Digitized by Google

nuctor, meo quidem ſenſu et iudicio non exſtitit, ſic habet: 8) *Reges Vpſalenſium abſoluta poteſtate in Suionia eminebant, cum reguli plures ibi dominarentur, ab eo videlicet tempore, quo Odinus in Suionia principatum tenebat: monarchae cum abſoluto imperio, vsque ad mortem Agni Vpſalae reſidebant: atque tum primum regnum inter fratres diuiſum eſt: poſt haec regnum principatusque inter fratres diuiſum eſt: poſt haec regnum principatusque inter ſtirpes, pro earum gradibus diſtribuebantur.* Primus Ingialdus Anundi filius, Vpſalenſis rex, aliquos eorum regum dolo oppreſſit, deinde alios quoque circumuentos ſuſtulit, numero in vniuerſum ad duodecim. Manſere tamen etiam poſtea quidam minores reges vsque ad Ericum, qui totius Suioniae regno potitus eſt. Hoc in ſtatu reges multis inter ſe diſſenſionibus agitati, atrocia bella geſſerunt, quibus indurata ſeptemtrionalium populorum fortitudo fuit, immo vt dicam, quod eſt, efferata. Quare congruenter ad veritatem dixit Olaus Verelius, 9) ea fuiſſe iſtius ſtudia aeui, *vt armorum vſum ſaepius, quam cauſſam reſpicerent, neque pacem poſſent ferre.* Illo animo cum eſſent, neque tamen ſemper occaſionem cum vicinis digladiandi haberent, piraticam exercendo longinqua petierunt. Erat nauigandi opportunitas ſumma, non modo in littoribus maris Baltici et occidentalis, ſed etiam intra vniuerſam Scandinauiam in ſtagnis et lacubus, vt magis in ſalo victitarent, quam in agris. Idcirco in nauigationibus tantam artem et facultatem ſibi pepererunt, vt omni illo in aeuo qui cum his populis compararentur, eſſent nulli. Et quamquam Haraldum Pulchricomum primum omnium mirae magnitudinis draconem nauem exaedificaſſe inuenio, Olaum vero Tryguonidem in primis magnas moles excitaſſe, tamen omni tempore ſatis firma et opportuna nauigia habuere, quorum formam in ſaxis quoque ſpectamus,

8) t. I, p 43, 45, 51. ſeq. 9) in *Heruorar ſaga* p. 47.

Digitized by Google

mus, praecipue in eo, quod Ioannes Peringskioldus 1) diligentiſſimus monumentorum patriae inueſtigator nobis pictum dedit. Si nauigationis laudem et fortitudinis gloriam quaeras, quod omni in Europa littus eſt, quis paene angulus, vt illius gloriae non ſit teſtis? Orcades autem, Scotia, Hibernia, Anglia, Francia, vim illam vel in primis ſenſerunt. Magnum iſthuc quidem eſſet opus, ſi quis omnes expeditiones perſequi vellet.

Apud Graecos priſcos latrocinari nihil erat aliud, quam militare. Pyrgopolinices more illorum veteri:

Videtur tempus eſſe, vt eamus ad forum,
Vt in tabellis quos conſignaui hic heri
Latrones, ibus dinumerem ſtipendium:
Nam rex Seleucus me opere orauit maxuma,
Vt ſibi latrones cogerem et conſcriberem.

Aut quemadmodum Periplectomenes: *An, quia latrocinamini, arbitramini, quiduis licere facere nobis?* De praedonibus Graecis non eſt neceſſe, vt quidquam interſeramus. Eundem in modum apud Septemtrionales fuit. Mos erat, vt alternis operam darent mercaturae et piraticae, 2) et vt

Confeſtim poſito furore Martis
Poſt piratica damna, deſtinaret
Plenas mercibus inſtitor carinas,

Abutar enim hoc loco Sidonii modulis. Hi piratae ſeſe vocabant *Wikingar*, vt ſaepe apud Snorronem, 3) et nonnumquam *Cappar*. 4) In Eddae Islandicae ſecunda

 parte,

1) In Theoderici vita p. 493. conf. Ohteri Halgelandenſis et Wulfſtani Haethenſis nauigationes Saxonice et Latine editas ad calcem vitae Aelfridi regis. Ox. 1678. 2) Snorro t. I. p. 263. 264. 274. 3) Confer Olaum Vormium in monumentis Danicis p. 268. 292. 4) Snorro t. I. p. 27. 29.

Digitized by Google

parte, *Kappar*, *Kiempur*, *Garpar*, vt Roeſenius conuertit, *berǒum*, *athletarum*, *pugilum* mentio occurrit! Iidem apud Snorronem 5) dicti *Soekongar*, *reges maris*, nullo in terra dominio, perpetuo in mari regnantes. De iis S. Rembertus in vita S. Anſcharii. 6) Neque iſthuc quidem ſemper ſumma libertate: nonnumquam enim alienae potentiae deuincti fuere. Adamus Bremenſis: 7) *Lundonae in Sconia aurum eſt plurimum, quod raptu congeritur piratico: ipſi enim piratae, quos illi Withingos* (puto legendum *Vikingos*) *appellant, noſtri Aſcommannos, regi Danico tributum ſoluunt, vt liceat eis praedam exercere a barbaris.* Neque omnes vero idonei ad piraticam exercendam ſunt viſi, cum, qui praeferox et immanis erat Egil, a fratre idcirco a praedandi ſocietate reiiceretur: *eum enim ingenio eſſe tali*, iudicabat, *vt apud exteras nationes haud conduceret.* 8) Vides, piratas non modo ferocitate ad vim faciendam habuiſſe opus, ſed etiam, vt occaſio ferebat, ingenio ad mercaturas. Quae enim alibi praedati fuerant, alibi vendebant. Non tantummodo naues inuadebant, ſed in littoribus excenſione facta circumiectos agros vicosque expilabant. Praedam Freio deo ferebant acceptam, *Frigi ſcod*, *Freii crumenam* appellantes, vt ex inſigni lapide demonſtrauit Olaus Verelius. 9) Religioſi medius fidius homines, quorum ſacra et caeremonias in inſula quadam commemorauit Adamus Bremenſis. 10) Praedonum in numero non tantum priuati homines nulla publica auctoritate fuere, verum etiam reges regumque liberi. Ruderi filius in hiſtoria Runica Hialmari regis Biarmlandiae et Thulemarkiae, 1) *crebro*, inquit, *in piraticas expeditiones profectus, nominis ſui gle-*

5) p. 40. 41. 6) p. 57. 62. 7) p. 56. 8) Thormodus Torfaeus Hiſtoriae Norvagicae parte II. p 153. 9) Ad *Heruorar ſaga* p. 48. 10) p. 56. 1) ex edit. Georgii Hickeſii in Theſauro linguarum t. II. p. 128.

Digitized by Google

vlam in tantum auxit, vt in omnibus annalibus, quibus rerum gestarum memoriae describebantur, laudari meruerit. Narrat deinde, vt in Biarmlandiam cum quinque nauibus profectus omnia ferro atque igni vastauerit, praedasque egerit, donec Vagmarus occurrit, qui tum rex istius regionis erat. Cum defuncto aliquo rege filius succederet, mos erat, vt in solemni conuiuio compotantes maiorum suorum memoriae bene precarentur, simul vota facerent de piratica expeditione suscipienda. 2) Sin quis priuatus ad haec latrocinia sese accingeret, circa verem praeconis voce voluntarios excibat, vt Haraldus et Gudradus fratres apud Snorronem edicebant: 3) *sibi animo propositum esse, aestate iam instante, piraticas suscipere expeditiones in oceanum vel Balticum mare, prouti antea soliti fuerant.* Legebant deinde suos praefectos singulis in nauibus, qualis ille *Wikinga waurdur* in Ioannis Peringskioldi lapide fuit. 4) Nec patriae finibus abstinebant: quam ob caussam Haraldus Pulchricomus rex Norwegiae edicto vetuit, *ne quis patriae fines depopularetur.* 5) Nihilo minus Rolfo celebris pirata, cum ab (*Ausur vego*) *via seu expeditione orientali* rediret, Vikiam depraedatus est. Haraldus rex eam ob caussam Rolfonem frequenti in concilio exulare iussit. Sub hoc Haraldo multi cum primis in Norwegia, qui libertatem dolebant amissam, piraticam instituere. Nonnulli tamen ad tuendos portus mercatusque suos, instructis nauibus praedones tantummodo depraedantes, tutum mare praestabant. Ita Thorsteinus Bele et Agantyrus post praelium commissum, inito foedere contra piratas classem adunarunt. Apud Olaum Verelium: 6) *Ineunte vere classem triginta nauium apparauerunt, piraticamque in mari egerunt, et circa Suioniam (oc alt hit eystra salt) et omnia circum littora orientalia:*

2) Snorro t. I. p 245. conf. p. 46. 48. 3) t. I. p. 189. 4) l. c p. 486. 5) Snorro t. I. p. 99. 6) In *Heruorar saga* p. 47.

Digitized by Google

egerint autem, piratas et latrones occidendo, colonos autem et mercatores non attingendo. Nescio cur Verelius *Curlandiam et Prussiam* potissimum explicet, cum, vt non negem, ea quoque littora defensa fuisse, tamen *orientalia littora* magis haec Esthonica vocari soleant, in quibus sedem totius mercaturae septemtrionalis fuisse, alio in loco demonstrabo. Saepenumero, vbi excensionem aliquo in littore fecerant, opportuno loco condebant castella, quibus defensi, totam prouinciam excursionibus vexare, tum etiam, vt in Orcadibus et Anglia et Francia accidit, pedem figerent totaque regione potirentur. Pleni sunt huiusce memoria rei scriptores illorum temporum Saxones, Franci, Angli. Quare Thorgnyrus Iudex in comitiis Vpsalensibus ad Olaum regem, Erici regis filium, apud Snorronem 7) de Erico Emundi filio rege, Olai proauo: *Quod in vigore aetatis constitutus, militaribus expeditionibus vt plurimum intentus fuerit, ac quotannis peregre profectus, Finnland, Kyrialand, Eystland et Kurland (oc vyda um austur laund) et porro per Ostrogardiam* (seu Russiam, vel potius Esthoniam interiorem) *in suam potestatem redegerit: cuius virtutis praeclara adhuc superstint monumenta, castella regiaeque arces eximii operis.* Ita Thorgnyrus ab auo suo sibi narrari recordabatur. Iam cum scriptores Russi testantur ad A. C. 859. *Czudos* (seu Esthonos et Fennos) *Slauonos et Kriuiczos Varagis tributa soluisse pro quolibet viro po bieloi vieverizy*, hoc eo pertinet. Obscurum plerisque, quod genus tributi fuerit. Docuit autem me magnus vir, quod esset verissimum. Nam Russicam vocem intercidisse ostendit, conseruatam in Polonica lingua, in qua *Wiewierka* adhuc *sciurus* dicitur: esse deinde sciuros alios albos, alios nigros, denique rufos, itaque mirum non esse, cum Historiographus Russus adiecit *albos.* Idem Historiographus ad A. C. 862. scribit: *A Slauonis Varagos esse eiectos et tributum nega-*

7) t. I. p. 484.

Digitized by Google

negatum, deinde per ciuiles turbas petitum a Varagis principem: Ruricum eum fuisse, qui cum fratribus Nowogrodum venerit.

Haec igitur satis speciosa videri possunt: mihi tamen nominis illa notatio non satisfacit. Nam inauditum apud hos piratas nomen est Vargorum. *Vikingar* et *Kappar* et *Soecongar* dicti sunt, vt supra declaraui. *Vargicum* nomen poeticum magis est. Poetae nominibus animantium ferarum delectabantur, vt, cum nauem dicerent *dyr beſtiam*, et *baru heſtur*, *fluctuum equum*, quod, cum Eddae Islandicae pars altera refert, simul addit, omnia equorum cognomina etiam nauibus tribui. De militibus Haraldi Pulchricomi Hornklofus canens, ait: *Quam plurima habuit arma, ſyluam (varga) lupis ſtrepentem:* [8]) exercitum aut castra naualia *ſyluam*, milites nauales *lupos* dixit. Non autem probabile est, veteres Russos ex poetarum septemtrionalium carminibus fortissimorum virorum non sane frequens nomen aucupatos fuisse. Contra fit simillimum vero, ita illos vocitasse, vt sese ipsos appellare audiuerant. Sensit hoc iam amplissimus vir et ornatissimus, Arnuidus Moller: eo nomen Vargicum potius ab Esthonico *Waras* acceptum putauit. Quod, si ita est, ignominiae loco impositum fuit: neque enim Russorum moribus praedari gloriae fuit. Huius autem ignominiae quam caussam habuere Russi? Exempla protulimus, cum Varagos infestos sensere: eius generis vnum est praeterea et alterum. At vt amici et socii in bello, vt in officiis et dignitatibus, frequentissime citantur: reges item suos ex eodem populo repetunt Russi. Et vetustum sane rerum istarum auctorem habemus, aequalem Varagorum aetati, et Vladimiri Monomachi, aut qui ex aequali hauserit, Theodosium abbatem, quem bibliotheca Radziuiliana Regiomonte seruat, vnde ἀπόγραφον in Imperatoriam pervenit.

8) Snorro t. I. p. 98.

Digitized by Google

venit. Quae cum ita sint, aio, milites Suionas, Normannos, Danos, cum sub signis Russicis stipendia merent, sese ipsos ita nuncupasse: Russos, adsuetos eorum nomine, cuius sententiam non videbant, omnes septemtrionales populos, vnde isti erant profecti, similiter appellasse Varagos. Scribunt autem sic, vt potius pronunciandum sit nobis, *Variagi*. Hoc nomen est, quod in Snorrone multis locis occurrit, *Vaeringiar*, quasi *defensores et protectores*, a *waeria*, *defendere*, vel potius a *warda*, *seruare*, *custodire*, vt Verelius iudicauit, 9) dicas. Ioannes Peringskioldus nitide explicuit, *praetorianos milites*. Plerisque autem in locis sermo est de iis, qui in Graecia apud Imperatores Constantinopolitanos fuere: hi igitur sunt tot celebrati monumentis Βάραγγοι *Varangi*. Vt in Graecia sese ipsi vocarunt *Varangos*, honorifico nomine: ita iidem in Russia: nam ex Russia in Graeciam venerunt. Prima Varangorum memoria in Michaelis Paphlagonis Imp. rebus apud Cedrenum post A. C. 1034. Neque tum adhuc magno in honore fuere. Historiographus Russus ad A. M. 6488. A. C. 980: *Occiso Iaropolco*, *Varagi* (quos paullo ante dixerat Vladimirum ex transmarinis locis ad ius suum defendendum adduxisse) *nouas res moliuntur*, *postulantes pro singulis incolarum duos Griuenos*, *eo quod ipsorum opera vrbem cepisset: Vladimirus primum vnius mensis moram impetrat*, *donec eunicolos collegisset et cum posthac non haberet*, *vnde solueret*, *iter in Graeciam ad seruitia Graeci Imperatoris postulantibus*, *id permisit et meliores ex iis per vrbes distribuit*, *reliquis itineris licentiam dedit*, *legatis ante ad Imperatorem missis*, *quibus eum monebat*, *vt*, *si vellet rebelliones eorum cauere*, *illos reciperet quidem: sed per diuersas vrbes dispergeret*, *redire vero nullum sineret*. Ex Vladimiri consilio Varangis accidisse video. Nam Michael Paphlago, vt Cedre-

9) In indice in *Herrauds saga*, voce *Hirdmen*.

Digitized by Google

Cedrenus teſtatur, 10) per Thracenſium prouinciam diſperſas habuit Varangos. Idem in Conſtantino Monomacho, 1) Michaelem Acoluthum in Iberiam miſſum tradit, *vt τοὺς διεσπαρμένους ἐν τῇ Χαλδίᾳ καὶ Ἰβηρίᾳ Βαράγγους ἀγαγῇ, diſperſos per Chaldiam et Iberiam Varangos adduceret.* Ioannes Curopalata 2) ſub hoc Conſtantino: Σίφος στρατιωτικὸν, Βαράγγους αὐτοὺς ἡ καινὴ ὀνομάζει διάλεκτος, *manus militaris. Varangos vulgus vocat.* Poſt autem officiis et fide commeruerunt, vt in palatium allecti, cuſtodiam corporis Imperatorii ſuſciperent. 3) Nicephoro Botaniatae Imp. fidiſſimi fuere, cum Alexius Comnenus Conſtantinopolin obſideret. Quare apud Annam Comnenam Alexii Imp. filiam 4) conſiliarii regii: *Οἱ δέ γε ἐπὶ τῶν ὤμων τὰ ξίφη κραδαίνοντες, πάτριον παράδοσιν καὶ οἷον παρακαταθήκην τινὰ καὶ κλῆρον τὴν εἰς τοὺς Αὐτοκράτορας πίστιν καὶ τὴν τῶν σωμάτων αὐτῶν φυλακὴν ἄλλος ἐξ ἄλλου διαδεχόμενοι, τὴν πρὸς αὐτὸν πίστιν ἀκράδαντον διατηροῦσι, καὶ οὐδὲ ψιλὸν πάντως ἀνέξονται περὶ προδοσίας λόγον. Varangi qui ſuper humeris ſecures ſuſpendunt, a parentibus quaſi depoſitum et hereditatem acceperunt fidem in Imperatores et cuſtodiam corporis: fidem, quam veluti alius ab alio traditam manu acepit, incorruptam ſeruant, et ne quidem tenuem ferent de proditione mentionem.* Fuere deinceps Alexio Comneno Imp. vtiliſſimi bello Francico. 5) Codinus in officiis aulae Conſtantinopolitanae 6) et ad portas ſacri cubiculi excubaſſe tradit et in triclinio. Stationem habuere in Excubitis 7) et quoties Imperator aliquam in vrbem concederet, claues portarum illius vrbis Varangorum in manibus fuerunt. 8) Firmiſ-

10) t. II. p. 735. 1) t. II. p. 789. 2) p. 808. 3) Scylitzes p. 864. 4) p. 62. 5) Anna Comnena p. 115. 6) p. 65. 7) Zonaras t. II. p. 308. ſeq. 8) Cantacuzenus in hiſtoria Conſtantinopolitana l. II. c. 13.

Digitized by Google

missima suspectorum custodia sub Varangis, vt Vecci Chartophylacis apud Georgium Pachymerem. 9) Denique thesauros quoque custodiebant, ex quibus ne Palaeologum quidem, tutorem Lascaris Imp. et magnum Ducem, efferre aliquid passi sunt, nisi ceteris tutoribus consciis et praesentibus. 10)

Hos Varangos Iacobus Gretserus ad Codinum *quasi Francos* dici autumauit: in quo facete ad Ioannem Curopalatam Iacobus Goar, 1) *at quasi diuinat Gretserus.* Quid Goar? is vero quasi nimis incaute adsentitur Graecis: Anglos enim edidit ab stirpe. Francos non fuisse, concedo: Graeci enim a Francicorum corpore stipendiariorum, quos Anna Comnena Νεμίτζους Slauonico vocabulo nuncupauit, si vim vocis videas, *homines sermonis peregrini, vt intelligi nequeunt,* καὶ αὐτὸ τοῦτο, βαρβάρους; a Francis igitur Varangos diligenter atque saepius distinxerunt auctores Graeci, vtpote qui suis sub ducibus et signis militarent. 2) E contrario non possum inficiari, exstare magno numero Graecos, qui eos Anglis accenseant. Ioannes Cinnamus: 3) ἔθνος ὅ ἐστι τοῦτο Βρεττανικὸν Βασιλεῦσι Ρωμαίων δουλεῦον ἀνέκαθεν, *gens est Britannica a multis temporibus Romanis seruiens Imperatoribus.* Sic Bryennius Caesar, 4) sic Nicetas Choniata, 5) sic credo Georgius Pachymeres, 6) qui eos fere Celtas vocat. Codinus: 7) *Ad mensam Imperatoris* πολυχρονίζουσι οἱ Βαράγγοι κατὰ τὴν πάτριον γλῶσσαν αὐτῶν, ἤτοι Ἰγκληνιστὶ, τὰς πελέκεις αὐτῶν συγκροῦντες κτύπου ἀποτελοῦνται, *multos annos precantur Varangi patrio sermone, seu Anglice, secures suas concutientes strepitum edunt.* Anna Comnena 8) autem cum

9) p. 257. 10) Pachymeres in Michaele Palaeologo p. 41. 1) p. 58. 2) Scylitzes p. 823. alii. 3) l. I. p. 4. 4) l. I. c. 20. 5) In Isaacio Angelo p. 267. 6) l. c. p. 41. 257. id in Andronico p. 45. Ἔρρης ἐξ Ἀγγλίων *Ericus ex Anglia.* 7) p. 90. 8) p. 62.

Digitized by Google

cum Varangos ex Thule fuisse tradit, incertum reliquit, quam Thulen dicat. Nam veteres eius nomine insulae imperitius sunt vsi, sicuti tesserae addixerunt. Modo illis Scandinauia est integra, modo Noruagia tantum, aliis Anglia, aut Orcadum vna. Credo tamen Angliam dicere voluisse Comenam. Gratanter hoc accepit Vilermus Malmesburiensis. 9) Et Goar quidem hanc vocem in Baronibus Anglis inuenisse sibi est visus. *Baranagium*, inquit, *seu Varnagium, procerum regni senatus et coetus, vulgo Parlamentum: a cuius nobilitate stipendiarii Graecorum Angli, vanam titulorum libidinem Graecanico more sectati, nomen sibi* Βαράγγων *in curia Constantinopolitana finxerunt et adoptarunt.* Isti quasi Barones mihi nihilo magis placent, quam Gretseri quasi Franci Goaro. Henricus Spelmannus a Saxonico *farian, imprecari, execrari*, vnde *waringe, maledictio, Varangos* vocatos autumat. Non potuit quidquam tamen de Anglis persuaderi Carolo de Fraxinis: Villhardino suo magis aflensus est, Varangos ex Britannia quidem fuisse, at Danos potius, quam vel Saxonas vel Anglos: qua in opinione consentientem habuit Ordericum Vitalem. Locus est memorabilis in Alberto Aquensi 10) de Alexio Imp. *Is Turcopolos Pincenarios* (Picenacios seu Pazinacitas), *Comanitas, Bulgaros arcu doctos et sagitta, Danaosque* (Danos) *bipennium armatura dimicare peritissimos, Gallos* (Francos) *exules, exercitum simul conductitium populum diuersi generis contraxit.* Et Saxo Grammaticus 1) cum de Erici Ejiegod regis profectione Constantinopolitana agit: *Inter ceteros, qui Constantinopolitanae vrbis stipendia merentur, Danicae vocis homines primum militiae gradum obtinent, eorumque custodia rex salutem suam vallare consueuit.* Itaque cum ad Constantinopolin adesset, Varangi

9) De gestis Anglorum l. II. c. 13. 10) l. IV. p. 253.
1) p. 227.

Digitized by Google

rangi ab Imperatore potestatem adeundi regis sui impetrarunt, quos Ericus graui oratione ad fidem et virtutem et frugalitatem colendam hortatus, magnae admirationi fuit Graecis. Equidem non nego, Danos fuisse Varangos, si mihi quis concedat, eorum in numero frequentes exstitisse et Suionas et Noruagos. Guilielmus de Rubruquis, cum A. 1253. praeter Chersonis climata nauigaret, quae castellis erant frequentibus munita, *isthic*, inquit, *erant multi Gothi, quorum idioma est Teutonicum.* Hoc a nobis Snorro Sturlaeus, pro sua grauitate et fide, qua Saxonem multimodis exsuperat, hoc tot monumenta veteris aeui, ipsi denique lapides postulant, quos vel ex Bureanis, schedis inspeximus, vel ex Peringskioldorum operibus. Illa autem securium Varangicarum memoria, quam supra produximus, e veteris codicis membranacei pictura, quam ad Oddonis Monachi Olaum Tryguonidem Verelius edidit, 2) aliisque monumentis Scandinauicis eximie illustrari potest. Theodoricus Monachus de Noruegorum et Danorum profectione Hierosolymitana et Constantinopolitana: 3) *peractis igitur omnibus, quorum gratia viatores nostri aduenerant, cum honore recedunt, obsequium sibi parantibus nobilissimis regis curialibus, qui dicuntur Varingae.* Ex Snorrone vnum locum adferam, 4) cum tradit Haraldum Sigurdi filium ad Iaroslaum regem Russiae adiisse, ab eo autem rege, cum Eilifo Rognualdi Iarli filio, *satellitibus suis praefectum, qui regni limites tutabantur*: inde Haraldum petiisse Constantinopolin et a Varangis ducem esse lectum. Nolo hoc loco plura exempla producere ex Snorrone, in quibus sunt insignia, quae de Sigurdo Karlshufud et Olao Tryguonide traduntur, qui et apud Valdemarum regem et apud *Allo-*

2) Itt stycke af Konung Olaf Tryggiasons saga, Vpsalae 1665. 3) c. 27. 4) t. II. p. 55. seq.

Digitized by Google

Allogiam reginam, hoc est, apud S. Olgam multum potuere. Nam haec quibusdam chronologicis difficultatibus laborant, quas alio tempore dissoluam.

Quid nunc est adeo quod quemquam in nostra Varagorum nominis notatione offendat? nisi quod *Vaeringur* Scandinauicum aliquid in sono abhorrens ab altero habere videbitur. Nempe nihil eius est. Primum Scandinauos tum quidem non *Vaeringur* sed *Varangur* sese appellasse, Graecorum illa in voce constantissima consensio, vt nobis persuadeamus, postulat. Sed illud *n* cum *g* septemtrionales inter pronunciandum saepenumero eiiciebant. Id in nomine *Ingar* et *Ingnar* supra obseruauimus. In lapide, quem ad vitam Theodorici regis Peringskioldus protulit, 5) inuenio *Iggur* nomen alioqui Odini in secunda parte Eddae Snorronianae. In codice argenteo *Figgr*, *briggam*, et his similia obseruata sunt Ioanni Georgio Wachtero, 6) qui *Fingr* et *bringen* pronunciata putat, more Graecorum. Non nego voces eas ipsas esse, quas insignis doctrinae vir indicauit: concedo auctorem huius versionis ita etiam has voces pronunciasse, vt essent *fingr* et *bringen*: credo autem eius aetate etiam elisso *n* reuera dictum fuisse *figr* seu *figgr* et *brigen* seu *briggen*. Et ne Graecorum quidem illam legem constantem fuisse, vel Aristophanis τιὸ τίγξ demonstrare potest. Nisi *tio tigx* pronuncies, nihil ad philomelae cantum illa in voce fuit. Igitur pro *Ingur* septemtrionales etiam dixere *Iggur* et *Igur*, quod mihi magis pro-

5) p. 473. 6) Miscell. Berolin. Contin. prima p. 42.

probatur, quam Ioannis Schefferi de hoc nomine opinio, *Iggur* esse *Vigur*. 7) Sic *Ingerdis* est in monumento Hallelandensi *Igerdi*. 8) Sic *Aggathir* et *Angathir*, *Iggue* et *Ingue*, quod Olaus Rudbeckius in Atlantica 9) obseruauit. Sic *Ingibiærn* in runis et *Iggibirn*, *Ingefaſt* et *Iggifaſtr*, *Ragnvald* et *Ragvald*. Hunc igitur in modum *Varang*, *Varaggi* et *Varagi* dici potuere. Sed multo magis hoc licuit Ruthenico populo qui etiamnum ab *ng* quo ceterae gentes Slauicae vtuntur, abhorrens, multis in vocibus *g* tantummodo pronunciat.

7) In Vpſalia p. 76. 8) Apud Olaum Vormium p. 509. 9) p. 19.

VETAS

Digitized by Google

VETVS INSCRIPTIO PRVSSICA





Singulares esse has litteras, nec antea in Europa visas, exclamabunt omnes talium curiosi: nos, vnde eas acceperimus, primum dicemus, tum sententiam nostram exponemus, quae cupio quidem, vt eruditis viris placeat, malim tamen, vt post me alii quod verissimum sit inueniant, aut nostram opinionem amplius confirment: fieri enim potest, vt res haec tam exilis, aliquem fructum in historiam importet, si planius explicetur. Christianus aliquis cum Philippo aliisque Cisterciensium disciplina inter primos fuere, qui in Oliuiense monasterium Samboria

Digitized by Google

liberalitate institutum concesserunt. Et Christianus quidem Freiewaldensis in monasterio Colwicensi litteris, vt tum erat, sic satis eruditus, in Oliua factus est Abbas. Is cum animaduerteret, in Prutenis non modo e plebe homines, sed summo loco et potentia ad religionem veri numinis commoueri, cum Philippo suo profectus est Romam ad Innocentium III. vt cum de his, quae in Prussia fiebant, quaeque sibi videbantur, admoneret. Roma anno CIↃ CXCVIII. cum mandatis ad archiepiscopum Gnesnensem rediit, cui, quae episcoporum muneris essent, a Pontifice commendata sunt interea, donec suos Episcopos Pruteni acciperent. 1) Anno CIↃ CCXIV. Christianus Varpodam et Suauabrimum principes viros e Prutenis, tamquam primitias Romam deduxit, et Varpoda quidem Philippi, Suauabrimus autem Pauli nomine initiati sunt. Philippus Lausaniam, quam tenuerat, Paulus Luboulam, dono dedere Cistercienſium ordini. Innocentius anno post, donationem confirmavit et Christianum Prussiae primum episcopum fecit. 2) Insecuta sunt ea tempora, quibus expeditionem sacram susceperunt equites Teutonici, subactaque quadam Prussiae parte, anno CIↃ CCXLI. Christianus diem obiit. Is, quae ad superstitionem Prussorum historiamque veterem et expeditionem ab equitibus Teutonicis susceptam pertinebant, diligenter consignauit in libro, 3) qui nunc quidem aut latet in tabulariis aut certe nobis periit. Vsi autem eo sunt Simon Gruna, monachus Dominicanus et ille pater historiae Prutenicae Lucas Dauid, qui ante hos centum et quinquaginta annos et amplius, com-

1) Haec et cetera omnia ex diplomatibus accepimus, quorum quaedam in decretis et epistolis Innocentii III. a Baluzio editis, alia in Lucae Dauidis chronico MSto reperiuntur. 2) E bulla Pontificis et chronico Montis Sereni p. 109. Monachus Trium Fontium p. 444. 445. 3) Cui titulus is fuit: *Liber filiorum Belial et de eorum superstitionibus.*

Digitized by Google

commentarios suos excuderunt, nondum publice editos. Ambo e Christiano episcopo inscriptionem vexilli Prutenici suis scriptis inseruerunt. Quae quia in Simonis Grunae MS. quod apud Regiomontanos in bibliotheca Augusta exstat, nonnihil differt ab ea, quam Lucas David expressit in autographo, ex quo in eadem bibliotheca nos nostrum exemplar descripsimus, idcirco primum e Gruna, tum deinde etiam e Dauide inscriptionem sub principio posuimus. Caspar Schuzius quoque numos quosdam ex agro erutos in chronico producit litteris non abhorrentibus ab illarum forma: de quibus tamen hoc loco non dicemus.

Duae opiniones de his litteris obtinuere adhuc inter populares meos. Nonnulli ab otiosis confictas esse opinati sunt: alii runas esse contenderunt. Vtrique mihi compendium facere sunt visi. Nam quae quis non intelligit, ea, si somnia et nugas dicat esse, in perpetuum se expedire videtur ab inquirenda veritate, ne tamen confiteatur se hominem esse et aliquid ignorare: qui autem runas esse perhibent, hi sibi videntur aliquid dicere, dum nobili quidem, sed obscura voce alios absterrent, ne quaerant amplius. Hos ego patienter audirem, si runas recodarentur a septemtrionalibus populis dici cuiusuis litteras gentis, non eas modo, quae in saxis Sueonicis, Noruagicis, Islandicis, Danicis inciſae sunt. Sic *Griſkar runir*, Graecas, *Ira runir*, Irlandicas, *Groelandoukar runir* Gronlandicas vocant, teste Arngrimo Iona in Crymogaea, et *Vplandoukar runir* et *Venda runir*, ne quid dicam de *Sigrunar* seu magicis ad incantationem characteribus. Istum in modum per me quisque has quoque Prutenicas runas nuncupet, dum ne aliud se dicere putet, quam αὐτὸ τοῦτο, γράμματα. At illi nostri aliter sentiunt. In Britannia veteres Saxones runis seu litteris septemtrionalibus vsos esse, ex eo coniicit Georgius Hickesius, 4) quod, cum ab Aelfredo rege ad Ro-

4) In Thesauro linguar. septemtrional. T. I. praef. f. XXXV.

Digitized by Google

manum Franciçumque ſcribendi modum Saxonica ſcriptura conformata eſt, veſtigia tamen runici characteris manſerunt, vt e ſpecimine codicis Lichfeildenſis apparet. 5) Francos etiam et Alemannos ſeptemtrionalibus his ruinis aliquando vſos fuiſſe, Olaus Vormius in litteratura Danica ex Auentino et Lazio colligit. Id quoque e Francico alphabeto intelligas, quod Mabillonius libro quinto rei diplomaticae exhibet. In eum igitur modum aliqui hos ad orientem populos, et Prutenos veteres a Scandinauis runas accepiſſe contendent. Sed tanta in ignoratione runarum ſeptentrionalium verſantur, vt operoſa confutatione nequaquam indigeamus. Qui fidem Chriſtiani ſuſpectam habent, duobus monumentis refelluntur, quae doctiſſimus Meſſerſchmidius Gedanenſis ex oriente deſcripta ſecum attulit et Societati noſtrae communicauit. In his enim idem litterarum genus magna cum voluptate conſpeximus. Tab. 29. I. II. Primum monumentum eſt inter *Teſcham* et *Ioerbam* fluuios in Ienizeam ſe effundentes in deſerto Kirgiſico, loco inter agreſtes tumulos eminenti, repertum. Tab. 29. III. IV. Alterum autem ſaxum in editiore colle Kirgiſici deſerti ex aduerſo profluentium in *Vybathem Bee* et *Nonach* oſtiorum poſitum fuit.

Quales nunc dicemus eas litteras eſſe? Nihil valde aſſeueranter dixerim. Attamen intelligere mihi videor, populos ad Caucaſum atque in omni tractu ſeptemtrionali vſos eſſe peculiari hoc genere litterarum. Clemens Alexandrinus in Stromatis 6) ex Pherecyde coniecturam duxit, Scythas certa ſymbola adhibuiſſe. 7) Sed Faſti Sieuli, qui in Heracleo minore deſinunt, inter gentes litteratas recenſent, Sarmatas, Scythas, Cappadocas, Iberos ſeu Georgianos et Baſtarnas. Et Euſtathius in Homerum, 8) illorum populorum litteras his verbis attigit: καὶ τῶν τινες

5) In Grammatica Franco Theotiſca. f. 3. 4. 6) f. 567.
7) p. 60. ed. Rad. 8) f. 632. ed. Rom.

Digitized by Google

τινες ὕστερον Σκυθῶν ἐσήμαινον, ἃ ἤθελον, εἰθωλά τινα καὶ πολυειδῆ γραμμικὰ ξέσματα ἐγγράφοντες, ἤτοι ἐγγλύφοντες πίναξι, τετέσι σανίσιν ἀλλοίαις τε καὶ ταῖς ἐκ πύξων, *quidam*, inquit, *posteriorum aetate Scytharum, quae vellent, symbolis quibusdam suis notabant, variaeque ductus figurae inscribebant aut insculpebant, potius tabulis seu asseribus, tum aliis, tum buxeis.* Τὰς ὕστερον Σκύθας vocat istas, quae veterem Scytharum sedem occuparunt, alterius stirpis et corporis gentes. Tabulas etiam Graeci veteres adhibuerunt, ex quo ὁ πίναξ καὶ τὸ πυξίον *liber* dicebatur; et ξύειν scribere, vt alibi Eustathius. Sic Romani ab rudium aetatum more *tabulas* appellarunt seu legum seu testamentorum codices. In Scythia et Thracia lapides litteratos passim exstitisse, Herodotus 9) planis verbis testatur eosque Sesostri ex Aegyptiacae expeditioni attribuit. Iornandes Geta, seu Alanus potius, scribit, aurum suum Periam notarium fuisse apud Candacem regem Alanorum inferiorem Moesiam tenentium. His addit: *ego quoque, quamuis agrammatus* (Latinis pura litteris nondum institutus) *ante conuersionem meam notarius fui.* Suas igitur et peculiares litteras Alani adhibuerunt.

Nicolaus Keder dignissimus illa nobilitate et virtutum et doctrinae humanitatisque gloria, in numis Gothicis, quos magna cura collegit, sibi ipse minime satisfecit, quod runas nullas vsquam reperiret. Nec poterat aliter fieri, cum Scandinauicae runae frustra quaererentur in numis nec Sueonicis, nec Geticis. Nam quod doctissimi viri numos Macedonios et Thracios, ab illa eluuione gentium passim disseminatos, Hispanicos etiam quosdam a Gothis suis conflatos opinantur, in eo nimium pietati patriae, qua omnes populos antecellunt, tribuisse videntur. Is ipse numus, in quo Kederus amicissimus Othinum sibi reperisse videtur, ex illa seu Mace-

9) l. II. c. 106.

donum seu Thracum officina exiit. Testimonio esse possunt numi qui extant indubitatae fidei Macedonici et Thracici, quos si cum his conferas, de quibus dubitatur, quosue tamquam ex inopia consilii et ex desperatione Gothicos nonnulli etiam in Italia et Gallia vocarunt, nihil prius in mentem veniet, quam id quod sentio et dico. Vnum eximium habet cimeliarchium Imperatorium, plane talem, vt sunt ceteri omnes, quos Gothicos dicunt, sed in quo H. Graecum diserte scriptum est, velut hic in figura vides, Tab. 29. Fig. V. vt Perdiccam possis agnoscere alterutrum, nam id ego nunc non ago. Tametsi igitur in his numis frustra quaesitae litterae Alanorum et Getarum, forte et vetustiorum Scytharum, tamen mea opinione, his quae produxi, monumentis conseruatae sunt.

Inter primos populos, qui litteras ad sermonem adhiberent, Syri et Phoenices fuere, a quibus Graecos edoctos fuisse satis constat. Dolendum est tamen, ita periisse nobis Phoeniciarum memoriam litterarum, vt ex numis Punicis et Palmyrenis Persicisque monumentis nondum plane restitui potuerit. Bernardus Montefalco in Palaeographia Graeca [10]) infeliciter tentauit aliquas litteras reducere, vsus est enim numis principio truncatis littera vna, vt numus alius extremo caret apud Nicolaum Haymum Romanum. 1) Apud Haymum tamen is ipse numus, quem Demetrio inscriptum Montefalco exhibet, integris litteris omnibus reperitur. 2) Huic vni numo multum debemus, nec desperandum est, in restituendis litteris Phoeniciis progressus insignes fieri posse, si quis huic negotio se dedat. Litterae autem Phoenicicae minores exstant in numis, maiores quadrataeque, forte et antiquiores in monumentis Palmyrenis. In monte Sinai quoque incisae sunt litterae, quas Cosmas Indicopleustes Iustiniano imperante vidit. Earum aliquas Athanasius

10) f. 118. vide Diarum Italicum eiusdem p. 365. 1) N. Thesoro Britanico. t. I. p. 105. 2) t. I. p. 100.

Digitized by Google

nasius Kircherus in prodromo Copto et Oedipo edidit, alias mecum communicauit clarissimus Lacrosus e schedis Egmontii de Nyenborg nobilis Bataui, qui anno CIↃ IↃ CCXXI. eas de rupibus Sinai montis descripserat. Plane autem cum Phoenicicis, vt in numis exstant, conveniunt. Phoenicicae litterae in Persiam quoque commigrarunt, vt alibi e Diodoro Siculo monui. Apparet id etiam ex inscriptionibus Persepolitanis. Ab hac stirpe Parthicae quoque litterae propullularunt, quibus ad hanc vsque aetatem Gauri, Magorum reliquiae, pulsae ex Persia quidem, sed in India receptae, vtuntur. Primus eas Thomas Hyde Europaeis ostendit. Armeni et Persicis et Graecis litteris sunt vsi, teste Mose Chorenensi in genealogia Armenica posterorum Iapeti. 3) Is suo tempore vetusta prouinciarum, vicorum, aedium, privatarum litium foederumque acta Persicis Graecisque litteris exstitisse, Armenicas autem litteras ante Mieſrobum neminem instituisse scribit. Rem omnem ita narrat Moses Chorenensis. Cum christiana religio auspiciis Tiridatis regis tertio post Christum natum seculo per S. Gregorium in Armenia radices egisset, ex eo tempore Mieſrobus Varasdati et Arsacis IV. a secretis, vir religiosus et pietatis augendae cupidus, relicta aula concessit in monasterium. Atque cum esset Graecae linguae peritus, non modo praelegere populo sacras scripturas solebat, sed etiam interpretari. Graeci alii sacerdotes ignari Haicanae linguae praelegebant quidem Graeca, sed qui interpretaretur, erat nemo. Haec res commouit Mieſrobum, vt apud animum suum constitueret, Graeca Armenice traducere. Nequidquam hoc tentabat, nisi si litterae exstarent, quibus ea commode transcriberentur. Communicato consilio cum Isaaco patriarcha Armeno, adiit Abelem quendam, quem audiuerat id ipsum agere, vt efformatis secundum Graecos litteris, Haicanum sermonem litteratum efficeret. Cum autem

3) p. 9. 410. ed. Amstelod.

Digitized by Google

imperfecta omnia isthic reperiret, ad Danielem episcopum in inferiori Mesopotamia et Edessae ad Platonem rhetorem tabulario praefectum adit formasque litterarum fabricari instituit. Sed cum Plato in talibus parum se proficere videret; Epiphanium commendat magistrum suum, hominem perquam erudirum. Ad eum profectus Miesrobus Samosatam, acceptoque, diem obiisse Epiphanium, cum Rufino discipulo Epiphanii Graecis litteris doctissimo rem communicat, nec hilum proficit. Huio loco Moses Chorenensis τὸν θεὸν ἐπὸ μηχανῆς aduocat. 4) Miesrobo visum videre animi cogitatione manum inscribere lapidi omnes litterarum formas copulationesque Armenicae scripturae. Protinus Miesrobus ita vt animo conceperat rem, Rufino ostendit et perfecit. Perfecit autem, vt ait Moses, litterarum formis e Graeco derivatis, reuersusque in Armeniam Isaaco patriarchae exposuit, hic autem regi Vramschapo. Rem placebat conferri cum Theodosio Graecorum imperatore et Attico patriarcha Constantinopolitano, intera Isaacus et Miesrobus mittunt Edessam, Alexandriam, Athenas et Constantinopolin iuuenes, qui Graecis litteris instituti sacras scripturas Haicana lingua interpretati sunt. Easdem litteras Miesrobus Iberibus et Georgianis tradidit, teste Mose Chorenensi. 5)

Haec ita de origine litterarum Armenicarum et Ibericarum Armeni. Ego vt non negauerim, esse quandam Graecarum Armenicarum et Georgianarum litterarum conuenientiam, vt aliae ex aliis sint ductae, tamen id potius mihi sentire videor, ex Graecis litteris factas esse Ibericas, ex Ibericis demum Armenicas, Ibericas vero antiquiores esse, vulgatasque per populos Scythicos, Alanicos, Geticos vsque in extremum orientem penetrasse. Sane, si quis haec, quae produxi, tum Prutenica, tum nescio cuius populi in disertis Kirgisicis monumenta inspiciet atque cum Ibericis litteris conferet, is

4) p. 401. 5) p. 412.

Digitized by Google

is minime dubitauerit, ſummam earum litterarum congruentiam animaduerti. Duo autem ſunt genera litterarum Ibericarum, minora, quibus maxime vtuntur, ſed recentia, tum maiora, ſed vetuſta. Primum quod ſcio, alphabetum Ibericum vulgatum eſt in Europa anno CIↃ IↃCXXXIX. typis Congregationis Cardinalium de propaganda fide, cum quibusdam ſpeciminibus linguae. Sed minores tantummodo litterae eo in libello excuſae fuerunt. Eodem annò iisdem typis Stephanus Paolinus, adiuuante Nicephoro Irbacho Georgiano monacho S. Baſilii, edidit lexicon Georgianum et Italicum, in quo etiam alphabetum illud minus principio libri poſitum eſt. Maiores autem litteras primus nobis deſcripſit Franciſcus Maria Maggius Panormitanus, Clericus regularis Romae iisdem typis, anno CIↃ IↃ CCXX. in ſyntagmate linguarum orientalium, quae in Georgiae regionibus audiuntur. In his prima eſt inſtitutio Georgianae linguae. Ex Maggio litteras illas Andreas Mullerus Greiffenhagius produxit. Praeterea Romae doctrina chriſtiana Bellarmini et Litania Mariae Lauretanae edita ſunt Georgiana lingua.

Vt igitur Ibericae litterae cum his Prutenicis et illis Kirgiſicis comparari poſſint, appoſui eas hic in tabula. (Tab. 29. Fig. VI.) Vnum adhuc aduertet lector rem, quod in monumento figuram ſtatuae plane Aegyptiacam cernit. Hoc nobis minime aduerſum eſt. Nam in Colchide, vnde has litteras profectas diximus, multa veſtigia Aegyptiacae ſtirpis cum ab Herodoto tum ab aliis animaduerſa ſunt. Herodotus ſic ait: 6) *Φαίνονται εόντες οἱ Κόλχοι Αἰγύπτιοι, νοήσας δὲ πρότερον αὐτὸς, ἢ ἀκούσας λέγω. Colchi videntur Aegyptii eſſe: id dico, quod iudicio quodam meo et ſenſu animaduerti, prius quam ab aliis idem referri accepi.* Et Colchi quidem, quos percunctatus eſt, e priſca memoria aſſeuerabant, maiores ſuos ab Aegypto profectos. Aegyptii non

6) t. II. c. 104.

non ita asseuerate quidem, attamen vt opinarentur Colchos ab Sesostris exercitu iis in regionibus relictos fuisse colonos. Argumento erat, quod vultus Colchorum Aegyptiaca ora referrent, quodque soli illis in tractibus Colchi et Aegyptii lini fabricas haberent et quod linguae vtriusque populi congrueret, quod postremum maximi facio. Dionysius Periegetes 7) idcirco quoque

Πὰρ δὲ μυχὸν Πόντε, μετὰ χθόνα Τυνδαριδάων
Κόλχοι ναιετάασι, μετήμυδες Αἰγύπτοιο.
Ad intimum Ponti recessum, post terram Tyndaridarum
Colchi degunt, colonia Aegypti.

Itaque mirum non est, si e Colchide et Iberia aliquid Aegyptiacis simile ad vicinas gentes vna cum litteris penetrauit.

DE INSCRIPTIONIBVS IVDAEORVM GRAECIS ET LATINIS.

Si quis in eum modum Iudaeorum inscriptiones illustrasset, vt multi excellenti viri ingenio Christianas, ab tali labore aequius abstinerem, quem ante me summa laude viri suscepissent; nunc, quia Iudaeorum Graecae et Latinae inscriptiones, quantum memoria teneo, luce carent, nostram in iis illustrandis diligentiam spectari, haud absurdum erit. Nequaquam tamen instituī omnes in-

7) v. 688.

Digitized by Google

inſcriptiones, in quibus nomen Iudaicum exſtet, coaceruare, ſed earum aliquas tantummodo ceteris ſepoſitis, percenſere. Nec ſunt adeo multae, quae praeſertim ab ipſis Iudaeis collocatae fuerint. Maximus lapidum aerisque vſus, aut per inſtituta maiorum, aut per adflictam fortunam Iudaeis negatus erat, vt neque diis quidquam conſecrarent, nec opera publica inſcriberent, nec Caeſarum numini adularentur, nec foedera ciuitatum magnopere conſignari ſtuderent. Inter tot Romanorum decreta et ψηφίσματα Graecorum, quae partim Ioſephus nobis conſeruauit, partim Iacobus Gronouius ex aliis collegit, vix pauca inuenio ab Iudaeis ex ceterarum conſuetudine gentium marmoribus aut aeri inciſa fuiſſe. Supererat exile et contemtum monumentorum genus, cum tumuli inſcriberentur, tametſi etiam hoc rarum, et, ſi quod exſtitit, inter tantas Romanarum Graecarumque molium ſtrages et cineres ſepultum iacet. Exſtant quidem et Ebraice inſcripta מנימתא, ſed recentia pleraque et in Europa plura, quam in Aſia. Is qui ante annos centum et octoginta ſcripſit אגרת יחוס האבות רגר commentarium ab Vrio bar Simeonis compilatum, diligentiſſime monumenta Iudaica percenſuit, nulla inſcriptionum memoria. Diligentior multo antea Beniamin Tudelenſis fuit, ſed in quo fidem et ingenium hic maxime deſideres, praeſertim vbi praeter ſepulchrorum titulos etiam aereas columnas Salomonis nomine inſcriptas commemorat. Sed haec ſunt plane gerrae, quas ille σωμυλιοσυλλεκτάδης temere effutit. Thomas Obecinus Nouarienſis in monte Sinai antiquiſſimas omnium, quae exſtant, Iudaicas inſcriptiones vidit, de quibus Athanaſius Kircherus in Prodromo Copto et in Oedypo multa, nequidquam hariolatus, poſteritatis eas cognoſcendi cupiditatem eluſit, non reſtinxit. 1) Monconnys Lugdunenſis iudicauit chryſulca ſaxa illa fuiſſe inſcripta et exeſa, diuerſum autem colorem

1) Morini Antiquit. Oriental. Lond. ed. p. 147.

Digitized by Google

rem a rupibus scripturam traxisse. Petrus a Valle vnam earum ipse in itinere vidit, ceteras ex schedis Obecini ad Io. Morinum misit. Antiquiores sunt vtique Iustiniano Imperatore.[2]) Nam Cosmas Aegyptius Indicopleustes easdem a se visas in monte Sinai commemorat, ratus nomina Iudaeorum esse, qui isthaec inter longam moram itineris incidissent. Quae inscriptionum, eadem nummorum raritas est. Nec est memoria Iudaica, nisi in moneta ab Romanis aut Herodibus semi iudaeis conflata. Hos ego auctores etiam duorum nummorum ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΟΚΤΙΑΣ inscriptorum iudico, non autem Graecos, vt Erizoni fuit visum. Siue in Aegypto, siue in Iudaea, a C. Sosio primum, deinde ab Vespasiano, signati sunt. Aeliae autem Capitolinae nummos, quorum vtique luculenta copia est, vix ad Iudaicos referas. Graeci isti coloni fuerunt, cum tanta strages ab Hadriani ducibus in Palaestina esset edita, ὥςε πᾶσαν ὀλίγε δεῖν τὴν Ἰουδαίαν ἐρημώθηναι, Dione et ex eo Xiphilino testibus. Quantumcunque igitur ex Iudaeorum monumentis superat, ex tenebris et squalore vindicare, quam nihil agendo desidiosum esse, praestabit.

Initio de aliquibus dicemus inscriptionibus, quae Iudaeorum mentionem iniiciunt, nec sunt tamen ab Iudaeis collocatae. Memoria Iudaicae cladis in mentem nobis arcum triumphalem Vespasianorum reuocat. Ianus Gruterus inscriptionem habet, quam ex eo Harduinus in nummis populorum profert, insignem eiusdem cladis memoria. Illum lapidem iuxta arcum Titi se legisse Renaldus Lubena Senator Palaeapoleos Regiomontanae, vir summa fide et integritate, scribit in diario MS. quod in Palaeapolitana bibliotheca seruatur, quantiuis liber pretii. Fuit autem A. CIↃ IↃ LXXXIX. Romae ei in titulum legit:

SENA-

2) f. 205.

SENATVS. POPVLVSQ. ROMANVS
DIVO. TITO. CAES. DIVI. VESPASIANI. F. VESPASIANO AVGVSTO. PON. MAXIMO. TRIB. POTEST IMP. P. P. PRINCIPI. SVO QVI. PRAECEPTIS. paTRIAE. CONSILIISQ. ET. AVSPICIIS GENTEM. IVDAEORVM. DOMVIT. ET VRBEM HIEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE. SE DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBVS. AVT FRVSTRA. PETITAM. AVT. OMNINO INTENTA*tam*. DELEVIT

Gruterus eum titulum ſic edidit, vt haud parum diſcriminis prodat: at Marlianus et Faunus, quorum memoria lapis hic in Circo fuerat effoſſus, cum Lubena magis concordant. Hoc adhuc intereſt inter illorum auctoritates, quod Lubena DIVO. TITO. Marlianus, vti Gruterus IMP. TITO habet, quodque is nullos numeros, alter corruptos, Gruterus aliquanto correctiores adiecit. Suetonio teſte, Titus Hieroſolymis captis Romam reuerſus, patri collega in tribunitia poteſtate et ſeptem conſulatibus fuit. Hinc decem tribunatus Gruteriani, ſed nequaquam octo conſulatus comparent. Nec Idatiani et Anonymi Faſti octauum conſulatum norunt. Apud Gruterum amplius IMP. XVII. fine controuerſia error eſt tranſcribentium. Marlianus legit IMP. XVII. XIII. multo etiam magis corruptum. Videlicet legere debebant: IMP. CONS. VII ſcriptura autem per aetatem obliterata et confuſa, error errrores edidit plures. Harduinus, qui titulum ex Grutero euulgauit, veretur, vt genuina ſit inſcriptio. A qua opinione nec ego abhorreo, niſi me Lubenae auctoritas reuocaret, cuius apud me maxima fides eſt. Sed is nihil amplius praeſtare poteſt, quam, eiusmodi lapidem Romae exſtitiſſe. Controuerſia manet, cius aetatis, quam prae ſe fert, fuerit, an ſequiorem fraude aliqua tegat. Habet tota inſcriptio ambitioſius et glorioſius quidpiam, quam vt tum Romanorum mores ferebant, cum ſic inſtituerentur inſcriptiones, veluti teſtimonium

monium in foro coram iudice diceretur, vt illa Getae et Chaereae de virginibus dicta, mihi in hac re locum habere videantur:

Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem,
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
vt, ni vis boni
In ipsa inesset forma, haec formam extingueret.
Tum color verus, corpus solidum et succi plenum.

Qui hanc partem antiquitatis tractarunt, intelligent, quid dicam. Titum autem fugisse credam, Hierosolymam ab Pompeio, C. Sosio, Syriae Aegyptique regibus toties occupatam? ne vetustiora memorem, quae eum latere poterant. Quid autem siue PATRIAE siue PATRIS PRAECEPTIS dicam esse? quis sic veterum loquitur? aut quomodo praecepta et consilia coniuncta sunt? Romanus tantum *auspiciis patriis* inscripsisset. Igitur et hic lapis antiquarii alicuius malo dolo suppositus est, vt multi alii. Non enim ita fert animus, vt Iudaeum aliquem auctorem credam, tametsi perpetua gentis suae praedicatione et immodici et vani et fidei subleſtae Iudaei sint: nec ignorem ab Hispanis Iudaeis Amaciae et Adonirami inscriptiones a Vilalpando editas, sine controuersia confictas esse. Secundam arcus triumphalis faciem illum lapidem expleſſe Olao Borrichio referenti non ante assentiar, quam isti scrupuli exempti mihi fuerint. Premunt enim me, ne pedibus in sententiam eius concedere possim.

Is arcus oppletus hodie ruderibus et foetore, grande Iudaicae monumentum cladis, ab Hadriano Relando lucem accepit in libello de spoliis templi Hierosolymitani. Peroportuno autem loco non possum, quin sententiam de basi sacri candelabri in arcu isto fabricati, a me in Actis Eruditorum Lipsiensium expositam confirmem.

Cum

Digitized by Google

Cum Relandus illam basin, vti in arcu visitur, in templo Hierosolymitano exstitisse pernegat, tum ego vero, iis coniecturis, quas expromit, minime assentior, exstimo autem candelabri pedes, quocumque fato (in itinere certe, aut triumpho) confringerentur, ab Romano architecto alios fuisse subditos, vt in aede Pacis reponi lychnuchus posset: illos, qui arcum fabricabantur, in aede Pacis spectasse, ac veluti parum referret, hanc basin, non eam, quae fuisset antea, lapidibus incidisse. Ac ego quidem non inficior, Iudaeos gryphum monstra, vt in basi sane illa, et peristromatis intexisse et in papyro membranaque pinxisse. Testem ego vel hunc codicem membranaceum quadringentorum annorum in bibliotheca Palaeapolitana appello, in quo frequentia sunt monstra, nullo certo fine ad marginem nescio quibus Arcadici pecoris auriculis aliisque desidiosorum hominum picturis descripta. Talia superiorum seculorum memoria in membranis librisque Latinis adscripta reperiuntur. Sed haec consulto et memoriae causa pingebantur, si quid eximium in auctore aliquo grammaticus notaret. Ex epistolis obscurorum virorum id intellexi, in quibus non nemo scribit; se probe minimisse illius Virgiliani *conticuere omnes*, nam ex praecepto grammatici, qui haec explicabat, virum se pinxisse in libro, qui os occlusum fera haberet. Alius ad Valerium Maximum, loco, vt ipsi videbatur, memorabili, manum se pinxisse refert. Et inde adeo sunt illa in veteribus libris ἐκτεφώματα, non a pueris, vt quidam putarunt. Nihil horum spectarunt Iudaei. Temere et ornatus causa paginis illa adleuerunt. Polymitarios Iudaeos monstris talibus effingendis elaborasse Isaacus Vossius ad Catullum probat. 3) Sed in eo errat videlicet, meo iudicio, quod in iisdem hieroglyphici aliquid quaerit, quod ab Aegyptiis Iudaeos accepisse innuit 4) (parum secum congruens, cum alibi

3) p. 196. 4) ib. p. 29.

Digitized by Google

alibi Aegyptios ab Iudaeis ſua accepiſſe opinatur) quod denique ſolos Iudaeos accupicta fecisſe ex Claudiano perperam concludit. Fecere et Phoenices et Perſae et Aegyptii. Phoenices omnium artium ſcientia, etiam earum, quas, tametſi ad vſum hominum maxime facerent, Iudaei tamen ignorabant, praeſtitere. Neminem fugere poteſt, qui Euſtathium ad Odyſſeam, aut omnino veterum aliquem legit, quanti artifices in omni polymitarum genere Phoenices fuerint. Confirmat id Ariſtoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων ſcribens de veſte, quam Alciſthenes Sibarita habuit, quamque Dionyſius ſenior Carthaginienſibus dono dedit centum et viginti talentis emtam, ἐκατέρωθεν δὲ διείληπτο ζωδίοις ἐνυφασμένοις, ἄνωθεν μὲν Σάσσις, κάτωθεν δὲ Πέρσαις. Picti vna erant Alciſthenes et Iupiter et Apollo et tot nomina deorum dearumque, quae intexere Iudaeum non potuiſſe adparet. Perſica gryphes habebant, Hipparcho teſte apud Athenaeum, 5) ſed et integras hominum imagines:

Ἀλλ' ἢ δαπέδων ἓν ἀγάπητον, ποικίλον,
Πέρσας ἔχον καὶ γρῦπας ἐξώλεις
Τῶν Περσικῶν.

Icaque non tantum ἱππαλεκτρύονες, γρυπάετοι, aut τραγέλαφοι in iis erant, quos Ariſtophanes ἐν βατράχοις, in iis ipſis aulaeis, quibus tum ſcena exornata erat, digito monſtrauit:

Ἂν τοῖσι παραπετάσμασι τοῖς Μηδικοῖς γράφωσιν.

In Aegypto ob mercaturas non modo ex Phoenicia et Media ſed etiam ex India goſſypina veſtimenta aduehebantur, 6) quae vt Achilles Tatius in Eroticis memorat, ἀπὸ δένδρων ἕλκουσαι νήματα γυναῖκες ὑφαίνουσιν ἱμάτια. Nec inficior, in Aegypto aeque ac in Phoenicia, Aſia minori, Media, textores Iudaeos fuiſſe, modo et numero plures et aeque celebres textores alienigenas fuiſſe Voſſius

5) f. 472. 6) p. 171.

Digitized by Google

ſius nobis concedat. Tantum autem abeſt, vt haec hieroglyphica ſint, vt ne quidem idonea auctoritate probari poſſit, intexta vmquam fuiſſe hieroglyphica. Non haec cuilibet tractare licebat. Ars omnis *in operto adyti*, vt loquitur, continebatur. Sic et Nonnus Panopolitanus in Dionyſiacis:

ἦμος Αγήνωρ
Μέμφυδος ἐνναέτης ἑκατόμπυλον ᾤκεε Θήβην,
καὶ ζαθέων ἄῤῥητον ἀμελγόμενος γάλα βίβλων
χειρὸς ὁπισθοπόροιο χάράγματα λοξὰ χαράσσων
γέγραφεν ἀγκύλα κύκλα,

Ex Plutarcho amplius idem, ſi ita neceſſe ſit, probare poſſim. Sed Aegyptii, ſacerdotes, ſi quando neceſſe erat, hieroglyphica pannis committi, εἵμασι φοινικίοις figuras exciſas agglutinabant. Quod non modo ex Herodoto noui, qui tradit, Micrinum Aegypti regem filiam ſuam ita tumulaſſe, ſed etiam ex Lipſienſi mumia, quae in Senatoria bibliotheca repoſita eſt. Alioqui etiam in ſacris, vulgaribus Phoenicici ſeu Aegyptiaci operis pannis vtebantur, vt in Olympiaca ſtola Apuleii, *quaque viſeres, colore vario notatis inſignibus animalibus, hinc dracones Indicos, inde gryphes hyperboreos, quos in ſpeciem pinnatae alitis generat mundus alter.* Iudaica polymita in ſacris operiri nefas fuiſſe, Plutarchi librum de Iſide et Oſiride legentibus non obſcurum erit. Igitur illa ſtola Iudaicae texturae non fuit. Vtebantur autem Aegyptii in ſacris, aeque ac Phoenices, etiam integrarum imaginum tapetibus. Theocritus talia tapetia Syracuſanis ſuis in Adonis feſto oſtendit Alexandriae, ἔμψυχ' ἐκ ἐνυφαντὰ iudicaſſes. In iisdem tamen ϛρεθωτῶν ἑλιγμάτων aliquid fuiſſe credo, vt ſupra in Carthaginienſi. Circum veſtes enim ornatus gratia ambibant ὀχθοίβος καὶ κράσπεδα, quale illud in Aeneide,

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,

aut ex byſſo, purpura et cocco faſcia extremitatem veſtium ornabat; vt ex Seruio et Alexandrino lexico, quod Cyrilli vocamus, conſtat. Eadem in Phariſaeorum veſtibus profuſio, ea et in Alexandrinis tapetibus λώματα, vt Alexandrina voce vtar. Eadem diu in tapetibus Arabicis quoque fuere, vt cum Aegyptius Chalipha ex Phatemidarum familia Hugonem Caeſarienſem principem et Gaufridum ex ordine Templariorum in Cahirenſi palatio accepit, cognitum eſt. 7) Villermus Tyrius: *Hic quadrupedum ſtupenda varietas, qualem pictorum ſolet manus laſciua depingere; qualem ſolet poetica licentia mentiri, aut ſomniantis animus viſionibus imaginari nocturnis: qualem orientis et auſtri ſolent dioeceſis miniſtrare, occidens autem videre numquam, audire vero rarius conſueuit. Videbatur procul dubio quod ex iis locis Solinus noſter Polyſtoris ſui deduxerit hiſtoriam.* Sed reprimo me, ne vager longius. Huc adeo me per errores Voſſii abductum ipſe miror. Quicquid ſit, ab Iudaeis haec baſis fabricari non potuit, quod protuberantes eminentias iſtius modi facere per religionem prohiberentur. Moſes Maimonides * omnes imagines ex Miſchna ſua, etiam ornatus cauſſa factas damnans, adiicit והוא שתהיה מצורה בסלת כגון מציור והכיור שפטרקלין וכיוצר בהן ואם צר לוקה *eſt hoc intelligendum de imagine, quae protuberat, quales ſunt ſculpturae in palatiis et his ſimiles, quales, qui facit, vapulat.* At depreſſam figuram et coloribus, in menſis, tabulis, polymitis pictam, licere idem iudicat. Idcirco Romanus architectus ſaltem, cum baſin faceret, ſpectare in tapetibus Iudaicis illas figuras potuit. Enimuero ſi quis in ea opinione ſit, non intercedo, ego tamen aliter ſentio. Conſtabat Iudaeis, aquilas maieſtatem imperii Romani ſignificare. Praeterea non ignorabant, Romanos iis ſacra facere. Iam vt Maimonides tradit, quae diuino aliquo cultu haberentur, nec intexere omnino, nec in opere vllo, argento,

7) f. 965. * Halachoth auodah ſarah c. VII.

gento, auro, luto domi suae habere Iudaeis licebat: vt rursum vel inuidia seruituis suae Romanarumque virium, vel religione prohiberentur, aquilas intexere. Fuit igitur Romani architecti opera haec basis subdita. Aquilas Romani ornamenti caussa plerisque rebus, etiam aedium tectis incidebant, quorum imitatione Graecos putat L. Begerus tectum aedium ἀέτωμα appellasse. 8) In quo tamen Eustathio et Etymologico accedere malo, qui a figura volatus ἀετώματα et ἀετοὺς dici produnt, διὰ τὸ ἐμφερὲς τῇ πτήσει τοῦ ζώου εἶναι. Quod cetera baseos ornamenta attinet, de iis Vitruuius: Romanos candelabra talibus instruxisse, *quae nec sint, nec fieri possint, nec fuerint in veris rebus.*

. . . . PROH. DOLOR
AEMY. BERE. PRAEF. ILLYRICI
QVI. IMPER. MAGISTRATVS
SICCARIOS. INSECVTVS. IVSTE
SEMPER. FVERIT. POST. ADMINISTRATAM
AEGYPT. DVM. IN. GALL. CVM. LIBER.
IVSSV. IMP. CONSTANT.... PROFICISCERETVR
A. SICCARIIS. ET. IVDAEIS. PERVICACISS.
NEFANDVM. FACINVS. IN. VICO. C.
PETRONII. AD. RIPAM. DRVENTIAE
PVGIONE. CONFOSSVS. HIC. SITVS. EST
S. L. H. P. M. R. D. O. M. V. F.

Quaedam sub initium desunt, quo fit, vt nec primos versus sine offensionis metu legam. Postea: *Proh dolor Aemyli Vere! praefectura illyrici. Qui imperio magistratus* etc. In eo versu, in quo exstat CONSTANT. aut Constantinus M. aut Constans intelligendus est. Constantinus per haereditatem Gallicam prouinciam tenuit, Arelatumque oppidum praecipuam regni sedem. Eo proficisci Verus ille poterat secundo Druentia. Eumenius in panegyrico: *incubuere remigiis, et naturam*

8) f. 1352.

Digitized by Google

ram fluminis vrgendo vicerunt et tandem eluctati auaris moras, vix ipso Rhodano fuere contenti: parum illis videbatur concitus ruere, minus solito Arelate properare. Sed videte, quae impediant nihilo minus, Constantinum esse. Nec Africam is tenebat, nec Italiam, quas Galerio Constantius pater reliquerat: Illyricum autem Galerius iamdiu tenebat decedensque vita Licinio relinquebat, quem non ante aggressus Constantinus est, quam fuso Maxentio et sede imperii in Italiam translata. Haec impediunt, vt Verus primum Aegypti, tum Illyrici praefectus, Constantini obsecundaturus imperio Arelatam proficiscceretur. Eadem in Constante non impedimento sunt. Huic ex sortitione obuenit Africa, Italia et Illyricum. Pulso ipsuper Constantino fratre, Gallia accessit. Constantinus, ad Aquileiam Acyndino et Proculo Coss. A. C. CCC XL. occubuit. Octo annos Constans superfuit. Francos Constantio III. et ipso secundum Coss. tertio anno post cladem fraternam debellauit. Idcirco postremis annis Arelatam ad eum profectum fuisse Verum, veritati consentaneum est. Postrema compendia Sponius de hac inscriptione optime meritus Oedipo dicit opus habere. Haud scio an errem, cum sic lego: *Saluus libertus huic pro meliori reditu Deo O. M. vota fecit.* Iudaei in Italia, Gallia et Belgio iis temporibus multi fuerunt: qui cum etiam opibus valerent, Imperatorum aulis corruptis, multa per insolentiam et insitam eorum animis superbiam fusceperunt. Inde tam diuersa Honorii Theodosiique decreta, cum mox facinoribus iustissimos principes irritarent, mox dolo malo et argento circumvenirent. Exstat in codice Theodosiano Honorii lex: *Vacillare per Apuliam Calabriamque plurimos ordines ciuitatum comperimus, quia Iudaicae superstitionis sunt et quadam se lege, quae in orientis partibus lata est, a necessitate subeundorum munerum aestimant defendendos.* Ceterorum flagitia Iudaeorum per Italiam et Galliam tanta fuere, vt Christianis legibus in Codice Theodosiano

Digitized by Google

dosiano et Capitularibus Francicis aegre coercerentur. Gregorius Turonensis prodidit, cum quidam baptizaretur, spectante omni populo ausum fuisse Iudaeum in caput istius foetidum oleum effundere. Ita videlicet gentis ingenium est eius, vt Achilles Tatius in Eroticis Aegyptios describit: *ἀνὴρ Αἰγύπτιος καὶ τὸ δειλὸν, ὅπου Φοβεῖται, δεδούλωται, καὶ τὸ μάχιμον, ἐν οἷς θαῤῥεῖ παροξύνεται.* Iudaeos in Gallia fuisse perquam multos, vt apud Aruernos vno die quingenti baptizarentur multique alii exilium praeferrent, idem Gregorius auctor est, qui et Massiliae et in aula Chilperici Regis praediuites fuisse memorat.

De Iudaeorum impotentia auctorem quoque habemus Rutilium Numatianum. Is cum ad litus Faleriacum appulisset, ita se conuitiis Iudaei acceptum queritur:

Sed male pensauit requiem stationis amoenae
Hospite conductor durior Antiphate.
Namque loci querulus curam Iudaeus agebat
Humanis animal dissociale cibis,
Vexatos frutices, pulsatas imputat algas,
Damnaque libatae grandia clamat aquae,
Reddimus obscenae conuitia debita genti,
Quae genitale caput propudiosa metit.

Reliqua apponere perhorresco, ita execrabilia in Christianam religionem maledicta sunt. Quid autem in Rutilio Iudaeum offenderit, non video ab eruditis commentatoribus aperiri. Duo autem sunt, ob quae Iudaeus nec frutices, nec algas, nec aquam attingi sineret. Sine ob ieiunium Iudaicum, sive ob festum paganorum. Erat Rutilius in Faleriano agro VIII. Kal. Aprilis, vt ex his verbis coniectare mihi videor:

Illo quippe die tandem renouatus Osyris,

Digitized by Google

Itaque *hilares per compita pagos* festum egisse addit. Videlicet haec Hilaria erant. In veteri Calendario quod Lambecius ex Caesareano codice restituit, Hilaria ad VIII. Cal. Aprilis sunt. In Farnesiano rusticorum veterum marmore et in alio quod in aedibus Bernardini de Valle fuit, tantum ad eum diem notatur aequinoctium:

AEQVINOCTIVM
VIII. KAL. APR.

tum Isidis nauigium et Liberalia Quinquatria, Mamurio sacrum et Lauatio ponuntur. Nec in Fastis Ouidianis praeter Aequinoctium cetera notantur. In Maffaearum aedium marmore ne isthuc quidem legas. Differebant enim rusticorum calendaria ab ciuium fastis, et pro regionum diuersitate etiam rustica sicuti sementis faciundae ceteraeque agriculturae, ita et festorum ratione discrepasse ex Florentino Geoponico aliisque teneo. Constantinus Porphyrogenneta quoque ephemeridem rusticanam nobis congessit, sed parum accuratam. Hilaria autem ad eum, quem diximus, diem celebrata fuisse Osyridis sacris, Macrobius in Saturnalibus prorsus docet: *ritu Phrygum catabasi finita simulationeque luctus peracta, celebratur laetitiae exordium A. D. VIII. Kalendas Apriles, quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit. Idem sub diuersis nominibus religionis effectus est apud Aegyptios.* Iam circa eadem tempora ieiunia quaedam incidisse ex R. Iacobi ben Ascher ארבע טורים intellexi: אילו הימים שמתענין בהם. מן התורה והמתענה לא יאכל בהם ולא ישתה עד הערב. באחד בניסן מתו בני אהרן בי" בו מתה מרים ונסתלק הבאר *His*, inquit, *diebus ex legis sanctae praescripto ieiunandum est ita, ut nequid usque ad vesperam aut comedas aut bibas: primo Nisanis ob mortem filiorum Acharonis, tum sexto ob mortem Mariamae etc.* Eundem in modum Athenaeus ieiunii seueram obseruationem describit: ὥσπερ, inquit, νηστείαν ἄγον-

ἄγοντες καὶ περιμένοντες τὸ ἀναπέλλον ἄςρον; ἃ φασιν οἱ τὴν χρῆσιν ταύτην φιλοσοφίαν εὑρόντες νόμιμον εἶναι μηδενὸς γεύεσθαι. Ne quid iam ex Philone aliisque recutitis de ea re adferam teſtimonii loco, quae noſtris ignota eſſe non poteſt. Et hoc nemo ignorat, inter ieiunia haec Iudaeos quoque adegiſſe aduenas et peregrinos ad eandem inediam. Sed ſcio me perſuaſurum facilius eſſe alteram rationem, ob quam Iudaeus Rutilio indignaretur. In מסכת עבודה זרה Miſchnici et Gemarici doctores diſputant de profanarum gentium feſtis diebus, cenſentque alii, nec iſtorum dierum aliquo commercium Iudaeorum cum gentilibus eſſe oportere, nec tribus ante, totidemque poſt eum diem, alii biduum ſolum interdicunt, eſtque longa illa diſputatio, multae ambages. R. Samuelis ſententia prae ceteris obtinuit גוזרין אין אסור אלא יום אידם *in captiuitate interdictum ſolum diem feſtum eſſe.* Huic ſententiae Nahamus Medus et omnes ceteri accedunt: Maimonides praeſertim in cognomini libro. Qui Maimonides etiam oſtendit, quaemadmodum, ſi ad cultum deorum ex luco aliquo frondes et ex flumine aqua petatur, illa profanitatis labem contrahant. Vtebantur autem ad Hilaria his maxime rebus, alga, fruticibus, aqua. Feſti eius ipſa Gemara meminiſſe videtur, cum inter Romana feſta recenſente Miſchna, Calendas addit: קלנדא ח' ימים אחר תקופה סטרנורא ח' ימים לפני תקופה *Calendae octo dies poſt aequinoctium et Saturnalia octo dies ante:* Eadem Perſica feſta recenſet, ne cuius gentis feriatae ſuperſtitio cum Iudaeis commercia miſceret. Nec, vt addit Maimonides, in peregrinante mercaturae cauſſa, ferebant, vt ſacra ſua obiret, ac omnino etiam tranſitum paganis inuidebant. Vt adeo Iuuenalis vere dixerit:

Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti,
Quaeſitum ad fontem ſolos deducere verpos,

Digitized by Google

ΗΡΩΔΗΝ
ΗΡΩΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΤΟΝ
ΤΕΤΡΑΡΧΗΝ
ΦΙΛΩΝ ΑΓΛΑΟΥ ΦΥΣΕΙ ΔΕ ΝΙΚΩΝΟΣ
ΤΟΝ ΑΥΤΟΥ ΞΕΝΟΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΝ

Inuenta inſcriptio apud Coenſes eſt. Eodem modo ΤΟΝ ΑΥΤΟΥ ΞΕΝΟΝ hic interpretor, vt Euſtathius et Heſychius *ἰδιόξενον*. Vſurpabantur haec vocabula poſt principia officiorum. Nam cum quis primum hoſpitio aliquem accipiebat, *ξένοι* vtrique erant, eaque humanitate neceſſitudo *ἰδιοξενίας* conſtituebatur. Inſtitutum iſthuc Graecorum Romanis quoque moribus probabatur, diffuſo per orbem terrarum imperio, multis ex omnibus regionibus Romae verſantibus, ipſisque terras eas frequenter adeuntibus. Nam, vt dicam ſummatim, cum exteris hominibus eam hoſpitii neceſſitudinem Graeci Romanique inſtituebant, vt ipſi iter facientes per prouincias apud homines ſpectatae fidei diuerſarentur, hi autem, cum Romam aut in ciuitatem, cuius is ciuis eſſet, venirent, viciſſim domi eorum diuerterent. Romanorum hoſpitia in multis titulis exſtant prodita, vt in Megarenſi quodam ΠΟΠΛΙΟΝ ΜΕΜΜΙΟΝ ΡΗΓΛΟΝ ΓΝ ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΣ ΤΟΝ ΕΑΥΤΟΥ ΞΕΝΟΝ. Memmius legatus Tiberii C. Caeſonio Paeto et C. Petronio Turpiliano Coſſ. vt eſt apud Tacitum, mortuus, vir tanta auctoritate, vt ſucceſſor Neroni deſtinaretur. Cum hanc Herodis inſcriptionem Ioannes Harduinus in numis Herodiadum interpretaretur, pro ſua conſuetudine omnia turbauit Ioſephumque criminatus hiſtoriam haud parum peruertit. Sed Cellarius in hiſtoria Ioſephi a *νοθείας* ſuſpicione adſerta, aliquantum retudit eius impetum, vt, quae de hoc Herode Ioſephus habet, Herodis M. filium, Archelai et Philippi fratrem, patruum Agrippae Ariſtobuli filii, tetrachum Galilaeae et Peraeae atque, cum a Claudio

Digitized by Google

Claudio Agrippas rex vocaretur, ambitione et inuidia commotum Romam concedere, inde Viennam in Galliam deportatum Antipae cognomen habuisse, vindicarentur. Harduinus inscriptionem ponit ad A. C. XXXVII. Id nolim equidem asserere. Herodem Antipam Romae constat bis fuisse. Primum Augusto viuo, de testamento patris disceptaturum: secundo ad C. Caligulam cum Herodiade, quo nomen regium emendicaretur. Iudicium de testamento patris peractum fuit, secundum Norisii calculos * A. V. C. IↃCC LI. L. Cornelio Lentulo et M. Messallino Coss. Eodem anno post pascha ex Iudaea profectus Antipas, litem perdidit. In hac profectione apud Niciam tyrannum Coensium et hunc Philonem diuertere potuit. Accepit enim a patre deuinctos sibi Coenses tum priuatim multos, tum vero omnes publice. Iosephus de Herode M. ἐπετησίοις τε καὶ διηνεκέσιν ἐδωρήσατο προσόδοις, κατατάξας ἵνα μηδέποτε ἐκλείπῃ τὸ γέρας. Sed eo offendor, quod nec Romam proficiscenti titulum tetrarchae dare Philon voluisset Herodi, cum regium nomen quaereret, nec reuertenti, ne videretur fortunam ei exprobrare, cum causa excidisset. At secunda profectione adsuetus iam Tetrarchae cognomini Herodes, ac praeterea παρασκευάμενος τε ὡς ἐνῆν πολυτελῶς καὶ φειδοῖ μηδενὸς χρώμενος, vt ait Iosephus, proficiscebatur, tanto splendore Coensium animos ad admirationem, Philonem autem ad ambitionem gloriationemque commouit. Gloriosum erat mercatori regum amicitia vti, cum, vt Plutarchus in Solone ait: ἐμπορία καὶ δόξαν εἶχεν καὶ πραξενῶσα φιλίας βασιλέων *mercatura et per se gloriam habet et amicitias regum conciliat.* Profectio accidit A. V. C. IↃCC XCII. ineunte. Is annus cum A. C. XXXIX. congruit.

Η ΒΟΥΛΗ

* Cenotaphia Pisana f. 161. epistola de Herode Antipa. p. 64.

Digitized by Google

Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΥ ΠΑΓΟΥ ΚΑΙ
Η ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ Χ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΙΟΥ
ΛΙΑΝ ΒΕΡΕΝΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ
ΜΕΓΑΛΗΝ ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙ
ΛΕΩΣ ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ
ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟ
ΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΝ ΔΙΑ ΤΗΣ ΠΡΟ
ΝΟΙΑΣ ΤΟΥ ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ ΤΗΣ ΠΟΛΕ
ΩΣ ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΘΕΟΓΕΝΟΥΣ
ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ

Senatus ex Areopago et Senatus mille virorum et Populus Iuliam Berenicen, reginam magnam, Iulii Agrippae Regis filiam et magnis regibus beneficisque in hanc vrbem progenitam, procuratione Praefecti vrbis Tiberii Claudii Theogenis Paeanienſis. Altera eſt inſcriptio haec, Herodibus profano ritu ſuperſtitioſisque caeremoniis locata, quales in dedicandis monumentis adhiberi ſolebant. Quo vti argumento Harduinus poſſit, cum Herodem tetrarcham, paganum, non Iudaeum fuiſſe, contendit. Ac Ioſephus Scaliger quidem in animaduerſionibus in Euſebii Chronicon tantum abeſt, vt ſibi ab Euſebio profuaderi ſinat, Herodem magnum alienigenam, aut, vt Epiphanius dicebat, proſelytum fuiſſe, vt ne anum quidem, niſi Iudaeum natum prodi ſineret. Nempe parentum eius memoria Idumaeos et Aſcalonitas ab Hyrcano domitos religionem Iudaicam accepiſſe dicit. Iisdem rationibus nititur Cellarius. Nec luculentiorem pro ſua opinione locum adferunt tamen, quam quem ego huc ponam ex Ptolemaei primo de Herodibus. Fragmentum hoc Ammonius nobis *περὶ ὁμοίων λέξεων* ſeruauit: *Ιουδαῖοί εἰσιν οἱ ἐξ ἀρχῆς φυσικοὶ, Ἰδουμαῖοι δὲ τὸ μὲν ἀρχῆθεν ἐκ Ιουδαίων, ἀλλὰ Φοίνικες καὶ Σύροι, κρατηθέντες*

Θέντες δὲ ὑπ' αὐτῶν καὶ ἀναγκασθέντες περιτέμνεσθαι καὶ συντελεῖν ἐς τὸ ἔθνος, τὰ αὐτὰ νόμιμα ἠγεῖσθαι ἐκλήθησαν Ἰουδαῖοι. *Iudaei sunt inde ab vltima stirpe nati, Idumaei vero initio minime Iudaei, sed Phoenices et Syri, devicti autem ab illis et coacti circumcidi et institutis caeremoniisque iisdem vti, nomen Iudaeorum subierunt.* * Sed Ascalonitas religionem Iudaicam accepisse frustra asserunt. Iosephus vrbem ἀεὶ διὰ μίσους Ἰουδαίοις γεγενημένην tradit. Tum vero apud Eusebium in historia ecclesiastica Iulius Africanus Emaunte Palaestinae oriundus ad Aristidem scripsit, Antipatri patrem, Herodis M. auum, ex numero seruorum templi Apollinis Ascalonitae fuisse. Imo vero nihil non profanae mentis plerique Herodum ostenderunt. Non fugit Iosephum, plerosque ex ea domo Romae educatos inter Caesares fuisse, Herodem M. etiam ad Iordanis fontes prope Phanium, Caesareae in summo colle, (vt a nauigantibus possit prospici,) et Sebastes, templa Caesaris Augusti construxisse tum Berytī et Tyri aedes deum, Hierosolymis, Caesareae, Sidone, Damasci theatra τῷ κατὰ Ἰουδαίους ἔθνει ἀλλότρια condidisse: Caesari πενταετηρικοὺς ἀγῶνας Caesareae instituisse, Olympiacisque ludis maxima praemia proposuisse: domos duas Hierosolymis aedificasse, vnam Καισάρειον alteram Ἀγρίππειον nominatas vocabulis profanam dedicationem prodentibus: Agrippae nomen etiam portas templi inscripsisse: Apud Ascalonem βαλανεῖα καὶ νύμφας πολυτελεῖς *exstruxisse nymphea et balnea*, vt vetus interpres, (quem Harduinus in omnis populorum, voce *Sebaste* ioculariter Orelium, non Ruffinum fuisse contendit) non imperite vertit. Nymphea quantum profanitatis habuerint, si quis ignorat, apud Porphyrium περὶ τῶν ἐν Ὀδυσσείᾳ τῶν Νυμφῶν ἄντρου, aut Longum Sophistam ἐν ποιμενικοῖς et Maronem in prima Aeneide legat. Philostratus ἐν εἰκόσι cum ἔλη sua explicat, nym-

phea

* Imo hunc locum Scaliger quoque citat ad Iosephum f. 162.

Digitized by Google

phea quam accuratissime descripsit, vt paene nympheum in Barbarinis aedibus veteri pictura expressum et ab Holstenio editum, vidisse eum censeas. Quae cum Herodes faceret, Iudaei non probabant. *Τὸ γε μὴν Ἰουδαίων ἔθνος ἠλλοτρίωται νομῳ πρὸς πάντα τὰ τοιαῦτα, διόπερ ἐκ ἦν αὐτῷ κεχαρισμένον, ὅτι μὴ δυνατὸν εἰκοσιν, ἢ ναοῖς, ἢ τοιούτοις ἐπιτηδεύμασί κολακεύειν τὸ βασιλέως τὸ φιλότιμον*, vt ait Iosephus. Iidem Herodiadae Graecas deduxerunt colonias, aut, vt omnia loca ingratiis Iudaeorum, Graeci complerent, passi sunt. Sic Caesarea plerosque ciues habuit Graecos, sic Sebasten et in vicinos agros Graecis confluentibus, Neapolis fuit condita. Iulius Frontinus de coloniis. *Neapolis muro ducta. Iter populo debetur pedum LXXII. Sed ager eius Syriae Palestinaeque a Graecis est in iugeribus adsignatus et limites intercisiui sunt constituti, inter quos postea et miles Imp. Titi lege modum iugerationis, ob meritum accepit.* Quae verba tanto lubentius appono, quod in editis non comparent ex MS. nobis descripta, lucemque origini vrbis praeferunt, quam Norisius in nullis aliis monumentis reperire potuit. Collatis igitur omnibus rationibus, Herodiadas excepto fortasse praeputio, nihil profanitatis paganae abs se alienum duxisse eamque Herodianorum commentitiam haeresin fuisse iudico.

Berenice haec, non Agrippae maioris mater Antoniae Drusi coniugi gratissima; sed eius filia fuit. Nam ex Cypro Phasaeli Herodis M. fratris et Salampsus filia genuit Agrippam minorem, Drusum, qui impuber obiit, Berenicen, Mariamnam, Drusillam. Berenice a Caligula desponsata Marco Alexandri Lysimachi Alabarchae filio: illo ante nuptias mortuo, in matrimonium eam pater dedit fratri suo Herodi Chalcidensium regi. Herode hoc mortuo et Aristobulo eius ex Mariamne filio neglecto (cui Nero postea Armeniam minorem concessit) Agrippa minor frater Berenices in regno successit, sorore etiam ob incestum male audiente, unde Iuuenalis satyra sexta:

deinde

Digitized by Google

deinde adamas notissimus et Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestae, dedit hunc Agrippa sorori,
Obseruant vbi festa mero pede Sabbata reges
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Inde Paulus in Actis Apostolorum de pudicitia tam acriter. Ridiculus, ne quid grauius dicam, Delphini interpres ibi est, vbi omnia plana et manifesta sunt. At cur μεγάλων βασιλέων ἄκγονος Berenice est? Aristobulus auus Berenices non tantum Herode M. rege, verum etiam Mariamne Alexandri Aristobuli regis filia oriundus erat, vnde altius regiae stirpis dignitas surgebat. Aristobulus Io. Hyrcani filius primus ex ea domo rex Philellen ob beneficia in Graecos erat dictus. Herodes M. in Graecos aliosque populos etiam cum contemptu Iudaeorum proclivis multas opes profudit. De Atheniensibus Iosephus in bello Iudaico, primo libro: ἀλλὰ Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις, Νικοπολίταις τε ἐπὶ τῶν Ἡρώδου γέμουσιν ἀναθημάτων; Nec Agrippa maior intermisit, teste Iosepho, amorem gentium celebritatemque parare donis et beneficiis, sed non ita Iudaeos, vt suus, contempsit. Quanto honore habiti etiam Romae fuerint Herodes, Persius indicat:

Herodis venere dies, vnctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae.

Ad quem locum plurimis testimoniis docere possim, veteres aeque in honorem regum illuminare fenestras consueuisse, si id nunc agerem. Nec tamen cum antiquo Persii Scholiasta, solos Herodianos ibi intelligo, quin imo Romanos Persius incessit Iudaicae religionis Herodumque studiosos.

Harduinus titulum ad A. C. XCVIII. refert. Nulla opinor alia inductus argumentatione, quam quod iis, quibus

Digitized by Google

bus alioqui eodem loco omnem fidem negabat, credidit ad tertium Traiani annum Agrippam hunc superfuisse. Id autem Iustus Tiberiadensis Agrippae, si Eusebio credas, aequalis, in excerptis Photii superstes tradidit. At enim Herodes Chalcidensis mortuus est octauo Claudii anno. Malim igitur positam inscriptionem, aut Agrippa nondum immisso in possessionem Chalcidici regni, Berenice sola imperante, vel paullo post. Tamdiu enim Berenicen superstitem fuisse, vti fratrem eius, non inuenio. Berenice imperiosa mulier, quaeque fratris sui negotiis, illo per amorem abutens, se immisceret, Atheniensium fauorem consecuta est. Nec tamen multa de eius fratrisque imperio Chalcidico exstant, nisi quod ab Nerone accessione Galilaeae iuxta Tiberiadem et Tarichaeas, tam Iuliadis trans Iordanem auctum fuerit. Aristobulum Chalcidicae regem; Vespasiani quarto anno Iosephus scribit Romanis auxilia tulisse aduersus Antiochum Comagenes regem. An igitur, cum Agrippas se inuidiae ob amorem Iudaeorum obtulisset, suspectus ob id Vespasiano successorem habuit sororis et pellicis suae priuignum? an tum Berenice mortua fuerat, cuius iure regnum isthuc Agrippas vsurpabat?

ΛΗΚΥΘΟΣ B

De iis nunc agam inscriptionibus, quas ab Iudaeis ipsis collocatas censeo.

ΕΝΘΑΔΕ	ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΕ ΖωcΙΜΟc
ΚΕΙΤΕ ΙΟΥ	ΔΙΑ ΒΙΟΥ cΥΝΑΓωΓΗc
ΑΙΑΝΩc ΙΕΡΕΥΣ	ΑΓΡΙΠΠΗcΙωΝ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΚΟΙΜΗ
ΑΡΧΩΝ. ΚΑΛ...	cΙc ΑΥΤΟΥ .... ΕΚΙΘΕ ΔΕ
ΑΓΡΙΠΠΗcΙΩΝ ΥΙΟc	ΚΕΙΤΗ ΕΥΛΛΙc ΑΡΡΩΝ ΕΤωΝ
ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ	Ε ...
ΑΡΧΙcΥΝΑΓΩΓΟΥ	

Vtraque

Vtraque inscriptio Romae, isthaec in sarcophago, haec ad aedem Saluatoris visa. Hanc mutilam admodum ex Michaelis Piccarti schedis Reinesius edidit. Vtramque ita, vt hic posui, Sponius. Ne mireris KEITE et KEITH pro κεῖται scribi. Sic hodie Iudaei vocabula corrumpunt, ita iidem olim, ita et Syri, vt Catullus Arrium exagitat:

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et hinsidias Arrius insidias.
Et tum mirifice sperabat sese esse locutum,
Cum, quantum potuit, dixerat hinsidias.

Syrum hominum fuisse Arrium, vel ex eo patet, quod Catullus dixit: *hoc misso in Syrium*, et quod Liberum, auunculum eius vocauit, cuius dei summa in Syris religio fuit. P. Nigidius in commentariis grammaticis; *rusticus fit sermo, si adspires perperam.* Rusticum eo tempore dicebant, quod barbarum et barbarismum post Augusti aetatem, vt Gellius prodidit. Sic EKIΘE pro ἐκεῖθεν barbare quoque scribitur. In nominibus vero ETΛΛIc APΓΩN similiter notes, quod consuetudo Iudaeis fuerit, vt nomina Iudaica vehementer peruerterent Graece efferentes, vt nunc fit Germanice loquentibus iis. Quam barbariem Cleomedes ἐν θεωρίᾳ κυκλικῇ secundo libro reprehendit, cum in Epicurum id conuitium, quod apud Tullium quoque exstat, eum disertum minime fuisse, vibrasset, percensuissetque, quae insulse et imperite dixerat, eorum aliqua scribit, accepisse eum, ἀπὸ μέσης τῆς προσευχῆς καὶ τῶν ἐπ' αὐτῆς προσαιτέντων Ἰουδαικά τινα καὶ παρακεκαραγμένα καὶ κατὰ πολὺ τῶν ἑρπετῶν ταπεινότερα. Ab Graecis et Latinis Ebraica vocabula vrbium, gentium, insularum, hominumque corrupta vehementer fuisse non obscurum est. Villermus Tyrius homo non indoctus, alicubi: *dicitur autem Paneas, sed nostri Latini corrumpentes nomen sicut paene omnium*

aliarum vrbium, Belinas vocant. De istis vocabulis et Bochartus et Ludouicus Thomassinus in praefatione Glossarii vniuersalis persequitur eodemque redeunt, quae hic in toto commentario disputat. Sic in Punicis corrumpebantur Elissa, Iarbas, Αννίβας, quod Romani integrius, integerrime autem omnium Ennius et Plautus non ignari eius linguae, qui in Hannibale proximam ab vltima syllabam producebant, vt Valerius Probus apud Gellium annotauit. Sic Bitias et Iopas, is בית יה hic celebratus sanctis litteris איוב quem, vt paene credam Virgilio memorari, eo inducor, quod de eius scientia astrorum poeta canit. Fuit ergo Iobus Carthaginiensibus litteris celebratus? Sed id non quaero. At vero ab ipsis Iudaeis multa etiam nomina fuisse corrupta, ex interpretibus eorum Graecis teneo. Apud Iulianum apostatam quoque in epistolis Ιοῦλον quendam patriarcham Iudaeorum lego, et apud Anastasium Sinaitam in Hexaemero Synagogam Alexandrinam Ἰούλου, cognomine satis deprauato ex Hillel. ΕΥΛΛΙΣ igitur dico Eliam signare, idque tanto confidentius, si vera est Reinesii lectio ΗΕΥΛΛΙΣ. ΑΡΡΩΝ notius Aronis vocabulum, sicque hodie Iudaeis pronunciatur. Apud Reinesium exstat nomen Assaphae Iudaei:

ASAPHA. IVDAEVS
TARSIS. ORIVNDVS

Eam dicitur Lucas Langermannus extra Portuensem portam reperisse. Non sum tam obesae naris, vt spuriam esse non sentiam. Ac nescio, quomodo omnes fere Langermanni schedae καινότητα καὶ γοητείαν sapiant. Iulianus Graecum quidem nomen: sed multa cognomina ab Graecis Iudai mutuabantur. De archisynagogis, patriarchis et hiereis Iudaeorum nusquam plura inuenias, quam in Codice Theodosiano et doctissimo eius interprete Gothofredo. Pellecti Romam Iudaei sunt post foedus a Ioanne Hyrcano Romanisque conditum. Inde cum Pompeius multos secum abduxisset, iidem ciuitatem in vrbe tandem

Digitized by Google

tandem sunt adepti. 9) Philo in legatione ad Caium auctor est, tenuisse eos trans Tiberim μεγάλην τῆς Ρώμης ἀποτομὴν, Ρωμαίους ὄντας τοὺς πλείους ἀπελευθερο-θέντας, ibi et proseuchas habuisse suas. Trans Tiberim vrbana plebes colebat foro tot tumultibus incommoda, vbi et Aegyptii et omnium sentina gentium, aut vt Lucanus habet, *mundi faex* confluxerat. Cicero in oratione pro Flacco de forensi Iudaeorum multitudine: *scis quanta sit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus.* Idque est, quod recutiti patris in Gemara ad עבורה זרה gloriantur: Romanos et theatra et balnea et nescio quid non Iudaeorum tantummodo in vsus construxisse. Communi sane balneo vsos credam, etiam penegantibus Iudaeis, Martiali, cum Menophilo illudit *ob Iudaicum pondus.* Norunt, quid dicam, qui balneatium morem non ignorant: et dixerat ipse Martialis: *nam saepe lauamur in vnum.* Is Menophilus non modo verpus, sed et comoedus erat. Migrauere Iudaei in Aegeriam vallem, de qua re Iuuenalis:

Hic vbi nocturnae Numa constituebat amicae,
Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
Iudaeis, quorum cophinus foenumque supellex.

Obiicit Satyricus, quod suburbana horrea colerent et pecuariam rem facerent, indeque olera et lac per vrbem circumferrent. Nihil est frequentius, quam, vt paupertas et foetor oris illis exprobaretur. De hoc et Theodorus Priscianus vetus medicus et Ammianus et vtroque vetustior Martialis:

quod ieiunia sabbatariorum,
mallem, quam, quod olet, olere, Bassa.

De eo Iuuenalis iterum: *cophino foenoque relicto, arcanam Iudaea tremens mendicat in aurem.* Sed grauior isthoc auctor Tertullianus de pudicitia: *non minus hodie Iudaeus prodacta substantia Dei in alterna regione mendicat.* ΚΑΛ... legi debet ΚΑΛΑΘΙΑΣ ΑΓΡΙΠΠΗCΙΩΝ.

Vna

9) f. 785.

Vna enim plures Romae habuere synagogas, (Iuuenalis: *in qua te quaero proseucha*) quarum vna Claudiae cognomen acceperit, cum ab Herode Agrippa aut maiore, aut altero, esset instituta. Dixi quid mihi videatur, dic tu, qui improbas, melius aliquid.

AVR. SOTER. ET
AVR. STEPHANVS
AVR. SOTERIAE
MATRI. PIENTISS.
RELIGIONI. IVD
AICAE. METVENTI
F.

Polae in Illyrico. Iudaeis per Illyricum eorumque synagogis per Arcadii et Theodosii iunioris leges in Codice Theodosiano diligentissime cauetur. Credas hanc non proselytam, sed ex earum genere, quae profanae licet essent, Iudaicae et Aegyptiacae omniumque religionum superstitione mouebantur. Iuuenalis de sacerdote Iudaica Romae.

Implet et illa manum, sed parcius aere minuto:
Qualiacunque voles, Iudaei somnia vendunt.

Idem alibi:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem
Romanas . . . . . soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt et seruant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses,

BETVRIA. PAV
LLA. F. DOMI
HETERNE. QVOS
TITVTA. QVE. BI
XIT. AN. LXXXVI. MESES. VI
PROSELYTA. AN. XVI
NOMINE. SARA MATER
SYNAGOGARVM. CAMPI
ET. BOLVMNI
EN. IRENAE. AL KYMYSIS. AY.

Digitized by Google

Ἐν εἰρήνῃ ἡ κοίμησις αὐτῆς. Credas Migdilybem bisulcilingam Plautinam te audire. *Veturia Paula sacerdos domi aeternae constituta*, fortassis scribere volebat epitaphii auctor Iudaeus. Domus aeterna in tot veteribus titulis prostat, vt ignorari non possit. Synagoga Campi et altera Volumnii confirmat, quod supra dixi de synagogis Romanis. Quae autem sit mater synagogarum? Iuuenalis:

Interpres legum Solymarum et magna sacerdos
Arboris, et summi fida internuncia caeli.

Arborem ego palmam interpretor isthic, quae in numis Iudaicae symbolum gentis est. Proselyti Iudaei in omnibus gentibus erant. Iam primitus in Aegypto fuisse Io. Tolando in originibus Iudaicis vltro et lubens assentior. Fuit etiam Zenobia Palmyrenorum regina Iudaicae doctrinae proselyta, si Athanasio ad solitariam vitam agentes scribenti credimus, quem cum Nicephoro Callisto producunt testem, qui probare volunt. Sane Dionysius Longinus eius magister mihi eandem suspicionem graviori auctoritate mouit, cum Mosen citat et mirifice extollit. Sed et Helena Adiabenes regina cum tota familia ad Iudaeos accessit Iosepho teste. Tertullianus noster ad Nationes οὔτε λέγων, οὔτε κρύπτων, ἀλλὰ σημαίνων, suo more, Romanis Iudaicam superstitionem exprobrat: *quod quidem facitis, exorbitantes et ipsi a vestris ad alienas religiones: Iudaei enim festi, sabbata, coena pura: quae vtique aliena sunt a diis vestris.* Idem adversus Iudaeos disputandi eam occasionem habuit, *quod homo ex gentibus, nec de prosapia Israelitarum Iudaeus*, hoc est, vt antea dixerat, *proselytus Iudaeus* cum Christiano in noctem vsque disputauerat, de accessione gentium ad gratiam caelestem. Sed cohiberi legibus Christianis debuit Iudaeorum in legendis proselytis assiduitas, quae passim in Codice Theodosiano, Capitularibus Regum Francicorum Baluzianis et Lindenbrogianis notatur. Ex Reginonis Prumiensis de ecclesiasticis disciplinis se-

cundo libro vnam tantum adferam legem: *Ciues Romani, qui se Iudaico ritu, vel seruos suos circumcidi patiuntur, bonis ademptis in insulam deportentur, medici* (qui circumciderint) *capite puniantur.* Disce ex hac inscriptione, nomen fuisse proselytis mutatum, ex Arriano autem etiam baptizatos fuisse, docere possum. Sic ille ad Epictetum disserit: 10) καὶ ὅτάν τινα ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν. εἰώθαμεν λέγειν, οὐκ ἔστιν Ιουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται, ὅταν δὲ ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ἠρημένου, τότε καὶ εστὶ τῷ ὄντι καὶ καλεῖται Ιουδαῖος. Postremo quod κοίμησιν εἰρήνῃ vocat mortem, id pie quidem dictum, sed et Graecis non infrequens fuit. Ita in epitaphio Popiliae cuiusdam apud Sponium, 1) cuius partem apponam mea opera emendatiorem aliquanto:

Μέμνεο κ' ἐν ζώοις ἐμέθεν καὶ πολλάκι τύμβῳ
Σπεῖσον, ἀπὸ βλεφαρῶν δάκρυ ἀποιχόμενε.
Καί λέγε Ποπιλίην ἕυδειν, ἄνερ· οὐ θέμιτον γάρ
Θνήσκειν τοὺς ἀγαθοὺς, ἀλλ' ὕπνον ἡδὺν ἔχειν.

Memineris et tu mei in viuis et saepe ad tumulum lita, lacrumas ab oculis emittens, dicque, marite, Popiliam dormire: nec enim fas est bonos mori, sed dulci teneri somno. Cetera leuia in hoc epigrammate. Oceanus nomen mariti; extremi versus Callimacho surrepti sunt: Τήδε Σάων ἱερὸν ὕπνον κοιμᾶται· θνήσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς· Eduardus Pocockius in dissertationibus ad portam Mosis, quae de hac κοιμήσει Iudaeorum Mahumetanorumque sententia sit, erudite retractat, vt nihil de ea re dicere sit necesse. Mahumetani in huius rei cognitione magnam partem religionis suae collocant. Nominibus idcirco tam multis rem vnam designant, vt Iacobus ben Seid Ali in libro דרשד אלאנאם אלי דאר אלשלאם *via recta hominum ad domum salutis* capite פי מן אלשנת אן ידכר אלנשור quo de resurrectione agit, integrum plaustrum mihi aduehere eorum nominum videatur.

ΕΝΘΑ

10) l. II. diss. 9. 1) f. 369.

ΕΝΘΑ ΚΕΙΤΕ ΕΤCΕΒΙΑ
ΕΝ ΕΙΡ
ΙΝΙ ΟΤCΑ ΙΕΡΟΟΚΜ - ΤΙ
ΑΤΙΩΚ
ω ΜΗc ΑΔΔΑΝωΝ ΖΗcΑc
ΜΙΚΡΟ ΠΡΟc ΕΤωΝ ΙΕ
ΤΙΠΑΤ
ΙΑ ΟΝωΡΙΟΥ ΟΙ ΚΑΙ
ΚωcΤΙΟΝΤΙ
ΜΟΥ ΤΟ Α ΜΗΝΙ ΠΑ-
ΝΗΜΟΥ
ΙΒ ΗΜΕΡΑ ΚΙ. Β. ΕΝ
ΕΙΡΗΝΗ

Εὐθάδε κεῖται Εὐσέβια ἐν εἰρήνη ἔσα Ἱερακωμῖτις ἀπὸ Κώμης Ἀδδάνων ζήσασα μικρὸν πρὸς ἐτῶν ιε ὑπατείᾳ Ὀνορίκ τὸ ἡ καὶ Κωνσαντίνε τὸ α μηνὶ Πανέμε ιβ ἡμέρα κα. β. (κεῖται βεβαίως) ἐν εἰρήνῃ.

Sic Scaliger in emendatione temporum reſtituit titulum in baſilica Pauliniana Auguſtae Treuirorum poſitum. Gruterus multa aliter, vt etiam pro ZHcAc MIKPO legat ΗΜΕΡ Ο ΠΡΟΣ ΕΤΩΝ Ι ΕΝ ΤΙΠΑΤΕΙ quod ſane verius videtur. Ad Chriſtianas inſcriptiones et Adanam Ciliciae referunt. Vtrumque non ſatis firmum eſt. Addanenſes in Cilicia M. P. XXVII. ab Tarſo aberant, ſed praeterea apud Stephanum Byzantium multae vrbes nomine eodem ſunt aliae. Nec epocha Macedonica litem dirimet. Ea enim non Cilices modo, ſed trans Euphratem quoque Parthos fuiſſe vſos Noriſius nos docuit. Cilices Graece loquebantur melius, quam in illo titulo legas. ΙΕΡωΚΟΜΙΤΙc Noriſio videtur *ſacrorum cuſtodem et matrem* ſignificare, vt *ἱεροκόμας* dixere aedituos. Quod ſi igitur ad Iudaeos haec inſcriptio, eruditorum ſuffragiis transferetur per me etiam duo alteri ad eosdem ſpectabunt quorum primus a Grutero eſt editus, alter ab Holſtenio ad Stephanum:

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΕ ΕΝ ΗΡ(ἴσ, ΕΙΡ.) ΕΝΘΑ ΚΕΙΤΑΙ ΕΜΙΔΑ
ΗΝΕ ΚΑccΙΑΝΟc ΑΡΙ ΒΟΤc ΓΑΜΗΤΗ
ΚΑccΙΑ
ΒΕΔcΙΜΙΟΥ ΑΗΟ Κ ΝΟΥ ΤΟΥ ΜΑΡΙΟΥ ΚΩ

Digitized by Google

ΑΔΔΑΝωΝ ΖΗϹΑ ΑϹΝΚΡΟΠΛΟΥϹ ΕΤΗ ΚΒ Ρ.

ΜΗϹ ΑΔΑΝΩΝ ΚΑΙ Ο ΥΙΟϹ ΑΥΤΟΥ ΠΕΤΡΟϹ

Nomina Αριβεδσιμίου forte ΒΑΡΒΕΔϹΙΜΙΟΥ hoc est בר בית שם et Εμιδαβους forte אמי דבוד confirmant sententiam. Si quid coniectura iuuare potest primum titulum in corruptissima voce, nauicularius Cassianus fuit.

* * *

ΕΞ ΕΠΙΜΕΤΡΟΥ

Cum dicerem complures titulos confictos, aliquos etiam lapides mala fraude suppositititios exstare, recenti exemplo lapidis Aretii reperti comprobare possum. Is autem hic est: 2)

M. VALERIVS
VOLVSI. F
MAXIMVS
DICTATOR. AVGVR. PRIMVS. QVAM
VLLVM. MAGISTRATVM. GERERET
DICTATOR. DICTVS. EST: TRIVMPHAVIT
DE. SABINIS. ET. MEDVLLINIS. PLEBEM
DE. SACRO. MONTE. DEDVXIT. GRATIAM
CVM. PATRIBVS. RECONCILIAVIT. FOE
NORE. GRAVI. POPVLVM. SENATVS. HOC
EIVS. REI. AVCTORE. LIBERAVIT. SELLAE
CVRVLIS. LOCVS. IPSI. POSTERISQ
AD. MVRCIAE. SPECTANDI. CAVSA. DATVS
EST. PRINCEPS. IN. SENATV. SEMEL
LECTVS. EST.

Iam ego qui lapidem non inspexi, plurimis argumentis ad iudicandum destituor. Est, in litterarum ductu, in lineis, in punctis, in situ, et carie lapidis, quod iudicantibus esse vsui possit. Sed ex iis saltem, quae lego, fraudem deprehendo. Tuam fidem, Francisce Redi, quam nihil vetustatis, praesertim eius, dictio tituli habet! Tu

2) p. 4. V. Noua Litteraria Lips. huius anni, IX. Oct.

Tu hanc cum Scipionis Barbati, aut cum roſtratae columnae inſcriptionibus compara. Quid in illis eſt huic ſimile? Vtraque inſcriptione tamen Valerii iſtius res annis ducentis antiquiores ſunt. Saliorum verſus haud ſimili ſpatio ante Voluſium, ita ſcripti produntur a Varrone, vt fruſtra expeditiſſimi omnibus litteris homines eos illuſtrare conniterentur. Valerium vtique non dixere iis temporibus. Teſtis eſt Varro in libris diuinarum apud Macrobium, veteres dixiſſe Fuſios et Valeſios. Idem ſexto libro de latina lingua in carmine Saliorum *eſo*, *muſes*, *melios*, *foedeſum*, *pluſima*, *aſena* pro *ero*, *mures*, *melior*, *foederum*, *plurima*, *arena* legi prodidit. Confirmat hoc Paulus Diaconus in Feſto. Ceterum nec fides inſcriptionis vindicari poteſt. Liuius quidem ſcribit: 3) *Eo magis adducor, vt credam Lartium, qui conſularis erat, potius, quam Manium Valerium M. filium Voleſi nepotem, qui nondum Cos. fuerat, moderatorem et magiſtrum conſulibus appoſitum: qui ſi maxime ex ea familia legi dictatorem vellent, patrem multo potius M. Valerium ſpectatae virtutis et conſularem virum legiſſent.* Vide autem errorem multiplicem ex hoc Liuii loco in lapidem illum ab artifice fraudulento deriuatum. Is dubitat, lapis controuerſiam omnem eludit. Is Manium Marci filium Voluſi neppotem Dictatorem primum haberi ab aliquibus prodit, lapis ipſum patrem M. Valerium Voluſi filium. Quei autem hic nondum magiſtratum geſſiſſe poterat, qui reſtituta libertate ex primis conſulibus fuit? Quin ſaltem ad primum Dictatorem, adiectum more maiorum fuit, *optima lege creatum?* Locus inſignis in S. Pompeio Feſto eſt. *Optima lex* (cum diceretur) *in magiſtro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellatur, quam pleniſſimum poſſet, ius eſſe, ſignificabatur, vt fuit Manii Valerii, M. Fabii* (lege Marci Fiſii) *Voluſianae gentis, qui primus magiſter a populo creatus eſt.* Sed Marcus Poplicola, non Manius populum ab

3) l. II, 19.

Digitized by Google

Sacro monte reduxit, sellamque in Circo curulem impetrauit et Maximus dictus est, nec tamen foenore liberauit populum, si Liuio credas. Nec rursum is augur, quem Liuius mortuum pestilente morbo prodit, M. Valerius Dictator est, qui plebem conciliauit patribus, multo minus Manius Valerius. Ruditate se sua prodit inscriptio, vt ne quidem Augustorum aeuo factam iudices, cuius alioqui stylo propius, quam veteri illi accedit; nisi forte ex Volusi annalibus sit composita:

At vos interea venite in ignem
Pleni ruris et inficetiarum
Annales Volusi - - -

Nostis enim cetera in Catullo. Redius nodos quosdam nexuit, quibus Liuium constrictum teneret: sed quod pace elegantissimi antiquarii dicam, ex scirpo erant, quibus nihil se teneri Liuius in aurem mihi modo dicebat, ego nescio quam recte, palam dico. Manet adeo ille titulus in spuriorum numero, ex quo si eximi volet, lis coram praetore instaurabitur.

DE NVMIS ROMANIS IN AGRO PRVSSICO REPERTIS.

CAPVT PRIMVM.

Non est verosimile, Romanos numos, quos in agro nostro reperimus, amissos temere fuisse, inde ab eo tempore, cum maiores nostri ceterarum aemulatione gentium, veterem aeruginem in thesauros inferre instituerunt.

Digitized by Google

uerent. Nam sero apud nos haec Romanae antiquitatis pars studia et ora hominum in se conuertit, patrum denique nostrorum memoria. Numi autem Romani iam antea diuersissimis locis et alicubi altius sub terra, nonnunquam haud procul a bustis et in vrnis denique inuenti sunt. Quod aliter erat futurum, si ab annis quinquaginta, quibus his antiquitatis studiis, aut a duocentis omnino, quibus suus omnibus litteris honos est apud nos habitus, abiecti siue amissi essent. An a Romanis, ab Herulis, a Germanis veteribus aut Marianorum signa et vestigia secutis, ac, a quibus denique maiores nostri acceperint, nemo ad hoc vsque tempus magnopere quaesiuit. Haud aeque tantam patriarum rerum incuriam fero, praesertim cum ad veterum lucem monumentorum nihil eiusmodi omitti et negligentius tractari conveniat.

Vix in mentem mihi venit, Romanam coloniam in has terras commigrasse. Non inuideo commentum Polonis auctoribus, multo autem magis miror, Alberto Coialouitio vni omnium sagacissimo scriptori probari. Habent vtique istius conditores coloniae, aliquanto plura in speciem argumenta, quam, qui post Albertum Stadensem et Gobelinum Personam ex Alexandri militibus profectos aliquos in Prussia consedisse prodiderunt: aeque vana persuasione, quam cum Otofridus Francis et Witechindus Corbeiensis Saxonibus huius laudem originis vindicarent. Sed cum post bellum a Caesare gestum Romanos huc in exilium progressos dicunt, adiuvandi paullulum sunt ex Appiano, vt sciant, post victoriam Augusti in campis Philippicis, partem nobilitatis, quae Brutum secuta fuerat, in Traciam, sociam gentem, confugisse, inde prodicos per Rascum, vlteriora petere maluisse. Enim vero non modo, qui talia referat, sed etiam, qui operose confutet, indigne antiquitatis verecundiam pudoremque habere videtur.

Cum

Cum Mariani in Prussiam venirent, omnis Romanorum vsus numorum in Germania dudum desierat: et multo antiquiores numi inueniuntur, quam vt Herulis in Italia obuenisse indeque ab illis in has terras perlatos verosimile sit, dum interim illorum numos temporum non aeque hic inueniri meminimus. Aliquanto congruentius veritati Mathias Praetorius in antiquitatum Prussicarum vasto opere MS. censuit, ab expeditione quadam Romana numos hos repetendos esse. Secundum quam sententiam verosimillimum mihi videtur ab Romanis et Teutonis negotiatoribus perferri ad nos potuisse.

Quem enim latet, per militiam et mercaturam peregrinos mores et vsus vulgari? Velleius Paterculus memoriae prodidit, sic vniuersam Pannoniam non disciplinae tantum modo, sed linguae quoque Romanae notitiam, denique litteras accepisse: et Julius Caesar, Belgas tanto longius a cultu et humanitate Romanorum abfuisse, quanto minus a mercatoribus adirentur. Arrianus autem, vel quisquis peripli maris Erythraei auctor fuit, etiam in India Graecam pecuniam per Macedonum inuasionum atque Alexandrinas mercaturas receptam esse tradidit, ἀφ' ἧ, inquit, μέχρι νῦν ἐν Βαρυγάτοις παλαιοὶ προχωρῶσι δράχμαι, γράμμασιν Ελληνικοῖς. Quem locum Salmasius ad Plinium ita explicat, vt numos non inuentos (quod veteris interpretis versio sonat) sed in communi ciuium vsu adhibitos esse intelligamus. Ac ne quis puter, loqui eum tantummodo de Appollodoti et Menandri, Graecorum hominum, qui in India regnarunt, numis, rursum idem inter merces Indicas numerat, δηνάριον χρυσῶν καὶ ἀργυρῶν, ἔχον ἀλλαγὴν καὶ ἐπὶ κέρδειάν τινα πρὸς τὸ ἐν τόπιον νόμισμα. Quae autem cummutatio numorum Graecorum Indicorumque esse potuit, nisi Graecis auri argentique Indici pretio, Indis Graecorum numorum forma vsuque captis. Inuenti sunt vtique in India numi, quos ante bis mille annos in vrna fuisse conditos Brachmanes iudicarunt. Ex Cuperi qua-

quadam ad Lacrosium epistola A. cIↃ IↃ ccxvi. Id. Sextilibus scripta cognoui, Nicolaum Vitsenium illustraturum istos numos fuisse. Sed istis doctissimi Consulis commentariis misere ad hunc diem caremus.

Hinc passim in iis regionibus, in quibus Romani mercatores aut milites aliquando sunt versati, numi effodiuntur, vt in Pannonia, Dacia, Germania, Britannia, Graecia, Hispania. Numis in Syria repertis Ioannes Valens plurimum est vsus. Cuiusmodi iam Jacobus de Vitriaco, haud procul Caesarea in fundamentis Castri peregrinorum itinerantes prodidit, *ignotis*, vt ait, *moderni moneta*. In Aegypto defossos Paulus Lucas non ita pridem memoriae mandauit. Marcus Velserus in rebus Augustae Vindelicorum illustrandis maxime fisus est numis in agro Rhaetico, Norico et Vindelico inuentis. Haud procul Oenoponte effossus est ante annos admodum triginta aut amplius, Otho aereus maximi moduli, inscriptus ita vt ille, in quo Caninii fraus propemodum deprehensa est a Chifletiis: IMP. OTHO. CAESAR. AVG. TRIPOT. et in auersa, in qua Otho cum tribuno et tribus militibus SECVRITAS. P. R. S. C. Qui numus adhuc in cimelio Hartmanniano, inter praecipua nostrae vrbis memorandus, exstat, saepe a me visus. Nihil in eo Paruinae fraudis, aut nouitatis alicuius adparet, etiam diligentissime contemplanti. Seruatus mirifice, parum aeruginis, sed antiquae, habet. Hartmanni coniectura est, a legionibus Pannonicis Oenopontem forte fuisse perlatum. Commentarius eius in hunc numum praestans sane et dignior luce Chifletianis coniectaneis. Jacobus Andreas Schottus quidem, desideratissimus nostrae amicitiae senex, nonnulla fraudis vestigia in eo numo notasse sibi est visus, sed in his nimis acutum vidit.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Tametsi igitur inclinet animus, vt credam, per mercaturas illatos numos Romanos esse, tamen mercatores Romani, an Teutoni secum asportarint, haud quaquam liquido iudicauerim. Magis constat, ante Neronis principatum neminem Romanum in has terras ingressum, ab eo autem tempore commercia succini per Germanos Pannonasque habita, eosdem denique Romanis numis vsos esse. A Graecis primum eius gemmae notitiam Romanos accepisse, Plinius scribit. Quos ille vero Graecos, Corinthios an Tarentinos memoret, quaeri potest. Gentem nostram et succinum in Graecia iam ante Persicum bellum cognita fuisse, manifestum est; quantis autem rursum obscurata fabulis fuerint, Plinium legentes non latebit. Cum Philoxenus, Nicander, Euripides, Apollonius Rhodius ad Padum Electridas insulas et succini originem, Padum autem ipsum Aeschylus rursum in Hispania collocat, poetarum commentis tam multiplicem errorem condonemus. At Theophrastus, Zenothemis, Metrodorus, et quod miseris, re a Romanis, vt erat, cognita, Xenocrates eadem, indignante Plinio, somniarunt. Quae tamen minime argumento sunt, in Graecia succini vsum iis temporibus nullum fuisse, cum Herodotus tanto tempore illis antiquior, multo veriora prodidit. Vera enim falsis haud quaquam miscens, obscura quidem, sed probabili narratione in Thulis contentus fuit. Pytheas Massiliensis in historia Thules quoque diserte omnia habet, mendacissimus quidem Strabonis iudicatus, sed ignaro earum rerum, quas Pytheas verissime prodidit. Itaque Timaeus, Niceas et Mithridates Eupator merito aut secuti eum aut eisdem auctoribus vsi sunt. Philemon etiam in scenam produxit veram sententiam, si is, quem Plinius citat, Menandri aequalis fuit. Tradit autem Philemon, in Scythia erui duobus locis, Niceas, in Germanorum littora eiici, Mithridates, in insulam Oserictam

cedri

cedri genere, hoc est, abietibus syluosam, vnde in petras succinum fluat. Si quis hanc Sembiam Oserictam dictam putet, erroris haud facile coargui possit, praesertim si Diodori Siculi Basileam obiectet. Graeci igitur Basileam, Germani *Oserictam*, veluti *orientale* aut *Aestiorum regnum* Celtica lingua dicas, ob eam caussam cognominarunt, quod ad Sueonum Sinlonumque exemplum, regis imperio, inter tantam vicinorum libertatem, adstrictiori, maioris nostri vterentur. Aestios ipsos credibile est, *Abalum* vocasse. Xenophonti Lampsaceno cum Diodoro conuenit, sed Pythias Timaeusque Basileam et Baltiam videntur confudisse. Pythias vtique Basileam et Abalum distinguit. *Pytheas*, inquit Plinius, *Guttonibus Germaniae genti accoli aestuarium oceani Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium; ab hoc diei nauigatione insulam abesse Abalum. Illic vere fluctibus aduehi et esse concreti maris purgamentum: incolas ad ignem vti eo, proximisque Teutonis vendere.* Ex eo loco aliqui hariolati sunt, Gottones in Prussia aliquando sedes habuisse. Atqui falso, nulla idonea auctoritate. Aliqui insuper Gothos et Gottones perperam confundunt, ita ambiguo licentique errore, tamquam in nostris rebus nihil turpe sit comminisci. Gottones Pytheas eodem, quo Tacitus loco in Pomerania et Cassubia posuit. Diei nauigatio Lacu salubri siue Aestio fiebat, cum etiam hodie tantilli temporis cursus secundo vento est. Ab eius autem occidentali ripa, intra Germaniam omne littus Sueuici maris Mentonomon a Graecis nuncupatum fuit. Spatium autem a Vistulae ostiis, quae salutarem lacum influunt, vsque ad fines Cimbricos admodum congruit cum Pitheae rationibus. Nam stadia sexies mille efficiunt ter millies et sexcenties mille pedes Graecos, qui secundum accuratas Eduardi Bernardi rationes, aestimatis tot veterum molibus, tot auctorum sententiis cum Anglicis pedibus conuenientes, pedibus ter millies trecenties, septies et septuagies mille centum et vndecim

Pari-

Parisinis aequantur; itaque milliaria Germanica centum septem et quadraginta, aut pauxillo admodum plus, nobis dabunt. Quanto spatio littus Suevicum inde ab Aestio lacu ad Cimbros propemodum accurate porrigitur.

Possis suspicari Massilienses Gaditano euectos freto, littora septentrionis obiisse, vnde fiducia fuerit Marciano suos περίπλους edendi. Satis animi Alexandrinis et reliquis Graecis fuit, vt, Dionysio Periegeta teste, mare Erythraeum emensi ad Gangem vsque ferrentur. Enimuero si rationem nauticae veterum scientiae ineamus, persuaderi mihi non patior, Graecos antiquissimis temporibus euectos in hoc mare fuisse. 4) Polybius, vt erat vir admirabili rerum vsu et scientia, in Megalopolitana historia liquido commonstrauit, quam id fieri istis temporibus nequiuerit. Idem multo tempore post Marcianus Heracleota et Agathemeres confirmant. Quae autem Pitheas et Herodotus et ceteri de his gentibus habuere, vicinis barbaris accepta tulerunt et postea Romanis expeditionibus. Marcianus et in primis Cl. Ptolemaeus plurima ab his mutuo sumpserunt, vt hic ἐν πρώτῃ ὑφηγήσει non dissimulat. Itaque hactenus Plinio assentior, non ab his littoribus, sed ab Venetis Graecos succinum petiisse.

Vt ad Plinium prorsus redeam, non Corinthios, nec alios Graecos, sed Tarentinos credo ab eo prodi succinorum commercia visumque Romae vulgasse. Homo videlicet Romanus cum Graecos nominat, Tarentinum aut Bruttium aut ex magna Graecia aliquem significabat. Praesertim, cum non, qui per orbem terrarum, sed, qui per Italiam succina vulgauerint, quaerit. Tarentus ad omnem mercatum opportune posita, tum caput Lucaniae, Apuliae Calabriaeque, maximam luxuriam contraxerat, non tam Graecorum, vnde erat orta, exemplo, quam rerum humanarum lege, qua ab opibus magnis ad affluentiam rerum omnium iter, inde ad luxuriam praecipitium est. Theopompo in Philippicis et Clearcho Solensi

4) Lib. 3. 158.

lenſi in vitis proditum referimus, Tarentinos dicere ſolitos, cum aliae gentes induſtria ac laboribus vitam inſtruant, ſe inſtructa inter maximas voluptates perfrui: eosdem primos cutem raſiſſe, conuiuia pergraecando perpetua duxiſſe, pictis pellucidisque veſtibus vſos, quibus Semus Delius in Paeanibus ithyphallos inter ludorum obſcoenitatem indutos fuiſſe tradidit. Strabo denique plures feſtos dies Tarenti agitatos prodit, quam quot diebus anni tempus deſcribitur. Idem portum Tarentinum nobis pingit. Polybius autem in excerptis Megalopolitanae hiſtoriae Tarentinam vrbem ſic poſitam oſtendit, vt Italiä inferior et magna Graecia communi hoc portu vterentur, ad Adriatici, Inferi et Ionii maris commercia, ſoliquè Crotoniatae neſcio quid portus haberent, ex quo tamen maximae huius vrbis opes prouenirſent. Eo ſic auctae res Tarentinae fuerunt, vt Graeci et reliqui mercatores toto Italico littore nullum portum peterent, quin etiam in hoc excenſum facerent. Tarentinos etiam in Iſtriam et Illyricum vsque mercaturas excercuiſſe Flori teſtimonio conſtat. Itaque verosimile eſt, ſuccinum quoque ab Illyriis petitum, in domeſticum luxum vertiſſe, inde in alios populos Italiae vulgaſſe.

Inde adeo et Romani acceperunt. Neque enim Plinio parum memori eorum, quae ſemel memoriae mandauit, credo, Romanos a Venetis primum ſuccina cognouiſſe, aut Venetos a Pannonibus. Etenim Veneti bello Liguſtico, annis fere quinquaginta poſt Tarentinos peciti ſunt; in Iſtrios et Illyrios etiam aliquot annis ſerius itum eſt. Perulgari interim ſuccinum per Tarentinos, vt in reliqua Italia, ita Romae etiam vel maxime potuit. Pannones autem coniuncti Venetis numquam fuere, Iſtriis et Illyriis inter vtrosque mediis. Appianus Alexandrinus in Illyricis, terminos gentis deſcripſit, vt ante bellum Illyricum fuere: a Macedonia et Thraciae montibus ad Alpium obiecta luga iuxta littus Ionium coluiſſe, ſtadiis mille et ducentis, ſeu quinque dierum itinere;

ad Istrum autem et Pannonas maiorem amplitudinem fuisse. Ad Arsiam Istrii, cognata gens, Illyrios excipiebant vsque ad Venetos diffusi omni reliquo littore. Claudius Ptolemaeus Pannoniam ab occasu solis Cetio et minima parte Caruancae montis, a meridie Istria et Illyrico finit. Sic Strabo, sic veteres omnes, sic ipse Plinius, Alpium iugis a septentrione ad meridiem per medium Illyricum versis Pannoniam includi scribens. Nullum igitur Venetis Pannonibusque commercium, cum Illyrii Istriique istis propiores sint, et, si libuisset Venetis per Alpicas gentes Carnutum petere, sub Alpibus Germani essent, a quibus commodius succinum acciperent, quippe et inde Pannonibus petentibus, vt Plinius memorauit. Imo cum Plinius scribit, Venetos proximos Pannoniis succinum circa mare Adriaticum accipere, non animaduertit, ambigue se loqui. Pannones ad mare non colebant, sed Illyrios Istriosque veterum aliqui cum Pannonibus confundebant, credo post tumultum Gallicum et cum Gallis per Dacos in Istria Illirioque, teste Strabone, deletis, in vacuas regiones Pannones succederent coloni. Accisi quidem postea et intercepti paullatim Illiricae gentis fines, cum ad Patauium vsque ante Antenorem colerent, profectis ab Illyrico agro Henetis in haec loca, quae adhuc tenent. Attamen etiam post Plinium inter Venetos Pannonesque satis longo interuallo ab Geographis Istrii collocabantur.

Mihi probabile est, ab Istriis fortasse Venetos, certe Romanos, (cum a Tarentinis, vt dixi, aliquot annis ante cognouerant) succina accepisse Istrii a Carnuto Pannonum habuere, cum a Germanis interiacentium populorum spatiis impedirentur. Pannoniam Romani, teste Plinio, ob succini commercia, quae cum Illyriis exercebant, maxime in potestatem suam redigere cupiuerunt. Inde quomodo auectum sit in Italiam succinum, liquido tenemus. Pythiae etiam temporibus Pannones a Germanis accipiebant. Plinii aetate ex Germanis Vindelici

et

Digitized by Google

et Norici Carnutum asportabant. Videlicet victa hac Germaniae parte et colonia Augusta condita. Augustam ex tota Germania, praesertim ex Hermunduris mercandi caussa itum est, Cornelio Tacito referente. Ab Hermunduris Gottones haud procul aberant. Carnutum autem emporium erat Pannoniae, proximum Norici, Velleio Paterculo, harum regionum vel in primis gnaro. Fuit enim in exercitu Tiberii. Inde quomodo in Istriam Illyricumque sit deuectum currubus aut nauiculis, Strabo docet in descriptione Segestlicae, ex quo etiam colligas, Aquileia trans Ocram in Vindelicos et breuius iter et haud minus frequens illo tempore fuisse. Illyricorum portuum, credo et Liburnicarum nauium opportunitate Romani vsi sunt, ne per Alpium iuga et saltus maiori vtique sumtu adueherent Romam. Mari infero non poterant, quod longius abesset.

CAPVT TERTIVM.

Ad haec vsque tempora nihil Romanae pecuniae in Prussiam potuit perferri, quippe cum inter Noricos, Pannonios et hanc gentem multarum terrarum spatia, nullus mutuus, nisi per finitimos, vsus intercesset. In interiorem Germaniam mercatura Romana serius penetrauit. Claudii Drusi expeditio postrema Cattos aperuit et Cheruscos, Dione omnia quam diligentissime enarrante. Albim traiecturus prodigio absterritus est. Hic Τρόπαια Δρούσου a Claudio Ptolemaeo ponuntur, hic finis Romanarum expeditionum. Vltra Albim Straboni ignota prorsus dicuntur omnia, cum ad orientem ante id tempus παράπλους esset litore Sueuico factus nullus. Germanicus Caesar ne quidem vltra Visurgim longe processit. Trans Viadrum nulla Romanorum arma sunt visa. Idcirco Philip. Jacobus Hartmannus vehementer fallitur, cum a militibus Romanis in haec loca numos esse allatos, in Antiquitatibus rerum Prussicarum, probare conniſus est.

Digitized by Google

Dicat quisquam, vnde ad Romanos tot gentium vltra Albim cognitio peruenerit? Nempe Germanis aut captiuis aut transfugis, aut alioqui inter Romanos versantibus creditum est, quicquid vltra erat, vt ipsi acceperant, referentibus: Sueonas secus Sueuicum mare colere, vlterius septentrionalem oceanum esse, ibi extremum cadentis iam solis fulgorem in ortus edurare adeo clarum, vt sidera hebetet, * Sueonas a regibus imperari et segnitiae (vt ipsi feroces interpretabantur) hoc est, paci deditos esse. Id cum verum fuisse, aliunde comperimus, fidem iisdem auctoribus habemus de proximiori Aestiorum littore narrantibus. Juxta Sueonas Sitones (nos Lapponas vocamus) tum Peucini, Fennique colebant. Fenni vtique iisdem quibus hodie locis. Absurdum est, ab aliquibus Fennos in Prussia collocari. Aestii mea sententia, lati dextero littori Sueuici (vt Tacitus dicebat) maris praetendebantur, a Pomerania ad Curoniam vsque, aut Esthoniam quoque, quae vetus nomen fortassis seruauerit. Gentes multas vno et eodem Aestiorum cognomine Cornelius prodidit. Lacum hunc salutarem ab Aestiis paludem Aestiam Pomponius Mela vocat. *Palus*, (inquit Vossius) *est illa, in qua succinum colligitur et olim et nunc notissima.* In quo errore nemo vmquam Romanus fuit. Emari succinum eiici tradunt ad vnum omnes.

Glessariam, Austraniam et Burchanam Romani tenuerunt aliquando, sed, vt ex Germanici Caesaris nauigatione coargui potest, longe ab nostro littore distantes, totius Cimbriae Germaniaeque interiectu. Apud nos interim nullo succinum vsu, nisi arsisset, rude legebatur et informe ad finitimos Germanos perferebatur; Cornelio gnarissimo earum rerum auctore. In prouinciis autem Germanicis aeque succinarii negotiatores fuisse videntur, quam

* Id adeo verum esse ex numo Caroli XI. et ex Speculo Regio, Noruegico scripto apud Arngrimum Jonam in specimine Islandiae historico p. III.

Digitized by Google

quam in Belgio cretarii, alii alibi. Sed quibus finibus se continuerint, et vtrum ante Neronem in haec loca penetrauerint, quia nuspiam vel ad suspicandum, quid verum sit, quidque non sit, obuenit, non possum explicare.

Fuerunt sine dubio et Romae, inter tot opificum collegia, etiam, qui succinum laborarent, artifices. Ac fortassis ad collegium vascularium aut aurificum aggregati fuerunt. Vascularios argentarios inuenio apud Scaeuolam, aeris Corinthiaci in veteri inscriptione in via Flaminia.

VENERI
COLL. VASCVLARIOR.
SIG. CORINTHIVM.
D. D.

Apuleius inter vasa aurea et argentea mensam dititem succino instruit: *argentum alibi clarum et aurum fulgurans et succinum mire cauatum in lapides, vt bibas.* Aristides in Romam, praedicat in vrbe omnia confluxisse ναυτιλίας, ἐμπορίας, μετάλλων κάθαρσιν, τέχνας, ὁπόσαι εἰσί τε καὶ γεγένηνται. Sed non tantum vasa, verum etiam maioris artificii res e succino fiebant, vt nisi cum glyptices sculptori aeque artis summa doctrina, frustra tentatae essent. Si quam naturae operam et artem ostentaret succinum, sine artificis ingenio et industria placebat, vt nunc fit. Martialis apem, viperam et formicam succinea inductas gutta, culices et lacertas Plinius laudat. Hic quoque memoriae prodidit, fulua succino maius, quam cereo, aut albo pretium fuisse, mulieres Transpadanas monilium vice vsas, alligasse quoque infantibus, nouaculis Romanos succineis vsos, humanas denique effigies in succino effictas vinorum hominum pretium superasse. Hi mores Romani fuerunt, hoc succino pretium.

Digitized by Google

Pretium gemmae Domitius Nero maxime auxit. Ab eo tempore Romae magis cognita, maioris facta est. Sabinae Poppaeae, cuius amore tam vehementer flagravit, crines, in quodam carmine succina, an succineos? nuncupauit. Exinde *is colos matronis*, vt ait Plinius, *expeti coepit*. Sed haec postea aliquanto fuerunt, quam in ludicrorum ostentatione visum fuerat succinum. Nam cum Romae in ludis bestiae ignotae aliaque rara ac numquam in vrbe visa producerentur, Neroni in animum adeo venit, succinea omnia exhibere. Erat Nero tam peruersa gloriae cupiditate, vt, quidquid incredibile, ignotum, abditum, aut ex eorum esset genere, quae fieri non possent, ea maxime peteret et vulgaret. Audita vox eius est, paullo ante exitum, cum organa hydraulica noui ac ignoti operis in domo illa aurea recens posita contemplaretur, adfirmantis, se isthaec in theatra prolaturum. Julianus igitur curator eius, equitem Romanum in haec loca misit, qui succini ingentem copiam referret. Dignus est locus Plinii, vt penitius consideretur. Julianum, (quae licentia esse solet, omnia ad nota aliunde nomina trahentium) credat fortassis quispiam, eum esse, quem cum Asprenate Romanum Cos. ad A. V. C. Ioccxci siue Christianum XXXV. sub primo C. Caligulae anno Idatiani et Anonymi Fasti, Prosper, Cassiodorus, Dio, Frontinus ponunt, quorum postremi M. Aquilium cognominarunt. Panuinii errorem hoc quoque et proximo anno Coss. turbantis Norisius in epistola Consulari gnauiter conuicit. Enimuero ex Dione constat, Julianum illum a Tiberio designatum Cos. iam dudum ante rem publicam attigisse. Iis autem, qui rempublicam administrassent, curationes rerum domus Augustae non committebantur. Testis est Cornelius Tacitus, Melam a petitione honorum abstinuisse, quod et ambitiosius crederet priuatum Consularibus viris praeferri et acquirendae pecuniae breuius iter teneret per procurationes administrandis principis negotiis. Reliqui sunt Clau-

Claudius Julianus et Julianus Tertius a Tacito memorati, si necesse est, aliquem esse eorum, quorum nomina aliis rebus gestis quoque conseruantur. Ille a Cornelio Tacito ita descriptus est, vt alterum haud inuiti omittamus. Vix enim credibile est, nos in eo verum nomen non tenere. Post procurationem huius muneris Misenensi classi praefuit ante Lucilium Bassum, amotus deinde a Vitellio ad domesticum ministerium. Praefectus idem gladiatoribus lasciuia socordiaque gladiatoris plus, quam ducis animo, ingenio Neronis moribus conuenientissimo. A Vitellio ad classiarios Misenenses mitigandos cum manu gladiatorum et cohorte vrbana missus, haud magna cunctatione ad Vespasianum et ipse deficiens, gladiatores secum traxit, Tarracinamque Misenensibus adiuuantibus occupatam insedit. Illa iterum per socordiam et lasciuiam amissa, verberibus laceratus, Vitellio inspectante trucidatus est. Quae antea vita Juliano fuerit, non constat, nisi dedecus ex morte et infamis ministerio principis arguas. Illum adeo Julianum Claudia gente, eadem qua Nero, (nisi ex plebeia fuit, nam Nerones patricii erant) curatorem huius muneris fuisse, nunc multo magis contendo, cum video, Lipsium in eandem mecum sententiam conuenire. Procuratores autem mandata Caesarum ordinabant ea, quorum curam accepissent extra ordinem, idque ad Pomponii opinionem coarguendam, censentis, *vnius rei mandatum suscipientem, procuratorem non esse*, aeque firmiter valet, quam Vlpiani auctoritas, cui aliter visum est. Igitur singulis ludis alium procuratorem (vt Patrobium libertum teste Xiphilino, gladiatorio Neronis muneri Neapoli edito) saepe etiam vno plures datos inuenio. Nam cum post Atilii theatrum collapsum, non amplius ad stipem mercedemque parandum, aut omnino a priuato munera ederentur gladiatoria, tanto maiores opes a principibus profundebantur. Atque cum ideo per mille artes procuratorum ingenium ad accumulandas diuitias se exerceret, magna res erat, procurare munera.

Digitized by Google

Quo tempore Nero gladiatorium hoc munus ediderit, quaero, vt ex eo intelligam, quando Romanus eques in haec loca venerit. Tranquillus Suetonius: *spectaculorum*, inquit, *quatuor genera edidit. Iuuenales, circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus*, tamquam nullum aliud exhibuerit. Econtrario Cornelius diserte memorat, bis edita munera. Primum per indignationem et transcursum attingit, alterum non multo diligentius. Satis tamen adparet, primum munus Suetonio notari. Nam molem amphitheatri apud Campum Martis construxisse Neronem firmissimis fundamentis et trabibus, Tacitus scribit. Suetonius autem confirmat, in Campo Martio ligneum amphitheatrum intra anni spatium ab Nerone conditum ac neminem, ne noxium quidem in eo occisum fuisse. Altero autem spectaculo foeminae illustres ac senatores sine missione dimicarunt. Par vtrique muneri magnificentia, sed priori magis illa ex succino ornamenta conueniunt, praesertim in ligneo amphitheatro. Theatra primum paupertatis caussa, nulla, nisi ciuium corona, cui inter ludos ne licuit quidem sedere: inde subitaria quidem sunt facta, sed disciplinae caussa, ne quis locus ad quotidianam desidiam esset. Quippe cum censores pro reliqua seueritate sua gradus ac sedilia disturbarent, vt Tertullianus in Spectaculis tradit et Vitruuius quoque confirmat. Firmum et mansurum primus condidit Pompeius. Id ille tamen parsimoniae caussa, ne frequenti constructione tanti operis priuata et publica pecunia exhauriretur. At Nero ligneum fecit, vt tanto plus profunderet. Igitur de anno constat. Nerone secundum et L. Calpurnio Coss. nihil aliud actitatum. Hi Coss. erant A. V. C. Iↄ cccx secundum Anonymos, Idatianos, Prosperi et Capitolinos fastos. In eundem annum Suetonius videtur coniicere venationes, vt tanto magis cum Plinio concordet. Ex quo conficitur, sub ipsum initium principatus, aut proximo anno, Claudio Nerone et L. Antistio Vetere Coss. equitem Romanum in

in Pruſſos eſſe profectum ſuccini cauſſa. Eques fortaſſis negotiator, quales plurimi erant etiam integra republica, aut, et ipſe Neronis curator. Profectio tanto maiori compendio fiebat, quod magnum in Germania Neronis nomen ſemper fuit; Hermunduri fida Romanis, Gotto-nes autem pacis amantiſſima natio erat.

Quanto pondere ſuccina allata ſint, Solinus videri voluit comperiſſe, loco Plinii negligenter expenſo. *Tredecim*, inquit, *millia librarum.* Plinius dixerat; *maximum pondus glebae attulit XIII. librarum.* Hoc congruentius vero, illud ſine idonea auctoritate. Ingens pondus vnius glebae, etiam noſtris rationibus. Iam, quanta ſuccini copia reliqua fuerit, ex inſtrumentis, quae ſuccinea fuere, coniecturam nos ducere Plinius ſinit. *Tanta*, inquit, *copia inuecta, vt retia arcendis feris, podium protegentia ſuccinis roterentur, arma vero et libitina, totusque vnius diei apparatus eſſet e ſuccino.* Primum omnium conſtat, podium in amphitheatris fuiſſe circum harenam ductum, vt gradus de quibus ſpectabant, ſecuri a beſtiarum inſultibus eſſent. Poſt ſubſtructionem enim ſupra ſtereobata murus, vt ex Vitruuio intelligemus, exiguus ſurgebat, quem podium vocabant. Supra podium columnae et epiſtylia (vt Maeniana etiam in noſtrae vrbis aedificiis mediis, more Romano, ſed corrupto in peius) conſtructa erant. Satis alta harenam ſpectantibus, vt ex Vitruuii dimenſionibus tenemus. Quod, cum non eſſet ſatis aduerſus feras aliquas, retia ex ferro (διατυωτὰ *clathra ferrea* Plinio) ſupra epiſtylia diſponebantur. T. Calpurnius etiam aurea facta a Carino cecinit in poſtrema ecloga:

Baltheus ex gemmis, ex illita porticus auro
Certatim radiant; nec non vbi finis arenae
Proxima marmoreo peragit ſpectacula muro,
Sternitur adiunctis ebur admirabile iuncis,
Et coit in rotulam, tereti qua lubricus axis
Impoſitos ſubita vertigine falleret vngues.

Excuteretque feras. Auro quoque torta refulgent
Retia, quae totis in arenam dentibus exſtant
Dentibus aequatis: et erat, (mihi crede, Lycota,
Si qua fides) noſtro dens longior omnis arâtro.

Scilicet in ſummis retibus ſpicula obuerſa harenae erant, vt, ſi qua beſtia, transmiſſa euripo, per ſtereobata, podium, columnas, epiſtylia, retia niteretur, interim a lictoribus magiſtratuum, qui inter primae cauèae ſpectatores verſabantur, confoderetur, aut ipſa ſe fera ſupremis retium inſidiis configeret. Retia nodos oportet habeant, quibus ferrum firmetur et connectatur. Hi nodi ex ſuccino erant, credo enim apud Plinium rectius legi, *nodarentur*, vt Salmaſius etiam ſuſpicatur.

Haec in Spectaculo venationum, incertum, an et gladiatoribus congredientibus relicta fuerint. Arma ex ſuccino erant, quod confirmat meam ſententiam de tempore gladiatorii muneris. Adparet enim ſuccineis armis neminem foedatum fuiſſe. Primum autem munus ſine caede fuit. Digna ſenatoribus et ſequiori ſexu arma, quos aut nullis aut ferreis vtique non decebat appeti. Vidiſſes igitur matronas ſuccineo ſcuto et gladio ictum inuicem excipientes et inferentes; myrmillonem aliquem, cui non triplex circum pectus aes, non galea, non totius corporis tegumen ex ferro, ſed ſuccino erat: inde ruere Threcem cum pelta et acinace ſuccineo. Samnis aliquis non in modum veterem auro et argento caelatum ſcutum, ſed ex ſuccino etiam criſtas ſiniſtrique cruris ocream gerebat. Retiarius tridentem eodem electro et retia fortaſſis ſimiliter nodata intentabat. Neſcio quid in laquearis, (ſi qui fuerunt) ſuccineum eſſe potuerit, niſi forte pugio. At in andabatis et eſſedariis etiam equi et currus tali ornatu inſtruebantur.

Miraculo ſimilem profuſionem ſuccini! Nempe hoc Plinio quoque mirabile viſum. Credine poteſt ſandapilas ex ſuccino fuiſſe tot, quot eſſe in harena ſolebant pugnantes? Enimuero quid ſenatori, quid nobili matro-

Digitized by Google

matronae cum ſandapila? Conſtat enim ex Fulgentii ad Chalcidium libello, non niſi plebem et condemnatos ſandapila efferri fuiſſe ſolitos. Equitibus et ſenatoribus lectica pro feretro fuit, Martialis teſtimonio. Fortaſſis Plinius lecticam ad reliquum diei apparatum refert, niſi eodem libitinae cognomine, genus omne feretri complectatur. Dio Caſſius de inſidioſo Agrippinae naufragio ſcribens, non ex caueis feras emiſſas refert, ſed ex naui ita facta, vt ſolutis vinculis feras excuteret, inde ſe contraheret ipſa. Id videlicet neceſſe eſt, in hoc munere ac theatro viderit, alterum enim Nero edidit, matre iam interempta. Enimuero vaniſſimi hominis argutulas fictiones omnes haud hili facio. Credam magis, Dionis memoria eiusmodi caueas in theatris factas eſſe ad Neronianae modum et exemplum nauis. Iam qui reliquus eius diei apparatus? Omnia videlicet quae ſpectarentur, ad apparatum pertinebant. Etiam, quae ante eum diem fierent. Vt Tertullianus in ſpectaculis: *Idem de apparatibus interpretabimur in ipſorum honorum ſuggeſtu deputandis, quod purpurae, quod faſciae, quod vittae, quod coronae, quod denique conciones et edicta et pultes quotidianae, ſine pompa diaboli non ſunt.* Magna in his varietas ſeruata Romae, vt Velleius de Iulio tradidit, quinque eum triumphos, primum apparatu omni ex citro, alterum ex acantho, teſtudine denique, ebore et argento raſili ceteros egiſſe. Id nimirum Tranquillus dixit, *diuerſo quemque apparatu et inſtrumento egiſſe.* Haec in triumphis quae fuerint, ſcimus; in gladiatorio munere, quaerimus. Calpurnius in theatro Carini vidit baltheos et porticus auro ornatos. Neceſſe eſt, idem in ligneo Neronis theatro ex ſuccino fuiſſe ornamentum. Reliqua ſupellex, torques gladiatoria, vaſaque alia, quae in Commodi auctione ex auro, argento, ebore citroque compoſita Capitolinus in Pertinace memorat, hic ſuccinea erant. Venabula, ſpicula, ara in medio theatro, vela, tabulae, ſpoliaria, vncus, veſtes, ſuccino inſtructa

fuerint

fuerint oportet. Tertullianus quoque flagella et virgas expedit et rudem et pileum in spectaculis praesto habet. Haud scio, an etiam haec ex succino fuerint. Vitruuius autem in cellis sub gradibus vasa aenea mathematica ratione ita a Corinthiis, Graecis reliquis, ac quibusdam Italiae regionibus collocata memorat, vt ἠχεῖα hoc est, sonitum discrimina ἀντοματὶ ederent et inter se vulgarent, theatrorum clamoribus commota. Romae, cum haec scriberet Vitruuius, nullum eiusmodi theatrum fuit, sed praecepto eius obtemperasse architectos censeo. An et haec ex succino fieri potuerunt? Mira hodie artificum nostrae vrbis sagacitas, et fuit ante aliquot annos multo maior in laborando succino; ac nescio, annon aeque succino ἠχεῖα haec edi potuerint, quam fictilibus doliis, quibus Vitruuius scribit, laquearia fuisse distincta, si sumptus ad aeneas campanas non sufficeret. Cum autem ad augendum clamorem et tumultum theatri haec inuenta essent vasa, in theatro Neronis ligneo id nemo requirat, quod, vt ait Vitruuius, *lignea theatra tabulationes habent complures, quas necesse est sonare*, si ex artis praecepto theatra constructa sint.

Mirum id quoque est, cum quinquennalium, decennalium, circensium, reliquorum ludicrorum memoria in numis obseruata sit a Panuinio, Vico, Occone, Biaeo, Erizone, Valente, Begero et nuper Montefalcone, neminem omnium antiquariorum aut numum aut lapidem tam excellentis muneris memoria insignem reperisse. Nequaquam dubito, Senatum Romanum aboleuisse tam foedi spectaculi monumenta, cum ex suo ordine mulieresque pugnassent. Si Dionem integrum haberemus, vtpote pugnarum curiosissimo obseruatori hoc quoque ludicrum explicatius deberemus. Cornelius grauior, Tranquillus negligentior fuit, quam, vt haec accurate narrarent. Plinio vni gratiam debemus maximam omnium. Quem cum explicaui pluribus, non potest hic labor, sumptus nobis in patriarum honorem rerum,

Digitized by Google

rerum, aliquem offendere, tamquam alienus ab hoc loco, nisi abhorrentem ab antiquitatum studiis, et non intelligentem, quem fructum ex hoc labore capiamus.

CAPVT QVARTVM.

Id igitur consecuti sumus, vt, cum constat, quo tempore munus a Nerone exhibitum sit, ex eo intelligamus, quando in haec littora, Romanus eques venerit; ac cum explicauimus, quanta profusio succini in theatro fuerit, ex eo colligamus, quanto pretio constiterit, quantoque tempore a Romanis inter Aestios versantibus littore collectum sit nostro. Inuentus quoque Neronis numus et ad Hartmannum allatus est, NERO CAES. ... VST. CERTA. QVINQVENN. ROM. CON. S. C. paullo igitur diuersus ab eo numo, quem L. Beger et Sebastianus Erizo exhibent. Vrceus, credo, is est, qui oleum seruat. Nam, Dione teste, oleum inter senatores et equites gymnastico certaturos ludo gratis distribuit Nero. Lauream satis constat victoris fuisse. Acta sunt haec certamina, Nerone quartum et Cornelio Cosso Coss. tertio anno post profusionem illam succini. Itaque post illa tempora oportet numum hunc allatum in has terras esse. Saltem cognitae a maioribus nostris Romanae pecuniae tempora aperuimus. In Chronico quodam MS. bibliothecae Regiae, inter legata Raziuiliana, quod Ioannis Radeualti vulgo apud nos nomen habet, inuenio talem narrationem, quae praeterquam quod erroris aliquid admiscet, satis scita est. „Iulio Caesari bellum cum Pompeio fuisse annos quinque, „inde a septimo et quadragesimo anno ante Christum natum. Eo tempore Pompeium cum maxima classe Syriam „aggressum et latrones esse persecutum, Inter praedam „reliquam belli ex sententia compositi, succinum fuisse „repertum, quod tum, quid esset, nemo Romanorum „tenuerit. A piratis denique esse cognitum, cum Pom„peji vim metuerent eiectos quosdam Gaditano freto,

„post

„post longum cursum in ea loca veniſſe, quibus ſuccinum „in littore et proximis vadis legeretur. Nunciatum eſſe, „Gollem regem praeeſſe genti, ſuccinum aut abiici, aut „incendi, pretio nullo cenſeri. Inde Pompeium in ta„bulas ab artificibus ſecto ſuccinum inter reliquum appa„ratum triumphi exhibuiſſe, partem eius in templum „Iouis illatum ornatus cauſſa fuiſſe, reliqua inter amicos „diuiſa. Tum primum auri pretium aequaſſe dictumque „eſſe carabe. Neronem annis ſex et quinquaginta poſt „Chriſtum natum in easdem terras miſiſſe aliquos, qui „ſuccinum Romae inferrent per Paunoniam. Poſtremum vnde acceptum ſit, liquet; etiam annus cum noſtris rationibus conuenit: cetera auctoritate veteri deſtituuntur. Illud de carabe et Iulii Caeſaris bello ab alio inſertum videtur: prodit enim grandem inſcitiam, quae ab reliqua narratione abeſt. Bellum cum Pompeio patre filiisque geſtum, tum piraticum ac ciuile perperam confuſum in hac narratione eſt. Appianus Alexandrinus de bello Mithridatico in primis accurate triumphum Pompeii enarrat, nihil autem de ſuccineis tabellis habet, niſi eas referat ad reliquum apparatum, dicit enim, duxiſſe ζεύγη καὶ φορεῖα χρυσοφόρα καὶ ἕτερα κόσμε ποικίλα. Nihil nos iuuat Plutarchus in Pompeii vita, nihil Dio Caſſius, nihil omnis vetuſtas. Similiter multa in Chronicis noſtris, de quodam Aſtronomorum in has terras ingreſſu memorantur, quae quia veterum auctorum neminem prodidiſſe conſtabat, noſtri inter fabulas referebant. Inuenio autem eius originem narrationis apud Aethicum: *Iulius*, inquit, *Caeſar, cum conſulatus ſui faſces erigeret, ex S. C. cenſuit omnem orbem iam Romani nominis admetiri per prudentiſſimos viros et omni philoſophiae munere decoratos. A conſulatu Iulii Caeſaris et M. Antonii vsque in conſulatum Auguſti decimum annis XXIX. menſibus VII. diebus X. a Theodoro ſeptentrionalis pars dimenſa eſt.* Hic eſt adeo ille, quem noſtrum aliqui Tironem, alii ex quorum numero Lucas

Dauid

Dauid est, Diuonem nuncuparunt. Primus ex nostris fecit mentionem eius rei Christianus ex ordine S. Burchardi Abbas Oliuae et Episcopus Prussiae in libro, quem inscripsit: *liber filiorum Belial et de eorum superstitionibus*, memoriae prodens, datum sibi esse a Iaueslao Praeposito aedis Plocensis in Masouia librum Russica lingua conditum Graecisque scriptum litteris, in quo is Diuones tradiderit, se cum sociis Salura Bithyniae vrbe, astronomis quibusdam iubentibus egressum Octauiano Augusto Romanum orbem regente, septimi climatis regiones peruasisse. Ex eo postea Simon Gruna, Lucas Dauid, Paulus Polonus, auctor Chronici Ordinis, quem totum Vaisselius compilauit et alii totum hoc acceperunt.

Reliquum est, vt, quando desitum sit numos in Prussiam perferri, explicemus. Prudentius Eulaliam laudat, quod *succina sperneret*, nulla certe commendatione, nisi tanto maioris ab aliis honestis virginibus essent facta. At Isidori Hispalensis aetate iam ad agrestium foeminarum monilia adhibebatur succinum, ex qua re copiam et imminutum eo tempore pretium arguas. Sed mihi Isidorus non vt sua aetate fuerit, prodidisse videtur, a Plinio mutuatus, quicquid de succino habet. Itaque econtrario suspicor, visum ab eo succinum in Hispania nullum, cuius vsum non tenebat, nisi alterius fide. Aliquanto magis compertum habemus, Aestios per tot gentes ausos esse ad Theodoricum regem legatos et succina mittere. De qua legatione oportuniori dicemus loco. Sed grauiora tempora sunt consecuta, quae prorsus omnem cum maioribus mercatum interruperunt. Ab Hunnis non admodum magna clades mercatui illata, quippe a Romano limite deuinatibus. Quanta autem vastitas Noricorum et Vindelicorum, mortem Attilae et Germanorum primam profectionem exceperit, satis idoneus auctor est Eugippius Abbas in vita S. Seuerini. Odoacro Regi Rhaetia omnis et qua Romana prouincia patebat, ad Dispargum, vt ait Gregorius Turonensis, et

Lige-

Ligerim fluuium, in praedam cessit. A Theodorico quidem Gothisque multa in Rhaetia, Norico Italiaque omni praeclare sunt gesta, sed excepit subito secunda in prouincias Romanas irruptio, qua maximum mercatura omnis damnum est in Germania perpessa. Franci enim Alamanis superatis pristinam Vindelicorum Noricorumque virtutem plane exstinxerunt. Gregorium hunc legentibus haud obscurum est, quanta auiditate Francorum omnis natio, qua latrocinandi licentia fuerit, quae res cum per se satis, tum accedens ad superiora mala, commercia hominum disturbauit maxime. Cetera, quae dixi, Agathiae accurato Gothicarum rerum scriptori me debere profiteor. Post Iustiniani et Iustini Thracis principatum omnis mercatus succini neglectus fuit. In haec vsque tempora, numi apud nos inuenti, pertingunt. Itaque antiquius cadauer est istis principibus in agro Anconitano M IↃↃLXVII. in lateritio sarcophago repertum. Nam circa collum et super pectore succina ouum gallinae aequantia filoque colligata tanto numero sunt reperta, vt modium efficerent. Paulus Bocconus Siculus, cuius fide haec refero, in aliquo museo etiam simili magnitudine succina vidit, ex sepulchris erута, quae aeneam fibulam innexam haberent. Quod arguit, magnam is aetatibus copiam succini nostri perlatam in Italiam fuisse, cum iam desiissent cremari cadauera. At Carolus M. et omnes sequentium aetatum principes nihil vspiam succinei inter ornatus habuere, cum etiam ex India ambitionis instrumenta repeterent. Saxo Poeta inter Brunsuicenses scriptores in vita Caroli:

.. quoties aderant missi mundata ferentes
Ex longe positis gentibus et ducibus.
Tunc auro textam nectebat fibula vestem,
Aurea comebat gemma pedes varia.
Distinctam viridi gessit diadema smaragdo
Stellatus radiis iaspidis ensis erat.

Insti-

Instituta sunt post id tempus commercia cum Sueonibus nostris, Bircam, ditissimam vrbem, haud longe Holmia, in insula *Bioerkoe* lacus *Meleri* (vt Io. Hadorphius nos docuit *) sitam petentibus, quod Adamus Bremensis in historia Ecclesiastica testatur. Patuit et Slavis in Prussiam aditus, vt idem prodidit in libro de situ septentrionalium regionum. Ex eo Helmoldus etiam haec totidem verbis: *Vsque hodie profecto inter illos, cum omnia communia sint nostris, solus accessus prohibetur lucorum, quos autumant Christianorum pollui accessu.* Sed mercatura succini nulla, veluti deleta eius memoria. Mercatura autem nostra Suecorumque iam a Plinio mihi videtur commemorari. Nerigon vocat insulam, ex qua in Thulen vnius diei cursus sit. Leibnitius Norvegiam putat significari. Ausim dicere Prussiae partem, Peninsulam enim a Gedano Pilauiam vsque procurrens etiam hodie hoc nomine a nobis appellatur. Nolim tamen vehementer pugnare. Id testatius est auctore Bremensi Adamo, nostros postero tempore pelles muricum Bircam auexisse, nulla succini memoria. Nec Mariani equites, cum in Prussiam venerunt, magno in pretio habuerunt. Petrus Theutoburgus et vetustissimus quisque historicorum ne mentionem quidem faciunt succini.

CAPVT QVINTVM.

Itaque ergo liquido probauimus, numos Romanos neque ante Neronem fuisse illatos, neque post impressionem barbarorum. Ante illa tempora in Prussiam non est itum et postea succini commercia defiere. Equitibus Marianis nullus vsus aeris Romani fuit. Quinimo ante illorum tempora in Prussiam Romanos numos veniisse, ex eo collegi numo, quem ad me misit Ioannes Ridelius. Inuentum scribit in pastorali casa, ac a fratre suo, Camerario

* Praef. in *Bioerkoe Lagen* siue leges Birconses.

rario Senespurgensi sibi transmissum. Ex quo optimus vir merito suspicatur, a pastoribus in agro inuentum, eodem repositum fuisse. Iam cum totum illum agrum Galindae olim tenuerunt, quae gens Marianis in Prussiam venientibus, dudum exstincta fuerat, Petro Theutoburgo auctore, et a Marianis hic ager sero cultus fuit, ante illorum tempora quoque verosimile est, numum illum Romanum aliquo in tumulo fuisse reconditum. Illum autem cernitis os habitumque Iuliae Mammaeae gerere. Dignosci melius potuit, cum repertus esset, sed in ignem coniectus, vt aeruginem amitteret, confusionem lineamentorum perpessus est. Lego tamen IVLIA MAMAEA AVG. et ab postica, vt suspicor, FECVNDITAS AVGVSTAE. Numus a multis antiquariis visus.

Quibus tandem modis contingere potuerit, vt in Prussiam numi perferrentur, dictu facile est; difficilius autem, quomodo illati sint. Primum, si quaeras, an Romanis ad partem illam Germaniae commeantibus, quae huic contigua est terrae, aut in Prussiam ipsam, aliquis vsus Romani aeris inter negotiantes Aestios fuerit, Adami Bremensis et Helmoldi intercedit auctoritas negantium, aliquod auro argentoque pretium apud nostros fuisse, pelles mustellarum, quas martes vocamus, cum vili panno commutare solitos. Quod equidem testimonium parui in hac caussa facio, cum amplius octingentis annis inter illam aetatem, de qua loquimur, et Adamum Bremensem intercedat. Tam longo tempore, tum alia omnia mutari, tum vsus pecuniae Romanae desiisse potuit. Electro sane credimus pretium succino etiam in Prussia fuisse: *Diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris succinum iacebat, donec luxuria dedit nomen; ipsis in nullo vsu, rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt.* Dubitari tamen adhuc potest, pretiumne auri et argenti an aliarum mercium fuerit. Plinio teste Pitheas Massiliensis idem, quod Tacitus tradidit, Aestios

Aestios proximis Germanis succina vendere. Eo autem tempore Germani nullo adhuc signato aere vtebantur, quod a Romanis primum accepere. Enimuero per Romanos numorum vsum Germanis innotuisse, Marcomannorum exemplo constat, quos Tacitus scribit raro armis, saepius pecunia Romana adiutos. Iidem postea cum Romanis tam familiari vsi sunt societate, vt Cornelia Salonina Pipara Attali Regis Marcomannorum filia nuberet Gallieno. Quin etiam Tacitus de moribus Germanorum: *quanquam*, inquit, *proximi, ob vsum commerciorum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium vtuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis, quam aurum sequuntur, nulla adfectione animi, sed, quia numerus argenteorum facilior vsui est promiscua ac vilia mercantibus.* Inde multi serrati in Belgio reperiuntur, Chifletio auctore in Ottonibus aeneis. Quos cum bigatis, credo et quadrigatis idcirco Germani amabant, quod inter primos annos post Q. Ogulnium et C. Fabium Coss. puro argento conflati bello Punico secundo, ac deinde lege Papiria amplius imminuti, ante Liuii Drusi tribunatum tamen nihil aeris admixti habuere. Quadrigatum in agro repertum Heliungus nobiscum communicauit, eiusdem mentione iniecta in Lithographia.

Serrati dentato ferrae in modum margine, aduersus incisores erant muniti, ne quid pretio ponderiue periret, cuius in locum lex Cornelia et postea Constantina M. interdictum successit * ab Iuliano vero Zygostatae singulis ciuitatibus constituti sunt. Interiora Germaniae et vltra Albim Cherusci numis Romanis abundabant Germanico Caesare bellum in iis locis gerente. Nam eodem teste Tacito Arminius Romano militi, qui transfugisset,

* Codice Theod. IX. 22. XI. 6. 2.

Digitized by Google

pollicitus est, daturum se coniuges, agros et stipendium in dies, donec bellaretur, sestertios centenos. Maior Germanis fides, quam vt verosimile sit, Arminium fallere cupiisse; nec tantus eius stupor, vt opum profundendarum rationem non iniret, si cohortes aliquot Romanae transfugissent. Quod ille vtique sperauit fore, quicquid Gronouius pater obtendat. Quantum enim opis in singulis Romanis fuisset? Maiorem in Germania vsum numismatum pararunt monetae, Treuiris, Sisciae et in agro Norico percusae, quarum nomine adhuc metalla signata reperiuntur. Isque vsus Romanorum numorum obtinuit in Germania, vsque ad Constantinopolitanos signatos. Paullo postea Franci et Gothi vsurparunt potestatem cudendi numos, atque etiam edictis prohibuerunt, ne quod pretium numis aliis esset.

Copiam auri arguit Rhadagasti simulacrum aureum, tum idem reperta aurea instrumenta docent. Quantum numorum Ioannes Smithus inuenerit in Nouiomago suo testatur. In omnibus eius vrbis regionibus consulares, imperatoriique reperti sunt, vsque ad labentis tempora imperii. Inde iam frequentia monumenta Francica et Carolingica. Bene habet, quod multos eorum numorum Smithus in supellectilem suam congessit, sed meruerant separatim omnes reponi, nec misceri inter reliquos numos. Petrus Scriuerius in Batauicarum antiquitatum armamentario, Philippusque Clunerius de Rheni alueis numos Romanos isthic inuentos memorarunt. Inter plurima monumenta Dombergensis littoris, in quibus statuae, arae, vrnae, pocula, fibulae aliaque inuenta, numi quoque numerantur Traiani, Septimii Seueri, Caracallae et succedentium, quos Oliuarius Vredius et nuper, eruditus antiquitatum septentrionalium et Celticarum scriptor Io. Georgius Keysler percensuerunt. In monumento Childerici Regis, inuenti sunt consularis vnus argenteus, Neronis vnus, plures Traiani, Hadriani, Antonini vtriusque et Faustinarum, tum Commodi, Iuliae

liae Seueri coniugis, Caracallae, Conſtantii iunioris. Ex Conſtantinopolitanis Leonis aureos quinquaginta ſex, Zenonis quatuordecim, Marciani ſeptem, Baſilici et Marci ſingulos memorauit Chifletius. Multi perierunt inter fabrorum tumultus, ex quibus Theodoſii iunioris, Valentiniani III. Leonis et alios recuperarunt, diligenti cura enarratos a. Io. Iacobo Chifletio in Anaſtaſi Childerici. Ex Germania in Sueciam per commercia et ſacrorum communionem numi Romani venerunt. Nicolaus Keder e collegio Regio rerum Suecicarum et Gothicarum ornatiſſimus omnibus laudibus vir de iis ad me haud ita pridem in eum modum ſcripſit, vt non poſſim, quin optimi ſenis auctoritate et experientia ad hanc rem illuſtrandam vtar. „Numos, inquit, antiquos Romanos Graecosque e telluris Pruſſicae gremio nonnumquam protrahi volupe audire fuit. Atque tales ſane, praeſertim „Romani, aurei et argentei, per haſce plagas aquilonias „ſaepenumero e ſolo effodiuntur. Eorum vero Cothlandia feracior eſt. Curioſe quippe in muſeolo meo adſeruantur non pauci in dicta inſula inter arandum reperti. Antiquiſſimi haud fere aetatem Hadriani Imperatoris ſuperant; cuius etiam vnum, ibidem e terra erutum, poſſideo. *Atque ex Hadriani numiſmatis*. ait „Atlanticae auctor, *argenteum vnum vrna, in conſpectu „Sacrae Regiae Maieſtatis Procerumque de tumulis veteris Vpſaliae cIↃ Ↄ c LXXXIX. effoſſa ſeruabat.* Ex „qua commemoratione aperte colligitur, poſſe defoſſas „in terram vrnas perquam diu perdurare. Nemini enim „apud nos dubium eſt quin eiusmodi vrnae temporibus „meri multique adhuc paganiſmi, in tumulis iſtis regum „Vpſalienſibus fuerint repoſitae. Quidni igitur et Pruſſis ex Germania numi Romani innotuerint?„

Eo igitur tempore, quo maxime vſus Romanorum numorum in Germania inualuit, non dicam pretii cauſſa, quia id liquido probari nequit, ſed munerum ergo in Pruſſiam illatos pulchritudine ſua barbaros primum

mum cepisse, inque hospitii memoriam et religionem relictos fuisse numos. Nuspiam toto littore Baltico maior hospitiorum obseruatio et pietas, quam in Prussia, teste Adamo Bremensi et Helmoldo. In numis autem, quanta ingeniorum Romanorum magnificentia illuxit! Viderunt id, quo nostrorum principum haud aeque multi attendunt animum, nullis monumentis maiorem, diuturniorem, latiusque patentem magnificentiae famam parari. Luculento exemplo Cosmas Aegyptius Indicopleustes prodidit, quantae apud barbaros aestimationis numorum forma fuerit. Narrat enim in Topographia Christiana, Sopatrum quendam Romanum genere, vt tum Graeci nuncupabantur, mercaturae caussa exercendae Sieldibam, quae antiqua Taprobana, Adulitanis nauibus petiisse, ex Persida autem ibidem adfuisse legatum. Vtrumque ab optimatibus et publicanis ad regem deductum, vt recens appulsis fieri solebat, post peracta officia salutationis, iussu regis consedisse. Percontanti interim regi de Romanorum Persarumque rebus, lubido denique fuit quaerere, vter regum, Romanus an Persa maior iudicaretur? Persa occupat laudem regis sui: Sopater nihilo commotior narrantem eius vires, opulentiam, nomen etiam regis regum iactantem audit. Rege autem eum corripiente, quod taceret, nihil, inquit Sopater, isthac vanitate et fronte opus est, vtrumque regem ipse praesentem contemplere. Simul Romanum numum auro aeque ac arte (vt tunc erat) commendabilem et cuiusmodi Cosmas scribit in Indiam exportari, regi ostendit. Ille et hunc aureum et argenteum μιλιαρήσιον Persae ab vtraque parte contemplatus, ὄντως, inquit, οἱ Ρωμεῖς καὶ λαμπροὶ καὶ δυνατοὶ καὶ φρόνιμοι Sopatrumque elephanto per totam vrbem cum tympanis vehi et magno honore adfici iussit. Haec Cosmas non modo a Sopatro, sed ab Adulitanis quoque compererat. Ac iste quidem numus fortasse Flauii Anastasii Dicori aut Zenonis Isaurici fuit, cum Cosmas, qui secundum Montefalconis calculum A. Io XXXV. imperante

Digitized by Google

perante Fl. Anicio Iuſtiniano ſcripſit, eundem Sopatrum triginta et quinque annis ante id tempus obiiſſe prodidit. Numum aut Perozis aut Obalae aut Samaſpis et Cobadis imperio ſignatum Perſa habuit. Hos enim circiter illa tempora regnaſſe ex Mircondo docet Petrus Teixeira in catalogo regum Perſiae, quod alioqui ex Graecis illorum temporum ſcriptoribus abunde conſtat. In eadem Taprobana ſimile fere quidpiam accidit Claudio principe. Nam cum Annius Plocamus libertus Claudii aquilonibus ab Arabico littore, in quo vectigalia a fiſco redemerat, in portum Taprobanae delatus, apud regem aliquamdiu moraretur, is nihil magis quam Romanam pecuniam miratus, ob eam cauſſam legatos quatuor cum Plocamo Romam miſit. Germani denique, Tacito auctore, donis magnopere gaudebant. *Quae non modo*, inquit, *a ſingulis, ſed publice etiam mittuntur, electi equi, magna arma, phalerae torquesque iam et pecuniam acciperé docuimus.* Illa dona hoſpitalia plerumque fuiſſe, ex Cornelio intelligo, qui de Germanorum hoſpitiis ita ſcribit, vt Pruſſorum conſuetudinem ex veteri memoria notam et ab Adamo, Helmoldo, Petro Theutoburgenſi aliisque celebratam veluti depingat. *Abeunti*, inquit, *ſi quid popoſceris, concedere moris: et poſcendi inuicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur.*

CAPVT SEXTVM.

Nondum tamen adparet, cur M. Aurelii Antonini moneta frequentius, quam aliorum inueniatur. Ariſtides quidem oratione in Romam edixit, hoc maxime tempore Romam κοινὸν ἀνθρώπων ἐμπόριον καὶ κοινὴν τῶν ἐν γῇ φυομένων διοίκησιν fuiſſe, tum nihil adeo in India aut Arabia exſtitiſſe, quin Romam transferretur in forum ὥςε εἰκάζειν γυμνὰ τὸ λοιπὸν τοῖς ἐκεῖ λελεῖφθαι τὰ δένδρα, καὶ δεῦρο δεῖν ἐκείνας ἐλθεῖν, ἐάν τε δέωνται τῶν ἑφετέρων μεταιτήσοντας. Attamen non abhorreo, ſi

quis in ea est sententia, vt existimet, expeditioni alicui id deberi. Vt ex Herodiano didici, Antonino animus fuit, non tantum τὴν ὑπὸ τῇ ἄρκτῳ ἀρχὴν ὠκεανῷ ὁρίζειν, sed et in quo reliqui scriptores assentiuntur, redacta sub potestatem Sarmatia, nouam prouinciam condere. Et quamquam vltra Istrum non multum in Pannoniam proiectus Romanus est, refugium nuspiam nisi intra Istrum habens, attamen in exercitu barbarorum variae gentes erant, teste Iulio Capitolino, non Germani solum, ipsique Hermunduri, fidissima quondam Romanis gens, sed et Vidouali, Sarmatae, Roxolani, Bastarnae, Alani, Peucini, Castobocae. Peucini ab aliquibus nostrum non intelligentibus Cornelium Tacitum in Prussia perperam ponuntur. At ipsi siue e Bastarnarum gente sint, siue eorum vicini tantum fuerint, Peucen incolebant insulam a Cl. Ptolemaeo, Strabone, Stephano Byzantio, Eustathio ad Dionysium, memoratam, Rhodo insula, vt testatur incertus peripli Ponti Euxini auctor, haud minorem. Ioannes Hudson monet, non esse confundendos cum Peucinis Sarmaticis ad montem eodem cognomine. Ego vero nuspiam inuenio, quod diuersos Peucinos mihi probet. Tacitus loco eodem, vbi adhuc sunt, Fennos ponit, in ostiis autem Istri Peucinos, Venedos denique medios inter vtrosque. *Venedi quicquid inter Peucinos Fennosque siluarum ac montium erigitur, latrociniis.* Tametsi autem Peucini Prussiae accolae non fuerunt, attamen ceterae gentes satis nobis vicinae erant. Hae numos Antonini secum perferre in has terras potuerunt. Inde et in Polonia et Curonia multi Antoniniani ex agro eruuntur. Samuel Rhanaeus patriarum rerum industrius explorator duos numos in Scrimtico agro repertos mihi scripsit, vnum in quo Antonini facies optime conseruata exstet, congruentem penitus cum eo, quem L. Begerus in thesauro f. 674. num. 3. exhibet Germanica victoria signatum: (tantum, quod AVG. TR. P. XXV. non XXVI. in Rhanaei numo legitur) alterum, quem ab aeru-

aeruginoe exesum non cognoscit Rhanaeus cuius Imperatoris sit, Victoriam alatam tantum accuratius in eo obseruans.

Sed Crispinae quoque numum inuentum esse aliquis obiiciet nobis, illa autem ducta in matrimonium est a Commodo, paullo ante expeditionem postremam, in cuius medio apparatu Antoninus Vendobonae diem supremum obiit. At enim, satis temporis fuit, vt et percuti numus et vulgari posset. Deinde res quoque a Commodi ducibus aduersus Sarmatas sunt gestae, testimonio Lampridii et Herodiani. Ponam Herodiani verba, vt constet, pecunia quoque Romana Sarmatas corruptos fuisse. *Οι καὶ ἐ πολλῷ χρόνῳ πλείσας τῶν βαρβάρων ὅπλοις ἐχειρώσαντο, τὰς δὲ ἐπὶ μεγάλαις συντάξεσιν ἐς Φιλίαν ἐπηγάγοντο, ἐᾶσα πείσαντες. Φύσει γὰρ τὸ βάρβαρον φιλοχρήματον. Απερ ὁ Κόμμοδος εἰδὼς καὶ τὸ ἀμέριμνον ὠνάμενος ἀφειδῶς τε ἔχων χρημάτων, πάντα ἐδίδε τὰ αἰτόμενα.*

Simili fortuna bellorum, quae cum Alanis fuere gesta, Constantinopolitani numi ad nostros maiores peruenerunt. Nam non ita Graeci posteriorum temporum vt Romani mercaturas succinorum exercuerunt, per quas numi eorum ad nos perferrentur. Non ignorauit Prussos Laonicus Chalcocondylas: Sed nihil ibi de mercatura, nihil de succino: *καὶ ἡ μέν τοι πρὸς Ὠκεανὸν διήκουσα Σαρματία ἐπὶ Πρυσίαν καλουμένην χώραν διήκει καὶ ἐπὶ τὰς ταύτην (κατεσχηκότας) Λευκοφόρους Ναζηραίους καὶ ἱερὸν τὸ ἐν τῇδε τῇ χώρᾳ. Δοκῶσι δὲ γένος τοῦτο εἶναι Γερμανοὶ καὶ φωνῇ τῇ αὐτῶν ἐκείνων προσχρώμενοι καὶ διαίτῃ. Οικοῦσι δὲ πόλεις περικαλλεῖς καὶ συνομουμένας ἐς τὸ κράτιστον. Εἰσὶ δὲ τούτοις ἱερὸν ἥδε καὶ τὸν Ιβηρίᾳ ἱερὸν νομίζεται καὶ ἐν Ρόδῳ ἐνοικῶν Ναζηραίων γένος. Ταῦτα γὰρ δὴ τὰ τρία ἱερὰ ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ἐς τὴν τοῦ Ιησοῦ θρησκείαν, ἐπὶ τοὺς βαρβάρους ὠκημένα δὴ καταφανῆ ἐστι. Τό τε ἐν Ιβηρίᾳ πρὸς τοὺς ταύτῃ τῶν Λιβύων διαβάντας καὶ Πρυσίων πρός τε τοὺς Ζαμώτας καὶ Σκυθῶν τοὺς Νομάδας αὐτῷ ταύτῃ*

ἀγχοῦ τὸ παλαιὸν ᾠκημένας καὶ Ροδίας δὲ πρὸς τοῖς ἐν τῇ Αιγύπτῳ τε καὶ Παλαιστίνῃ διὰ τὸν τοῦ Ιησοῦ τάφον καὶ πρὸς τοῖς ἐν Ασίᾳ βαρβάροις. Περσίων δὲ ἔχονται Σαμῶται. Clauſeri verſio ita aliena eſt etiam hoc loco a vero ſenſu, vt mirer Fabrotum in tam magnifico opere eam retinuiſſe. Ita igitur verto, quibusdam in Laonico emendatis, vnaque voce ex coniectura reſtituta, quam oportet ibi excidiſſe, aut ſimilem aliam: *Sarmatia, qua ad Oceanum vergit, regione, cui nomen eſt Pruſſiae, quamquè monachi albo amictu veſtiti ſub imperio tenent, et monaſterio eius regionis terminatur. Videntur autem illi genere eſſe Germani, lingua videlicet vna vtentes et eisdem moribus. Incolunt vrbes perpulchras et quam optime legibus adminiſtratas. Eſt igitur illis domus religioſa in ea regione, ſicuti in Hiſpania et Rhodo genus quoddam monachorum tales domos tenet. Nam has tres domos in toto terrarum orbe ad firmandam religionem Chriſtianam aduerſus barbaros aedificatas eſſe conſtat: in Hiſpania aduerſus Afros, qui eo traiiciunt, in Pruſſia aduerſus Samogetas et Scythas Nomadas, qui inde ab vltima memoria proxime haec loca colunt et in Rhodo denique aduerſus barbaros in Aegypto, Palaeſtina et Aſia ob ſepulcrum Chriſti. Pruſſis contigui ſunt Samogetae.* Conſtantinus Porphyrogenneta in thematibus ab Banduriо editis, ſimiliter Marianorum equitum ordinem nouit. Sed de mercatura ſuccini qui aliquid proderet, inueni neminem. Ex Perſis Choaia Naſſir Eddinus et Vlugbegus Tamerlanis nepos, is ante annos quadringentos et quinquaginta admodum nobiliſſimus Perſarum aſtronomus, hic autem centum et ſeptuaginta annis poſt, Transoxianorum Indorumque princeps in tabulis longitudinis et latitudinis vrbium قـــويا بـــة *Kuiabah* ponunt, veluti a Graecis cognitam. Enimuero ſiue ſcriba, ſiue Io. Cranii errore acciderit, *Kouiam* in animo habuere, mercatura et Graeca religione celebrem vrbem. Id non tam eo probo, quod in Ruſſia eam orbem poſuere, (nam et

Digitized by Google

et سمسن hoc est, Saxonia in eadem regione ab iisdem collocata est) quam quod diserte addunt مدينة روس vrbem ac metropolin Russiae esse. Conuenit quoque dimensio Kiouiae magis, quam Cuiauiae. Non igitur constat Persis Tartarisque cognitam fuisse Prussiam, aut succinum nostrum inter Graecos Asiaticosque populos fuisse vulgatum. Incertus auctor ἐξηγήσεως ὅλης κόσμου, qui Constantio et Constante imperatoribus scripsit, nihil de Germanis, aut, vt tunc dicebant, Alemannis et Francis prodidit, alioqui curiosus rerum, quae ex quouis loco a mercatoribus adferrentur. Si verum est, quod Iac. Godofredus sensit, Syrum fuisse, ex eo silentio colligas nullam consuetudinem magnopere Syros cum Germanis maioribusque nostris habuisse. Habent sua succina Indi et Arabes his nostris meliora ad eum vsum, quo maxime capiuntur, suffitum. *Ambram* vocant, nec Plinio ignoratam in historia succinorum: *gratius* inquit, *est Indis thure.* Symeon Sethus περὶ δυνάμεως τροφῶν ad Michaelem Ducam, ἄμπαρ vocat, dicitque quibusdam fontibus ebullire, optimumque in Indica vrbe Silache venundari, diuersum ab eo καὶ ὑπόλευκον in littore Arabiae felicis, nigrum autem et pessimum in piscibus reperiri. Postremum etiam M. Paulo Veneto memoratur. Vt Thomae Hydes coniectura nobis persuasit, *ambra pulchrum et coeruleum colorem* significat. Magis enim probo Persicum quam Germanicum esse, vt Io. Georgius Eccardus septentrionalium rerum ingeniosissimus et doctissimus interpres praefatus ad Collectanea etymologica existimauit. *Succinum*, inquit, *certe a Germanis ad Arabes delatum, vnde et nomen ab iis venisse verosimile est.* Immo si non constaret et diuersam ambram a succino esse et in Indiam ex Germania succinum perlatum nullo in pretio semper fuisse. Et si ambram ab *amberan, ambernen* hoc est vrendo necesse est deriuare, vnde nomen fluuii, cuius Saxo poeta in Annalibus Caroli M. meminit, ductum putabimus. *

* Script. Brunsuicens. t. 1. f. 133.

Qui

Qui valida comitante manu Saxonica ſtatim
Arua petens, iuxta fluuium conſederat Ambram,
Eſt vbi caſtellum, quod Skinderonburg vocitatur.

Saidi Gorganenſis teſtimonio etiam in littore maris Indici, Perſici et Arabici, quo loco Omman emporium ſitum eſt, inuenitur. Poſtremum confirmat Eledriſus (quem Nubienſem geographum vulgo vocant) cuius quoque opinio aliquando propius accedit ad originem noſtri ſuccini cum Auicennae, Ibnolcutbii, Dauidis Antiocheni, Mahometis ibn Achmet, Altemimi et paucorum aliorum opinione conueniens. Exiſtimat autem e profundo maris gurgite eiici, cum econtrario Iacobus de Vitriaco, Nicomedes Iatroſophiſta multique Arabes et Perſae purgamentum piſcis eſſe opinati ſunt. Eledriſus quoque tradidit, ſuccinum in Romano, id eſt, Adriatico mari et prope Andaluſiam egeri, vt fere videatur noſtrum ſuccinum ibi inueniri credidiſſe, vnde in Arabiam aduheretur. Calcoſchendius Aegyptius hanc ambram occidentalem vocat, quod ex Andaluſia mercatores aduehant. Enimuero quicquid ſit, peſſimum omnium ab eodem Calcoſchendio iudicatur, praeterquam quod colore ſuccinum optimum omnium referat, Schirenſe. Huius pretium ob odoris gratiam longe maius eſt. Qui cupiat conferre ambram cum ſuccino, is adeat Salmaſium in homonymis hyles iatricae Gentium in notis ad Muſladinum et Th. Hydum in itineribus mundi. Sinenſes quoque ſuccinis vtuntur, de quibus Andreas Mullerus ſe aliquid legere meminerat in libro quodam Sinico bibliothecae ſuae, complexo ὕλην in medicina vſurpari ſolitam: *vbi*, inquit, *et ſuccini Boruſſici fit mentio.* Eſt hic liber in bibliotheca Sedinenſi a me viſus. Quantum ad veritatem Muller iſthaec prodiderit, nullum fuit tempus exploraturo mihi. Alii viderint.

Quae cum ita ſint, inferri Graeca pecunia non potuit per mercaturam. At ſcutellatum numum aeneum Reinaldus Perbantus mihi dedit, A. CIↃ IↃC XCVI. fratre ſuo

Digitized by Google

ſuo Stobriecae in agro inuentum, quem hic exhibeo Videbar mihi in huius numi poſtica, qua elatior eſt, ſpicam cernere, ob quam cauſſam ad ſyphatos Siculos referebam, quales conſtat ex Chronico Caſinenſi, ſignatos a Siculis ex gente Normannica principibus. Plerique autem barbari imitabantur earum numos gentium, quas ſubegerant. Siculi vtique priſco tempore ſpicas, ad ſignificandum agri vbertatem, in numis exhibebant. Sed inclinat animus, vt potius vnam interpreter, Byzantii ſignum, ſicuti in quibusdam Iuliae Domnae, Septimii Getae et vrbis adhuc liberae, cum nomine BTZANTIΩN viſitur. Caucios vocabant iſtius modi numos Conſtantinopolitani, quod calicis in modum curuarentur. Fateor tamen ſpicae multo ſimiliorem eſſe, quam vuae. Fuit quoque Byzantii agri magna fertilitas. Allatum numum credo a Ruſſis, qui in has terras commerciorum cauſſa migrare ſoliti Conſtantinopolitanis numis diu ſunt vſi. Laonicum Chalcocondylam quoque arbitror, ſua de rebus Pruſſicis ſumpſiſſe ab Ruſſis negotiatoribus. Scio ſuppetere numos Conſtantinianae familiae in Pruſſia inuentos, ſed vniuerſi ſunt primorum eius nominis imperatorum, allati ab Italis mercatoribus in Germaniam, inde a Theutonis ad nos. Hunc vnum caucium, cuiuscumque ſit imperatoris, a Graecis fuiſſe allatum, non eſt credibile. Citius credam a Mariauis equitibus ad nos peruectum fuiſſe: ſed maxime placet a negotiatoribus Ruſſicis, vt antea dixi. Ceterum in illo caucio imperator dextera crucem, ſiniſtra orbem fert, prope quem nubium quoddam, vt mihi videtur, veſtigium eſt. Quis autem imperatorum ſit, nec facile ſuſpicer, nec, ſi ſuſpicer, aliis perſuadeam. Byzantius autem ille non eſt, quo nomine vtrum numus aliquis in Pruſſiam fuerit auectus controuerſia manet. Dictos eo nomine aereos, nusquam legi. Aureos autem argenteosque byzantios M. Paulus Venetus memorauit, ac ſecundum eos reliquam pecuniam Aſiaticam cenſuit: *vt*, inquit, *quandoque vix*

vix pro duobus millibus byſantiorum aureorum pellis pro vnica tunica ſufficiant. MS. Berolinenſi addit, *ſi de pelle perfecta eſt: ſi autem de communi, adſcendit ad valorem mille byſantium argenti.* Vetus Gallica verſio primum illud, *bis mille florenos* interpretatur. Robertus Cenalis diligentiſſimus ponderum explorator, quamquam M. Paulum legerat, byzantios neſcio quam ob cauſſam omiſit. Marquardus Freherus in re monetaria Germanici imperii, accuratius eos percenſuit, omnium accuratiſſime Eduardus Bernardus.* Zonaram, Balſamonem et Gloſſas Baſilicas ſecutus expendit. Nobis Guibertus Abbas ** ad pretium byzantiorum prodendum, facem omnium luculentiſſimam praefert. *Aſini*, inquit, *unius ex frumento ſarcina octo byzanteorum pretio diſtrahebatur, quos ibidem purpuratos vocitant; centum viginti numorum ſolidis aeſtimabantur.* Itaque byzantius efficiebat quindecim ſolidos illo tempore, cum, vt ex Gloſſis oſtendere poſſum, a Valentiniano Seniore effecerint duodecim ſolidos ſeu miliarenſes. Incertus, at Italus a nobis vocandus auctor geſtorum Hieroſolymitanorum, vnum panem byzantio veniſſe ſcribit, Albertus Aquenſis autem eodem tempore, duobus ſolidis, cum ſine omni controuerſia corruptus ſit locus et duodecim ſcribi oporteat. Ex quo fere coniicias, Alberti ſolidos ab illis Guiberti, pretio aliquanto fuiſſe diuerſos. Minime autem exiſtimandum, byzantios adeo raros eſſe, vt praeter illum Freheri vix alibi inueniatur alius, ſicuti, niſi me omnia perperam fallunt, Prufficorum numorum explanator nuperus cenſuit. Byzantii ſunt, quotquot Conſtantinopoli percuſſi fuerunt, quorum ſane ingens numerus eſt. Notum et celebre nomen Byzantium, etiam poſtquam Conſtantinopolis cognominata vrbs eſt. Mamertinus Maurus in oratione ad Iulianum: *haec nominis noui, ſed antiquiſſimae nobilitatis ciuitas.* Rediit vrbi vetus nomen cum litterarum ſtudiis prolapſis, in grammatica ſola et rerum nominum-

* p. 108. 169. 170. ** Geſta Dei per Francos f. 501.

Digitized by Google

minumque veterum cognitione omnem eruditionem reponerent Graeci. Nam cum elegantia nitorque priſci ſermonis occidiſſet, in minutis quibusdam (quod etiam apud Latinos illarum aetatum ſcriptores accidit) ac praeſertim vrbium veteribus nominibus quae exoleuiſſent, vſurpandis ſitam eſſe vniuerſam venuſtatem rebantur. Vnde apud ſcriptores Byzantiae hiſtoriae ad vnum omnes multo frequentius vetus nomen, quam Conſtantinopolin legas. Inde adeo numi Byzantii, non Byzantini: nam in illum modum Stephano et Hermolao Conſtantinopolitanis teſtibus τὸ ἐθνικὸν eius vocabuli deſiit. Sic apud Herodotum, Thucidydem, Polybium, Appianum, tum ex Latinis M. Tullium, Liuium, Cornelium vtrumque ysque ad Trebellium Pollionem. Serius Byzantini dici coeperunt. Sic numi liberae ciuitatis BYZANTIΩN inſcribuntur apud Io. Harduinum in numis vrbium et Carolum Cangium in Conſtantinopoli Chriſtiana, noſtra quoque manu noſtrisque vſurpati oculis. Numum autem iſtiusmodi, qualem Freherus habet, Michaelitam vocabant, vt apud Vilelmum Tyrium: * *Triginta millia Michaelitarum, quod genus aureorum tunc in publicis commerciis erat celebre, a quodam imperatore Conſtantinopolitano, qui eam monetam ſua fecerat inſignem imagine, Michaelem nomine.* Is eſt Michael Ducas auctore Anna Comnena. Eandem monetam inter Armenios valuiſſe Vilelmus Tyrius refert.

In Pruſſia vero Bizantios aliquando vulgatos, imo ab Ordine Teutonico percuſos fuiſſe, neutiquam credo. Itali eo tempore, cum Exarchae Rauennates numos ferirent, Byzantios in Francis et Germanis vulgarunt: ſed quam primum Francis ius cudendi numos fuit, etiam Byzantii prohibiti fuiſſe videntur regno inferri. Anſegiſus ** ex capitularibus Caroli Calui profert edictum: *quicumque alium denarium negotiandi cauſſa protulerit, auferatur ab eo.* In Germania tamen haud ſcio, an diu nomen Byzantiorum vſurpatum vulgo fuerit. Eſt mihi-

venus

* f. 802. ** t. 1. f. 740.

Digitized by Google

vetus Roberti monachi interpres homo ſimplex adeo, vt in ipſo principio iocularem errorem committeret, cum non intelligens haec verba: *magnum inter fines Galliae concilium celebratum eſt in Aluernia, in ciuitate qui Clarus Mons appellatur*, ita explicaret: *da ward gehalten zu lebrattum* (celebratum) *in Welſchenlanden Gallicii in dem Land Aluernicii in der ſtat Clarmon ain gros conſilium.* Is quidem byzantios vertit alicubi, tamquam noſſet: *Enſem alter emit ſexaginta byzanceis, das Schwert kauft ain ander umb ſechtzig byſantzen.* Sed quid eſſent, reuera ignorauit. Id adparet ex hoc exemplo: *Subtumulauerunt quippe et plurima palmis* (*l. pannis*) *inuoluerant et byzanteos aureos, arcus repoſuerant.* Quae is ita vertit: *Wann ſy hetten ſy begraben, und hetten ſy wol beclaidet etlich in gulden claider, und legten zu in ire wauffen.* Codice alicubi vſus meliori eſt editis. Scriptus eſt meus A. CIↃ CCCCLXXI. Sed antiquior multo verſio eſt, quam vt tum ſit facta. Conſtat ex Trithemio in Annalibus Hirſaugenſibus ad annum CIↃ CCXL. inde ab vltimo tempore vsque ad Trithemii aetatem aureos fuiſſe Auguſtanos dictos ab Germanis, et ducati nomen tum primum in Italia fuiſſe natum.

Cum autem obiicitur mihi in Conſuetudinibus Ordinis legi: *licere magiſtro Ordinis centum byzantios mutuos dare*, id ego minime inficias eo. Sic autem in Conſuetudinibus maioribus ex duobus membranaceis codicibus lego, conſtitutione XIII. *Der meiſter mac vrlicke geben oder liben etewem des buſes vrunde hundert biſande, oder andere dinc, die alſo tawer ſint.* (alio codice: *die alſe tyre ſint*) *Wil er aber vunfhundert hine geben, daz ſal er tun mit zehn beſcheidener brudere rate. Vber vunfhundert ſal er nicht hine geben ane des capitteles willen.* Enim vero haec tantum verſio eſt earum conſtitutionum, quae in oriente ab ordine ſunt factae. In iis capite XCIIII. ſic legas. *Magiſter libere dare vel mutuare poteſt alicui amico domus centum biſancios vel*

Digitized by Google

aliar res aestimationis similis et valoris. Si quingentos alicui dare decreuit, consilium decem fratrum discretorum adhibebit. Si vltra, consensus erit totius capituli requirendus. Falsum quoque est, Gallicum interpretem libras vertisse. *Li maistres peut doner franchement ou prester C. bz. a aucun ami de lordre ou prester autre choses de ceste meismes valor.* Itaque haec in Prussia non scripserunt, vtpote cum etiam Magistro *scriptorem Sarracenicum* (*einen heidenischen schreibere, Escriuani Saracinois*) et *Turcopulum pro scuto et lancea deducendis*, (*einen Turcopel der sinen schilt vnd sin sper vure*) concedunt alibi, pro consuetudine orientalium. Quid enim Saracenico seu Arabico scriba opus inter Germanos haberent? Ita consuetudo est sacri belli scriptoribus aureos, byzantios appellare, cum de rebus Asiaticis agunt; vt ex Anonymo Francicarum rerum scriptore, Baldrico Dolensi, Roberto Monacho, Guiberto Abbate, Alberto Aquensi, Gautherio, Fulcherio Carnotensi, Raymundo de Agiles, Iacobo de Vitriaco et innumeris aliis ostendere possum.* Sed per ignorantiam iidem scriptores, etiam دينار denarios Turcicos eo cognomine vocant, excepto vno Villermo Tyrio, homine videlicet Syro et Arabicae linguae consuetudinisque gnarissimo, tum accurato in primis scriptore. Apud eum videlicet nusquam id nominis occurrit, cum aureos locis admodum decem dicat. Duo tamen loca in eodem sunt, primum in conuentione inter Venetos et Hierosolymitanos, tum in edicto Balduini IV. quae Villermus commentario inseruit, vbi byzantii sarracenati, vt et apud Gauterium, nominantur. Anonymus Italus ** *quindecim millia bisanteos* dixerat, vt supra posui, at Villermus totidem aureos habet. Villermus et Iacobus de Vitriaco aureum vnum ab ingredientibus Hierosolymam Christianis dari fuisse solitum prodiderunt.

* Gesta dei per Francos f. 24. 29. 138. 117. 463. 1063. 1181. &c.
** f. 463.

Digitized by Google

derunt: at alii byzantio vno intromissos scribunt. Non est verosimile, Turcas CPlitanos numos contrectasse, in quibus Christianae pietatis signa impressa erant, vtpote cum ne humanas quidem facies ferant in pecunia, nedum coelestes. Erant autem earum aetatum numi omnes σωτηρίκιοι, quotquot CPli feriebantur. Sed et in Germania Galliaque byzantios vocatos quosuis numos aureos, alia πρότομή, alio loco, alius imperio, quam CPlitanorum Caesarum, signatos, vno pretio conuenientes, Carolus Cangius suspicatur in inferioris aeui numismatibus. Ita et Marianos equites in versione suarum Constitutionum quamcumque monetam auream byzantios appellasse reor, vt hodie nos ducatos a ducibus Italis, tametsi regum faciebus signatos. Byzantios autem in vsu apud nos, aut a Marianis signatos fuisse, ex illa constitutione nequicquam nostri probare nituntur.

CAPVT SEPTIMVM.

Postremum iam quaero, quis vsus numorum talium apud nos fuerit? Nempe qui numorum hospitalium esse poterat. Memoriae caussa asseruabantur et denique inter pretiosas res in tumulos inferebantur. Inde ad nostram aetatem seruati sunt. Romani moris fuisse, pecuniam condere cum mortuis, satis constat. In duodecim tabulis, quoniam ante Punicum bellum et M. Liuium, C. Claudium Neronem Coss. aurum signatum nullum erat, prohibitum est, ne rude aurum cum mortuis defoderetur. Et Vlpianus in Pandectis censet, nec ornamenta cum corporibus condi oportere, nec quid aliud eiusmodi; sicuti simpliciores homines facerent. Quo etiam vestimenta vltima eius tituli lege prohibita in funus erogari, pertinent. Illa autem in testamento saepe definiebantur, vt in hoc apud Sceuolam, cum mulier inferri vellet in monumentum, quaecumque sepulturae caussa gereret ex ornamentis, lineas duas ex margaritis et vitriolas ex smaragdis. Interdictum quoque principalibus manda-

Digitized by Google

mandatis, μὴ συντάπτειν τοῖς τεθνεῶσι χρήματα vt Basilica habent. Ex Longi Sophistae ποιμενικοῖς intelligo, qui infantes exponerent, παίγνια quaedam appositisse, non tantum vt γνωρίσματα, sicuti saepe, vt essent, accidit, sed etiam vti ἐνταφια. Inde sine controuersia fabula est nata, quae apud Eutychium Alexandrinum exstat, cum Adamo quoque aurum, thus et myrrham in sepulcro fuisse condita. Qui de Romanis numis in sepulchris repertis plura cognoscere cupit, is Tenzelium legat eo loco, quo Eggelingii epistolam de orbe stanneo Antinoi erudite, pro more suo, recenset; [1] non enim soleo retractare, quae alios plene cumulateque tradere memini. Omnium fere septentrionalium populorum, Scytharum etiam eadem consuetudo, ducta ab antiquissimis communis religionis temporibus fuit. Anonymus Italus, [2] de gestis Francorum et Hierosolymitanorum tradit: Turcas Antiochenos sepeliuisse cadauera suorum vna cum palliis, byzanteis aureis, arcubus, sagittis et aliis sine nomine instrumentis. Baldricus Dolensis: [3] *Quae subtumulauerunt, palliorum et pretiosarum exuuiarum gazis prosecuti sunt et arcus et pharetras et plurimos byzanteos mortuorum procurationi adiecerunt.* Robertus Abbas S. Remigii. * *Subterrauerunt quippe et plurima palliis inuoluerant et byzantios aureos, arcus, sagittas et alia multa cum illis reposuerant. Sic enim eorum consuetudo sepelire: nostrorum vero est, libentissime ea tollere.* Idem confirmant Guibertus Abbas, Villermus Tyrius, Raymundus de Agiles [4] (sed loco admodum corrupto) et ex recentibus Franciscus Sansouinus. * Iornandes in funere Alarici Regis Gothorum et Attilae testis accedit. De Gothis antiquis idem colligas ex Haconis historia, [5] in qua narratur Haco more pro-

1 Colloq. 1691. p. 885. seq. 2 f. 13. 3. f. 107. * f. 51. 4 f. 506. 701. 147. * nell' historia dell' origine e imperio de Turchi p. 37. 5 Konung Hacon Adalsteens fostres saga et Gulapings lagen Kristendoms balk ex fide Keysleri.

fano sepultus cum armis et supellectili omni exceptis diuitiis. Inde et creditum est in monumentis reconditos thesauros esse, vt in libro veteri Gothico inter prohibitas caeremonias referatur: *abiuratio dei et sanctae ecclesiae, vt in tumulis opes inueniant.* Videlicet idcirco in edicto Theodorici, in Salica et Longobardicis legibus grauissima multantur poena, qui sepulcra turbassint hominum. Fere sic Comicus in Pseudolo:

Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quos dem herili filio.

Ex Francicis omnium consummatissimum est Tornaci inuentum Childerici regis monumentum. De quo dixi supra. Non autem tantum in vestitu tumulando magna Francorum prodigalitas fuit, sed in ceteris quoque rebus vna sepeliendis. Inter decreta ad leges Alamannorum a Baluzio edita: *Si quis superius mortuum suum de alienas res, quae valuerit solidum* (sic legi debet) *in terra miserit, soluat solidos quadraginta, et, si tremissis aut duos valuerit, soluat solidos duodecim.* Ingens pecunia, si ad reliquas mulctas compares in legibus Alamannorum, Ripuariorum et Baiuuariorum. Ex quo colligo frequens peccatum graui poena coercendum fuisse. Haec in Gallia etiam sub Dagoberto A. Io xxx. restaurata per omne imperium valuerunt.

Detleuus Rhodius insignem veteri monumento collem ante hos septem et viginti annos aperiens varia instrumenta quoque retexit. Numos autem in Frisicis, Trenthensibus, Vestualicis, Luneburgicis agris inueniri Io. Georgius Keysler annotauit. Eundem modum maiores nostri in sepeliendo tenuerunt. Petrus Theutoburgensis: *cum nobilibus mortuis arma, equos, seruos, ancillas, vestes, canes venaticos, aues rapaces et alia militiae instrumenta exurebant: cum ignobilibus autem id, quod ad officium suum pertineret.* Quae etiam Chronicon Ordinis ineditum et ex eo Paulus Polonus in Chronico MS. confirmant. Id multo magis confirmatur iis instru-

Digitized by Google

instrumentis, quae in agro inueniuntur, quorum quaedam Heluingus publicauit, plura apud Gabrielem Fischerum, Ioannem Ridelium, Samuelem Rhanaeum aliosque reperiuntur. Vilelmus Rupson Presbyter Elbingensis ad D. Corporis in Annalibus Elbingensibus ineditis prolixe commentatus de reticulo quodam capitis, quod Pogiae fuisse memorent, non sine honore nominandus est mihi. Habet enim hanc Elbinga laudem, vt in eruendis patriae vetustatibus, nulla nostrarum vrbium plus solertiae, ingenii, laborisque attulerit: is autem Rupson inter diligentissimos eius vrbis est commemorandus. Poggiam filiam Hoggonis Vaideuuti neptem, puellam pulchram, moratam, deabus familiariter vsam, in Quercero non procul Elbinga claustrum incoluisse maiores prodiderunt. Eius virginis ornatum, quo crines implicare fuerat solita, A. cIↃ cccc xcix. in monasterio S. Brigittae fuisse repositum constat. Quo deinde peruenerit, Rupson ignorat, praeterea suspicatus furto ablatum, Gedani certe A. cIↃ IↃc LV. ab aliquo visum prodit. Longum erat id reticulum dimidio cubito, contextum *ex neruis bubulinis*, vt ipse ait, *arcte compressis*, durum atque ad frontem habens lapillum laminamque cum effigie. Fridericus Zamelius in monumento familiae:

Vidimus illius nuper frontalia diuae.
Cornea, deformem medio claudentia gemmam.

Suspicatur Rupson ab Marianis equitibus fuisse inuentum id reticulum, cum Quercetum in theriotrophium commutarent. Quae tamen omnia mihi abhorrentia a vero videntur, quoniam nullius satis firma fide sunt prodita. Alterius potius credam mulieris ornamentum ac simul cum ea conditum humo fuisse. Imo ne quidem paganae sed Christianae mulieris fuisse contenderim. In vrna Elbingensi elegantissima omnium, quas meminimus exstare, quam A. cIↃ IↃc LXXXVII. in agro Meuiano inuentam Martinus Villenius patre Presbytero apud Meuenses, notarius primum Elbingensis, postea Gedani

Digitized by Google

Actuarius Praeconsularis lue epidemica extinctus, in curiam Elbingensem tradidit, vnde in bibliothecam est reposita, maiores natu tradidere instrumenta aurea a Rupsone fuisse inuenta. Certius mihi constat, quod Andreas Lilienthalius Regi a consiliis rationum domesticarum, praeter ceteram supellectilem, vrnam habet A. cIↃ IↃ ccv. detectam, in qua vnio succineus paullulum ab igne exesus iacuit. Perquam antiquam vrnam esse, ipse locus docet, in quo composita fuit. Haud procul veteri castello Balga (Prussi Honedam vocarunt) in colle quodam, qui a testudinibus nomen habet, procella nudauerat cacumen harenaque amota vrnam aperuerat; itaque sine labore eruebatur. Sed operculum aberat, sine dubio a procella ablatum interque harenarum molem tumulatum. Lacertae quoque ossa intus erant, qualia in bustis vrnisque etiam aliis animaduersa sunt. Ansae quatuor deciderant, cum vrna incautius extraheretur. Nullus autem cinis, sola hominis ossa supererant. Vnio vestigium habet vstionis, vt in incendio cadaueris quoque iacuerit. Quod autem vnus est, eo factum, quia ceteros incendium aboleuit. Dixi iam supra de cadauere in Anconitano agro detecto, cuius ornamenta ex succino fuerunt. In alio quoque monumento Coloniae in pago, sito a Barmstede vnum lapidem, A. cIↃ IↃ ccI. inuento, similiter aureus vnio vnicus a Detleuo Rhodio detectus est. Itaque in aliam sententiam inclinat animus, sed nihil inuenio, in quo acquiescam. Aurium fuerit hic apparatus? cur autem duo non sunt? Ex succineo tamen vnione coniicio veterem admodum tumulum esse, cum aliquis honor adhuc succino haberetur apud nos, qui prorsus desierat Marianis impressionem in has terras facientibus. Eodem tempore, quamuis rudi arte, laboratum tamen est etiam hic regionum succinum. Locus vetustatem, vt dixi, aperit. Castellum enim illud ex primis fuit, quae Mariani tenuerunt, numquam postea a barbaris expugnatum. Occupatum est a Marianis quindecim

decim annis ante conditum Regium montem et eodem, qui haec prodidit, teſte Petro Theutoburgico, breui poſtea caſtellum, a quo mons Teſtudineus nomen ſeruat, ad muniendum aditum fuit locatum. Ergo longe antea inferiae profanae in eo monte fuerant factae.

Sed aliud monumentum ab Lilienthalio nobis oſtenſum eſt, quod et noſtram opinionem de pecunia contumulata firmat et cetera dignum eſt, vt accuratius conſideremus. Cum A. cIↃ IↃ CCIII. Idibus Octobribus Chriſtianus Reimer agrimenſor regius in Eilana regione * Stablacanum agrum iuſſus eſſet metiri, in denſo fruticeto meridiem verſus collem offendit inuſitatae formae, tamquam furnus eſſet, arboribus virguloque multo obſeptum et lapidibus quoque muſco vetuſtatem prodentibus aggeſtum ſuperius. Id cum veteris termini veſtigium putaret agrimenſor, perfodere inſtituit collem, carbones aut vitra perquiſiturus, ſi qua eſſent, certo termini indicio. Incipientibus moliri lapides ab eo loco, qui A. ſignatur a nobis, ſonus aliquis auditus eſt, qui rem maioris momenti, quam terminum proderet. Primum fodientibus obuenit lapis ab eodem loco, paene quadratus, ſectus et ad ſpecum oris aequalis poſitus. Specus autem erat altitudine admodum quatuor pedum, latitudine duorum et dimidii. Supra et a lateribus obtecta erat ſimili lapide. Erant autem lapides ſubnigricantes, diſſecti omnes, ſed non politi. Stratum erat arena ſublutea. In eo ex ordine tres vrnae ſtabant. In medio B. maxima erat ſubfuſco colore et punctis nigricantibus diſtincta, cyathos noſtros (*ſtuffas* dicebant maiores noſtri barbare) admodum ſex comprehenſura, pede vno altior, plena cinere humido non tota, poſitis ſupra humanis oſſibus. Altera vrna C. conciderat in latus concuſſu fortaſſis fodientium loco mota, nouem, ad decem pollices alta nihil omnino continebat: quod facit, vt potius credam non tum primum concidiſſe, ac zythum

* Eilauiſche ampt.

Digitized by Google

qui in ea forte fuerat, effusum dudum fuisse. Maiorem vrnam et hanc alteram repoſuerunt locis ſuis, quod illa maior quam vt commode ferri poſſet, haec vero confracta iam eſſet. Tertia vrna ſex pollices alta, triginta veteres Crucigerorum numos habebat, quos nemoris cuſtos Ioannes Auguſtus Eichelberger, vtpote rem nullius pretii iudicans iis diuidebat, qui aderant. Duos numos ex iis inter cimelia Lilienthalii vidi Michaelis Cochmeiſteri ſignatos nomine, vt quo tempore conditum hoc monumentum fuerit, teneamus. Idem Eichelberger vrnam eam ſecum tulit. Ante tres vrnas vitrum ſtabat duos pollices altum ſubcoeruleo albicantique colore infectum, vt lac in eo fuiſſe credas, non lacrymas. Nunc ſiccum vitrum et ſine liquore vllo erat. Cernitis ex moneta, compoſitum hoc tumulo corpus fuiſſe Chriſtianis temporibus. Is enim Michael obiit A. CIↃ CCCCXXII. Anonymus quidam ſcriptor inediti libelli de Sudinorum caeremoniis, (*der Sudawiter, die itzund die Sudauer genant werden ceremonien und bockheiligen*) quo Matthaeus Vaiſſelius interpolato auctoque multis locis in Chronicis Pruſſicis vſus eſt; quaedam tradidit vehementer ad noſtram rem et monumentum hoc pertinentia. „Induunt, inquit, cognati mortuum ipſo exequiarum die, „cultrum ad latus et linteum circa collum accingunt eo„que linteo inuoluunt pecuniam. Cum ad ſepulcrum fu„nus cadaueris deductum eſt, viri aut mulieris eius, qui „conditur, ſimulacrum quoddam ad tumbam exurunt et „vna cum cadauere ceterisque eius rebus ſepeliunt. Satis luculentae reliquiae veterum caeremoniarum, ex quibus coniectura fieri poteſt, quomodo antiquitus cadauera humata ſint. Sed addit is ipſe auctor: Antiquitus cadauera concremata et ab Chriſtianis eundem ſeruatum mo„rem aliquamdiu fuiſſe; tum vrnas in collibus compoſi„tas caementoque eſſe ſeptas, quae ſepulcra *Caperuen* „vocentur. Adiicit, apertas quasdam ſepulturas et non „modo oſſa cineremque, ſed cetera quoque virorum „mulie-

mulierumque instrumenta in iis retecta fuisse. Ab hisdem τυμβορύχοις multae antiquitatis reliquiae corruptae et effusae sunt. Ob eamque caussam Io. Ridelius suspicatur, nullos numos isthic locorum inueniri et vrnas plerumque turbatas esse, tamquam aliquis terram iam olim sit perscrutatus. Positum autem monumenti eundem Ridelius annotauit in silua parochiae suae Cosarcensi, cum A. CIↃ IↃ CCXV. primum per cuniculos, terra autem subsidente paullatim ad ruinam, a cacumine perscrutaretur fodiendo. Situm eius montis vides hic lector, vt antea fuit. Arbores in eo procerae magnitudinis fruticesque complures erant, vna et viginti orgya ambitum, et altitudinem vnius et semis viri habebat. Aditum ostendebant duo lapides e terra prominentes aduersus meridiem, quod in aliis quoque tumbis acer et mirae accurationis vir notauit. Perfosso monte lapideum monumentum visum est. Iidem lapides aditum vtrimque firmabant, ceteri latera. Sed et supra latera positi erant lapides alii, similiter aptati, et laeuigati, quamquam rudi opere. Altitudo monumenti semiuirum, latitudo tres ac quatuor spitamas aequabat. Nouem vlnas ac paullo amplius habebat vsque ad tertium ab aquilone latus aeque ac cetera constructum lapide. Harena monumentum tegebat, quam hic aggestam vides. Ridelius etiam alium montem multo maiorem peruestigauit, qui autem nihil ab illo differebat, nisi magnitudine. De tali monumento Ioachimus Pastorius in Syluis suis appposite cecinit, cum Gedani in Argentario monte inter operas castrenses A. CIↃ IↃC LVI. vrnae reperirentur:

Qua iuga, nubifero praecelsa cacumine, nuper
Grande supercilium deposuere suum,
Mons alios inter leni se vertice tollit,
Nomen ab argento cui vaga fama dedit.
Hic dum fossor opus peragit glebasque reuellit,
Cernitur occulto crypta latere solo.

Area parua iacet validis circumdata saxis,
Quam super incumbens condit vtrimque lapis.
Cum manus impositum pendus sociata remouit,
Vrnarum en oculos funebris ordo subit.
Argilla leue constat opus: tamen integer ollis
Est vigor, aut parua labe tulere diem.
Plura licet retro complerint secula cursum,
Cum vetus his posuit sedibus ista manus.
Scilicet antiquo cum flamma cadauera more
Vssit et haec ritu barbara terra fuit.
Eripit illa suis tua posthuma cura tenebris
Consul et aprica luce nitere iubes.
Vidimus et cineres, immixtaque vidimus ossa,
Et defixa suis succina frusta locis.
Nomina quae fuerint vstis, nescimus; et olim
Si quae fuma fuit, tota sepulta iacet.
I nunc laurigeras, gens barbara temne Camoenas,
Et nullum calamis robur inesse puta.
His sine vel regum moritur cum nomine virtus,
His ducibus nescit vel cinis ipse mori.

Mirum autem non est, vsque ad Michaelem Cochmeisterum superfuisse sepeliendi hunc modum, cum Mariani lubidinem tantum spectantes suam, ignari humanarum diuinarumque rerum, praeterea nihil aliud quam milites, barbarorum salutem religionemque negligerent. Alberto adhuc principe passim in agro conuentus profanae ceremoniae habebantur, quorum vni Simon Grunaeus magno cum discrimine vitae suae interfuit. Inter Francos et Saxonas similiter nostra sepeliendi ratio vna cum ceteris Christianae pietatis caeremoniis instituta fuerat, multo ante, quam Carolus M. in capitulari Saxonum apud Furstembergium Episcopum et Baluzium * edito, rursum necesse duceret exustionem interdicere. *Si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum, flamma consumi fecerit et ossa eius ad cinerem redegerit, capite punie-*

* t. I. 25. 2.

punietur. Imo aetate Regionis Prumienſis vetus ſuperſtitio nondum exſtirpata fuit, qui neceſſe duxit ex Burchardo repetere decreta aduerſus auguria, ſortes et vota, quae ad arborem, ad lapidem, ad quamlibet rem fierent, et aduerſus alias praeſtigias. Cum Renaldus Lubena vir Conſularis Palaeopoleos Regiomontanae A. CIↃIↃLXXXIII. Decembri menſe in Curoniam veniſſet ad pagum, qui *Curonum rex* cognominatur, eorum hominum ſuperſtitionem cumulate perſpexit. „Prodit autem memoriae „in vita ſua MS. feſto natalium Chriſti in ſacrum lucum „profectos Curones, venationem toto anno ex religione „intermiſſam (nam ne caedere quidem arbuſtum iſthic li„cet) inſtituiſſe ac feres aſſaſſe: tum vero circum menſam „oblongam cereas complures orae applicuiſſe ſine cande„labro, et ſtantes ambulantesque comediſſe. Cum etiam „ludum ebrietas requireret, dolium cereuiſiae allatum „fuiſſe, quod cum inane eſſet, ſonum percutientibus ede„bat, illis interim circum menſam ſaltationes inſtituen„tibus. Paullo ante diluculum, quod cibi comeſum non „fuerat, canibus obiectum fuiſſe. Priuilegia illis eximia „eſſe, habitare in ampliſſima area omnes, in qua ſepara„tam domum habeat pergrinorum hoſpitium, ſuas quae„que familiae domos: coelibes in vna domo colere, non „niſi inter ſe connubia miſcere, ex ordine, ſingulis „ſeptem diebus vnum omnium rerum procurationem „ſuſcipere, caeremonias profanas aeque ac Chriſtianas „perdurare. Hoc eorum priuilegium accepi, Rhanaeum penes ſe habere lingua veteri Curonica, quae a Pruſſica paullum diuerſa eſt. Quid dicam? noſtra memoria multae profanarum caeremoniarum reliquiae in agro, quem veteres Pruſſi ad orientem huius vrbis et aquilonem tenent, ſuperſunt: multo plures in Curonia.

Ex eadem ſuperſtitione credo coronas aeneas et argenteas vna fuiſſe tumulatas. Dubitatum inter noſ fuit, quod genus ornamenti eſſet, quod inuenimus multiplici contortum gyro ac vnde allatum. Heluingus in Lithographia

Digitized by Google

graphia amplius descripsit. Enimuero, contemplanti mihi antiquitates, quae Medenae sunt in templo, ad sinistram maioris aree alia ara occurrit, in cuius valuis cum alia erant picta, tum in sinistra et exteriori ala is est pictus cum coniuge et filia, qui aram extruendam curauit. Ex insignibus adparet, familia Albarum oriundum fuisse. Filia coronam eiusmodi in capite gerens ante aram genu flexo orat. Iam antiquum adeo altare illud non est. Nam in ianua templi eius deprehendi A. CIↃ CCCCLXXVIII. eam esse exstructam, nec est verosimile templum antiquius esse ianua. Sunt et alibi picturae veteres, in quibus ornatum illum capitis fuisse videmus. Pondus capiti nostrarum mulierum nimis graue, sed, vt tunc erant mores, minime molestum. Credam coronas eiusmodi originem duxisse ab Romanorum galericulis, quales in Domitiae, Plotinae, Faustinae maioris, Plautillae aliarumque numismatis cernuntur. Ex Francia coronas has sepulchrales aduectas esse, verosimile est. Ausegius libro sexto capitularium legem adfert: * *Vt armillae et bruniae non dentur negotiatoribus.* Eius interdicti causam nec Baluzium nec alium aperire nobis memini. Nisi forte eo id prohibitum fuit, quod superstitiose talibus armillis vterentur. Arngrimus Ionas in Erymogaea ** ex antiquis Islandiae monumentis docet, annulos argenteos vel orichalceos, vnciarum viginti pondere in aris deorum asseruatos fuisse, quos cruore hostiarum consperfos in brachiis supremi iudices gestarint, testes autem omnesque lite implicitos iusiurandum annulis contactis praestitisse.

Redeo ad numos. Heluingus ad me scripsit, numquam se in vrna, sed in collibus, passim in agro et ad viam defossos numos reperisse. Similiter Cambdenus in descriptione Britanniae sub collibus sepulchralibus, non in vrnis inueniri numos scribit. Itaque fortassis cum exurerentur cadauera, simul in ignem coniecta fuerunt instru-

* t. 1. f. 96. ed. Baluzii. ** p. 62. 76.

Digitized by Google

instrumenta, numi, aliaeque res. Sic vtique Romani fecerunt. Papinius Statius:

quid ego exequias et prodiga flammis
Dona loquar, moestoque ardentia funera luxu?

Quae ex incendio supererant, in vrnam colligebantur, aut terra obruebantur. Id, vt magis mihi persuadeam, efficiunt numi ab vna parte prae se ferentes liquefacti aeris vestigia. Ea pars, quae a flammis iacuit auersa, illaesa fuit, altera paullo conflata in aliquibus numis visitur. Nolim enim credere, aerugine ita adfectos esse, cum alii parte saltem vna integerrimi sunt. Nec alienus sum ab Ottonis Sperlingii sententia, qui ad numum Furiae Sabinae Tranquillinae sic fatur: *meliores hac sua pulchritudine natiua sunt illi; quos in monumentis et fornicibus seruari contigit; illis enim liberior aer et clausus tamen, hoc, quicquid est, quod in illis admiramur formae et nitoris addit, praesertim si anniuersaria libamenta vini acceperunt vrnae et cineres, cum quibus repositi sunt. Omnium optimè vero, qui extra cineres in vase peculiari aerem hauserunt et tinctorem suam.* Inde vero tam pauci argentei superant, quos flamma citius hausit, quam aeneos. Est tamen penes me plumbeus numus, quem Ioannes Ridelius in agro dioecesis suae inuenit. Veraque facies confusa, attamen, vt cognoscas impressum aliquid fuisse. Quid fuerit, non aeque coniicio. Romani vtique plumbo vsi sunt, sed tenuis est lamina, et sequioris aetatis etiam alia signa habet. Praeterea aenei quidam, etiam in vrnis ab Hartmanno inuenti, nihil ex incendio ostendunt. Itaque vero est simile, post incendium aliquos coniectos in cinerem fuisse numos. Paene idem Romanos fuisse, ex Albii Tibulli hoc versu coniicio:

Abstineas mors atra precor: non hic mihi mater,
Quae legat in moestos ossa peruста sinus:
Non soror, Assyrios funeri quae dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis.

Quod

Quod eos attinet numos, qui extra vrnas reperiuntur, illi aut in busto, sicuti ante dicebam, neglecti et relicti iacuere, aut abolitis vetustate confractisque vrnis effusi sunt, quae coniectura fuit Friderici Vilelmi M. Principis quondam, immo parentis nostri, quem optimi etiam imperantes apud posteros desiderabilem, ob innumeras virtutes et incredibilem litterarum amorem facient. Testem habeo Iac. Tollium in itinerariis epistolis.

Cur autem maiores nostri pecuniam contumularint, difficilioris res est quaestionis et originem gentis pandens, quam attingere, non huius operis et instituti est. Exstat de ea re Keysleri erudita inuestigatio, cui nec sufffurari quicquam cupio, nec adiicere valeo, ita omnibus numeris absolutae. Si intelligens et eruditus lector nostram de proiecta in rogos aut effusa ex vrnis pecunia sententiam, non probet, supereſt, vt existimemus in sacros lucos proiectam fuisse. Tali munere deos propitiabant. Satis luculenter hanc septentrionalium caeremoniarum partem erudiri homines in Germania, Suecia, Anglia enarrarunt. In Curonia ad hunc vsque diem luci aliqui superstitionis illius vestigia retinent, cum arbores onustae omnis generis rebus, antiquâ etiam pecunia, sola religione et sacro, si diis placet, horrore, quod consecratum semel est, aduersus rapinas saltuum conseruant.

CAPVT OCTAVVM.

Dolendum est, multas antiquitates perire ignorantium culpa. Longe laetior ampliorque seges nobis esset, si saltem hos numos ad manum haberemus omnes, quos e bustis aut sacris lucis maiores nostri collegerunt. Tanco maiori sint digni honore, qui diligentia sua labantem memoriam huius antiquitatis sufflulserunt. Caspar Schuzius scribit, proxime vrbem in Saltuoio colle * sua memoria reliquias vrnarum et iuxta eas pecuniam auream argenteamque fuisse repertam mirificis litteris; vnum autem

numum

* Heydenburg.

Digitized by Google

numum habuisse reginam corona cinctam, sub qua appareuerit sagitta, hoc titulo inscriptum: LECIPORVS. Ex aliis duobus eadem effigie CRASSIVRA et CESTIANVS inscriptis, vnum in auersa hydriam et loricam, alterum libitinam et lugentis imaginem viri exhibuisse. Fides eius apud nos integra, sed interpretatio numorum vereor, vt pro illius in his rebus infantia, inaniſſima sit. Idcirco etiam cum Matthaeus Praetorius a Schroetero Proconsule Gedanensi cognouit, in eius vrbis vicinitate numum esse inuentum cognomini montis Hagelis * titulo, non reperio, quomodo aut vtriusque fidem damnem, aut credulitatem in explicando numo excusem. Leciporos, Crassiuros et Cestianos ex Boemia aut vicina Germania arcessit Praetorius. Cui sententiae neque accedere cupio, neque detrahere quicquam, nisi inspectis numis, qui hodie nuspiam adparent. Is Praetorius in magno Prussicarum rerum theatro, quod nondum est editum, Prussicos numos diligenter commentatus, memoriae prodidit, Villequittae in Memelensi agro pueros A. M. IↃC LXXXV. XI. Cal. Octobris in mobili harena inuenisse numos Hadriani, Antonini Pii, M. Aurelii Philosophi, Aurelii Veri, Commodi, Maximiani, Sabinae, Faustinae Crispinae et ceterorum. Mallem omnes nobis percensuisset ordine, quam molestissimo illo compendio fuisset complexus. Nonaginta enim corrupta in olla fuere. In eadem regione, haud procul ab diuersorio, cui Saltuoso nomen est, commemorat singulos inuentos passim et Nimmersattae ad Memelam vnum, inscriptum IMP. ALEXANDER PIVS AVGVSTVS et in auersa habentem mulieris effigiem cum face PROVIDENTIA AVGVSTI S. C. inscriptam. Numus profecto rarus, nec visus antiquariis, si ista auersae effigies fuit. Metuo vt verum prodiderit Praetorius.

Nostra memoria Andreas Hedio homo magna grauitate, singulari eruditione ac supellectili omnis generis prae-

* Hagelsberg.

Digitized by Google

praecipue admirabili, cum praeter philoſophiam, quam in hac academia profitebatur, quicquid rarae cognitionis et interpretandis Graecis Romanisque antiquitatibus erat, adiungeret, numos quoque in agro noſtro inuentos habuit. Heluingus ipſe teſtatur in Lithographia, argenteum M. Antonini numum vomere erutum, dum ager aratur, dono ſuo eius cimelio acceſſiſſe. Poſt mortem beatiſſimi viri multis annis apud viduam is theſaurus ſine ordine, ſine luce iacet. Et quis inter tot argenteos, illum vnum ſine errore inueniat. Similem in modum mihi narrauit Godofredus Villamouius Cumenenſis Presbyter venerabili vir aetate, inuentum a ſuis numum M. Antonini maioris moduli inter arandum fuiſſe. Illum ſe aliquamdiu geſſiſſe in marſupio, donec nundinis quibusdam noſtris, cum peregrino colloquens bibliopola, eius commotus precibus, dono eidem daret. Alio tempore repertum alium dicebat, neſcire autem ſe cuius Imperatoris fuerit, aut quo, incurioſius ſeruatus, peruenerit. Ioannes quoque Reyher Conſiliarius Regis, qui legationibus in Moſciam feliciter functus multa ſecum inde transportauit, multa deinde ad inſtruendam rariſſimorum librorum bibliothecam conquiſiuit, numum quoque talem ab Heluingo * accepit. Poſt mortem optimi et antiqua virtute religioneque ciuis, Heluingus numum repetiit ſuum, quem nos infra oſtendimus Antonini eſſe. Georgius Andreas Heluingus autem Presbyter Angéropolitanus et Societatis Berolinenſis Sodalis, qui magna induſtria res ad antiquitates et naturam ſoli ſui pertinentes iam diu inveſtigat, quos inuenerat liberaliſſime ad me miſit, vt exemplo eius humanitatis incendere ceteros poſſem. Renaldus Perbantus Presbyter Lennoburgenſis, qui quoad vixit, curam impendit omnem, vt quod obueniſſet ex Pruſſicis rebus, ab interitu vindicaret, totam numorum ſuorum ſupellectilem mihi conceſſit. Ioannes Ridelius Presbyter Sorquittenſis duos nobiscum communicauit, quo-

* Lithogr. p. 94.

quorum mentionem ſupra inieci. Sine omni controuerſia acre in eo viro viuumque ingenium et ad multa inuenienda animaduertendaque natum. In perſcrutandis vetuſtis tumulis omnes alios vicit, in ceteris accuratiſſimis obſeruationibus pares paucos noſtrum habet. Maior acceſſio ex Philippi Jacobi Hartmanni numophylacio filii humanitate mihi obuenit. Dolendum eſt, complures permiſtos ceteris inueniri non potuiſſe. De illis autem in diſſertatione de Othone aeneo nondum edita, ſic ſcribit: „Aliorum Imperatorum numos in Pruſſiam inue„ctos oſtendere poſſum, ſiue a milite ſiue a mercatore „Romano illati fuerint. Aliquot argenteos ſeruo ex pa„trio agro erutos. Amici dono dederunt. Aereos „quoque non contemnenda copia repertos in olla Fride„rico Regi oblatos noui. Illius tantum meminero, qui „haud procul Lycca a Ioachimo Columbo Rectore ſcho„lae prouincialis, nunc Archi-Presbytero exemtus mihi„que dono miſſus eſt. Huius caput nudum capillis cri„ſpis mento lanugine conſperſo: pars thoracis in eodem „eſt conſpicua. Epigraphe: AVRELIVS CAES. AVG. „PII. F. Auerſae: miles galeatus gradiens, haſtam obli„quam vtraque manu apprehendens. Ex inſcriptione „ſuperſunt OT. XIIII. Genibus appoſitum s. c. Cerui„cem pone eſt aliquid obliteratum incerti ſigni. Numus „eſt maximi moduli, ora non prorſus plana, neque ro„tunda, niſi leuiter. Ambitus a circulari, angulis qui„busdam recedit. Craſſities modica, pondus drachma„rum ſex, ſcrupulorum duo.„ Addit deinde in notis: *Si fata velint, vt antiquitates Pruſſiae multa cura a me conſignatae diuulgentur, in his plurima numorum Romanorum in Pruſſia repertorum documenta occurrent. Non procul Memela ad pagum Proekoltz ex colliculo quodam arenam effodiens Lithuanus in ollam incidit, pluribus aereis numis refertam, Antuninianis, quot mihi videre contigit. Sane Antoniorum aeuo cuſis, cum Fauſtinae numi inter eos occurrant. Horum numorum non*

pauci cum in praedam colonis ceſſerant, illique cingulis ſuis, more gentis eosdem inuexerant, amicorum ope alios atque alios redemi. Maximam partem autem exeſi ſunt et obliterati. Antiquitatibus Pruſſiae recenſionem eorum ſeruo. Qui eius viri ſedulitatem norunt, non dubitant, ſuſceptum iſtum ab eo laborem fuiſſe, ſed inter male habitas diſiectasque ſchedas eius, nihil inueniri poſſe quod alicuius pretii eſſet, filii iudicarunt.

Dauidem Blaeſingum Mathematicum induſtrium virtutum aeque ingentium ac magnae eruditionis, noſtri, quoad vixit, amantiſſimum virum ſaepe audiui commemorantem quosdam numos in agris repertos ſe habere in praeclaro cimelio, quod Academiae teſtamento legauit. Sed, vt erat adflicta valetudine, numquam conſpiciendi eius commoditas fuit. Cum ordinandi cimelii ſui operam in me contuliſſet, magno bonorum omnium dolore mortuus eſt. Numos igitur illos fine teſte, nemo dignoſcat. Attamen aliquos inſcriptos eo titulo, *in agro repertos fuiſſe*, Io. Samuel Strimeſius V. C. vidit, cum Academiae nomine cimelium inſpiceret.

CAPVT NONVM.

Praeter eos numos, quos ſupra poſui, reliquos ab amicis mihi aut dono oſtenſos aut datos explicabo. Difficilis in plerisque labor, cum ſeu aeruginem et ſitum, ſeu eroſionem expugno, ex vna littera totius numi illuſtratio petenda fuit. Ante Domitianum nullius numum Imperatoris inueniri et oſtendi memini praeter vnum triumphalem et Neronianum. Hic vtramque faciem admodum luculenter viſendam praebebat, ſed tanto erant obſcuriores inſcriptiones. Habet eundem Occo, ſed hoc vno diuerſum a meo, quod non AVG. ſed AVG. F. Occoni inſcribitur. Mihi autem in hac inſcriptionis fuligine, videor tantum offendere ſpatium explendae litterae. Eſt is igitur primo Domitiani conſulatu ſignatus, quem iniit patri tertium Conſuli

Iuli suffectus Cal. Martiis et cum Cn. Pedio Casto gessit, vt Norisius in consulari epistola euicit. Victoria Augusti Vespasianum signat, qui siue victo Vitellio gloriatur, siue adepto imperio. Hoc mihi maxime videtur. Signum enim imperii erat victoriae simulacrum. Aelius Spartianus in Septimio Seuero tres victoriolas inter reliquam pompam Circensem Septiminii, Getae et Bassiani titulis inscriptas et positas memorat. Augustus in Senatu victoriae imaginem Tarentum quondam aduectam collocauit, Suetonio, Dioni, Herodiano et Aelio Lampridio diuersissimis temporibus memoratam. Etiam sub Christianis Imperatoribus permansit, Constante, Constantio et Gratiano tantum aram euertentibus. Id adparet ex Symmachi relatione, qui tantum aram reponendam petiit. Ambrosius in primo libello ad Valentinianum: *si hodie gentilis aliquis imperator aram statueret simulacris et eo conuenire cogeret Christianos.* Et postea: *Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris feciſti.* Aedes victoriae eodem tempore non modo simulacrum sed et aram religionemque habebat. Prudentius in Symmachum:

Marmora labenti respergine tincta lauate
O proceres: liceat statuas consistere puras
Artificum magnorum opera haec pulcherrima nostra
Ornamenta cluant patriae, nec decolor vsus
In vitium versas monumenta coinquinet artis.

Quid vetat credere, Caesares victoriam in priuata sacraria admisisse. Sejanus in omnibus Principum aemulus, teste Dione Cassio simulacrum fortunae, quod Tulli Regis fuerat, in sacrario suo colebat: Fortunam in cubiculis Principum positam Iulius Capitolinus auctor est. Quidni et victoriam.

Alter numus faciem Domitiani ipsa oris verecundia, proiecto mento, naribus acutis prodit, nec admodum obesam, vt superiori in numo, sed qualis fuit annis prouectioribus. Signum in auersa pro-

videntiae esse suspicor. Manus dextera, sic, vt est protensa, clauum tenet, intra quem clauum et tunicam S. exstat. Foramen habet is numus siue a maioribus nostris, siue a Romanis gestatus fuerit.

Tertius ex inscriptione GERM. cognoscitur Domitiani esse. Fortuna Augusti aduersae incisa est. Coronam radiatam habet.

Antoninorum maxima copia passim apud nos et in Polonia est. Primus numus difficillime agnoscitur, quod auersa eius pars tota deleta et erosa est aerugine. Ex annis tribunitiae potestatis et consulatus deprehendo M. Aurelii esse. In nullo imperatore consulatus secundus cum octauo aut nono tribuniciae potestatis anno conuenit, nisi in hoc Aurelio. Tres omnino gessit consulatus, tanta eius viri moderatio fuit, cum ceteri principes expleri titulis non possent. In numi auersa non satis adparet, decimus, nonus, an octauus designetur tribunatus. Octauum videor aliquo signo dignoscere. Eo anno frequens in Aurelii numis Fortuna est.

Numus alter male habitus et parte sua mutilatus ab incisore, vt puto, non ab aerugine. Cetera satis seruatus. Faciem Aurelii vides. Ab auersa sedet M. Aurelius cum L. Vero, iuxta eos liberalitas stat et Romanus adscendit. Numum hunc Valens vidit et rariorem iudicauit, inscriptum LIB. AVGVSTORVM TR. P. XV. COS. III. Iac. Biaeus quoque habet, sed in eo diuersum a Valentis et nostro, quod nullae scalae sunt, nec Romani effigies adscendentis.

Tertius optime conseruatus. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. in auersa Salutis signum, cuius inscriptio SALVS AVGVSTOR. TR. P. XVII. S. C. Serpens circum aram Salutem significat, vtpote quo Aesculapii numen aut Apollinis potius (cuius ille filius erat) cognoscitur. Scholiasta Aristophanis in Pluto omnibus heroibus, maxime tamen Aesculapio adiunctos in simulacris serpentes scribit, ob eam causam, quod sicuti serpens cutem

Digitized by Google

cutem exuit, ita medicina morbos expellit. Quod et Phornuto in libro de natura deorum videtur, qui simul addit, attentionem et accurationem significare. Hygiea et Asclepius σύνναοι apud Pausaniam saepe. In puluinaribus Aesculapii serpentes erant. Testis Pausanias in Corinthiacis de templo in agro Titanico, neminem ingredi ausum ob metum draconum. Κατατείνας δὲ σφίσιν πρὸ τῆς ἐσόδου τροφήν, ἃς ἔτι πολυπραγμονοῦσι. Prudentius: *Placet sacratus aspis Aesculapii.* Simulacrum an viuus serpens? ante aram inuenitur in numo Nicomediensium Gordiano principe signato, quem Harduinus ex Libanio accuratissime explicauit. Tristanus, Patinus et Beger eundem numum vulgarunt. Ex Pausania colligo ante aram Aesculapii, ex albo lapide simulacrum anguis fuisse. Quae ad aram stat Salutis sacerdos baculum tenuem et plurimis nodis distinctum sinistra tenet. Est id Ασκληπίου βάκτρον a Phornuto et aliis explicatum. Sacerdos puella. Non enim solis Vestalibus nubere nefas. Tertullianus ad Vxorem: *gentes Satanae suo et virginitatis et viduitatis sacerdotio perfrunt continentiam.* Saluti libat ob salutem Augustorum. Vota haec sunt pii Senatus. Nihil enim hoc anno accidit, vt valetudinem M. Aurelii et L. Veri adflictam suspicemur.

Duos, qui sequuntur, Antoninos ad Perbantum attulere eius paroeciae homines in illo agro inuentos. Primus nihil habet praeter ANS. AVG. ARM. quod tamen praeter vultum satis est, vt M. Aurelium agnoscamus. Auersa peius est habita ab aerugine. Victoria tamen cognoscitur cum scuto, cui inscriptum VIC. PAR. In margine XX. IMP. vigesimum annum tribunitiae potestatis vides Victoria videtur dextera cornu copiae tenere. Numus Occoni visus ita inscribitur TR. P. XX. IMP. IIII. COS. III. Aduersa M. ANTONINVS AVG. ARM. PARTH. MAX.

Alter legi disertius poterat, M. ANTONINVS AVG. Facies artificii venustissimi. In auersa, mulier sedens

Digitized by Google

cum cornu copiae et bilance. IMP. V. C. S. Cetera legi non possunt. Occo inscriptionem talem habet. M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. ab auersa P. M. TR. P. XXIII. IMP. V. COS. III. Aequitatem Antonini significat, quae sane, si qua est in Principe, magnam abundantiam rei publicae adfert.

Sequuntur duae Faustinae. Primus maioris Faustinae socrus Aurelii Antonini. Numus ab vtraque facie ita deformatus, vt vix faciem et paucas litteras, cetera ne vix quidem dignoscas. Facies venustior quam vt a nobis posset exprimi. Videtur esse ex eorum genere numorum, qui mortua Faustina conflati ab auersa Dianam δαδοῦχον habent. Diuae tamen titulus non adparet.

Altera eius filia M. Aurelii Antonini vxor est. Crinem haec prae ceteris accurate coluit. Tertullianus de velandis virginibus de tali ornatu mihi intelligitur: *Quid quod etiam habitu mutationem aetatis confitentur, simulque se mulieres intellexerunt, de virginibus educantur, a capite quidem ipso deponentes, quod fuerunt: vertunt capillum et acu lasciuiore comam sibi inserunt crinibus a fronte sibi diuisis apertam professae mulieritatem:* Ab auersa Faustina stat vtrisque vlnis infantes et ad pedem habens. Cuiusmodi numum Biaeus exhibet inscriptum FECVNDITAS AVGVSTAE. Ectypon eius ad me Samuel Rhanaeus misit. Numus A. CIↃ Ic CLXXXV. admodum inuentus et a Burgero Medicinae Doctore Memela ad Rhanaeum fuerat missus. Is Harmanno ostendit, qui eodem fuerat vsurus in antiquitatibus Prussicis.

Subiungimus tres alios. Primum ex his numum suspicio mea ad Commodum refert, tametsi in eo nihil praeter auersae tenuem faciem specto. Talem enim etiam Biaeus in Commodi numis exhibet. In alius Imperatoris moneta non item vidi. In altero confusa sunt vultus lineamenta, ita vero vt Jouem lapidem iurare velim Commodum esse. Crispina eius vxor a Perbanto A. CIↃ IↃC LXXX. in Sembiae aliquo nemore

Digitized by Google

more forte, inuenta. Venus globum tenens ipsa Crispina est. Id radii, quales Augustorum coronae erant, id globus potentiae orbis terrarum index, notant. Nuptias etiam indicat. Nam breui post ab Commodo abiecta est. Biaeus numum maioris moduli inspexit, Valens hunc ipsum.

Succedat numus Cordiani, cum inscriptione IMP. GORDIANVS. AVG. Reliqua legi non possunt et facies admodum deformata est, vt vix Gordianum tertium noscas. Numum eundem Biaeus et Occo habent, sed ita inscriptum: IMP. GORDIANVS PIVS FEL. AVG. ab auersa MARTEM PROPVGNATOREM. Occo ad septimum annum tribunitiae potestatis recenset. Enimuero annos tantum sex regnavit, Iulio Capitolino, epitoma S. Aurelii Victoris, Eusebio, Excerptis Chronologicis barbari hominis a Scaligero euulgatis, Cassiodoro testantibus. S. Aurelius Victor: *insidiis periit sexennio imperio.* Oportet hos numos cum Marte gradiuo signatos esse ante Misitheum exstinctum Arriano et Papo Coss. Nam vno anno antea C. Vettio Attico et C. Asinio Praetextato Coss. Persas bello prosperrimo aggressus fuerat. Gesserat quidem sub auspicium imperii aduersus Sabinianum bellum; sed id tam nihili habitum est, vt ne Ianus quidem aperiretur.

In alio numo exhibetur ab vna parte IMP. PHILIPPVS. AVG. ab altera PAX AETERNA. Hunc numum Heluingus in Lithographia Angerburgica edidit, sed multa per errorem, secus ac inspecto numo deprehendi. Chalcographus etiam male habuit eum. Illum errorem non magni momenti facile eruditissimo viro in alio studio versanti condonamus. Numus filii non patris est. Id ex vultu constat, cui mira gratia inest. Post reditum percussus est, cuius reditus memoriam alius numus conseruat a Monterschio et Philippo a Turre explicatus. In eum diem conuenit id, quod Velleius Paterculus dicit in alia re: *laetitiam illius diei concursumque ciuitatis et vota paene inferentium coelo manus, spem-*

Digitized by Google

que conceptae perpetuae fecuritatis capientes. Coniectura autem Heluingi non aeque negligenda eſt exiſtimantis, numum a Romanis ſub Decii praefectura in Pannoniam miſſis cum Scythis conterminis conquirendo commutandoque ad vſum rei familiaris neceſſaria, denique ad Sarmatas et Pruſſos veniſſe.

In alio repraeſentatur GALLIENVS ab auerſa VBERITAS AVG. vt apud Occonem. Figura vbertatis crumena et cornu copiae. Neminem fugit Gallieni in profundendo ſtudium, vt veluti mirati, Romanum orbem ſufficere eius ſumptibus ferendis vbertatem numo ſignarent.

Numi duo Aureliani ſunt diuerſi et modulo et figuris. IMP. AVRELIANVS. AVG. legi poteſt. In auerſa CONCORDIA in vna, in altera ne tantum quidem. Figurae duae, Imperatoris et Romae quae globum et haſtam tenet. Aliquot numos concordiae inſcriptos legas apud Occonem, ſed ſiue AVG. ſiue MILITVM ſiue omnino nihil deſit, non poſſum dicere. Begerus quoque neſcit, quo referre debeat. An quod Aureliano imperatore orbis terrarum, quo vel Ariſtide teſte Romanum imperium cenſebatur, cum aeterna Vrbe in concordiam conueniret? Id Solis caput ſignificat: Aureliani alioqui ex obſeruatione religioneque matris, deus. In tertio numo anni voti ſunt Aureliano, quorum vix tertiam partem attigit. IMP. AVRELIANVS - - - AVG. VOTA XXII.

In alio repraeſentatur Seuerina Aureliani coniux PROVIDENTIA DEORVM IXXI. forte, vt in Aureliani numo TXXT Occo habet. Si hic Seuerinae numus idem eſt cum eo, quem Occo exhibet inſcriptum IIXXIT, in eo certe fallitur, quod nudam figuram radiatam foeminam putat. Mihi ſignum Solis eſſe videtur.

Qui ſequuntur Claudium Gothicum vtrumque eſſe puto. In auerſa lege: CONSECRATIO. Ex Conſtantiana ſucceſſione tantum duos huc pono, cum mihi eadem magnitudine plures ſint. Conſtantius cum

ponti-

Digitized by Google

pontificali habitu a Juliano videtur cusus. Igitur et satis diserte DIVO non DN legere mihi videor. Aurelius Victor: gente Sarmatarum magno decore, confidens apud eos regem dedit. Alterum Valentem esse, viderint alii an Valentinianum malint alterutrum. In rudi aere difficilius est vultuum diuersitatem dignoscere. Auersae προτομὴ in omnium trium moneta exstat apud Carolum de Fraxinis in historia Byzantina illustrata.

EPISTOLA
DE
THEOPHRASTI DELII
PRAESIDIS MONVMENTO
AD
VIRVM CLARISSIMVM.

Cum inter chartas meas his diebus quaedam in Delium monumentum temere et aliud agenti animaduersa reperirem, cepi consilium ea ad te perscribendi, vt, quantum tibi mea sententia ab doctissimorum virorum opinionibus haud parum abhorrens, probetur, intelligerem. Sciebam autem, te, pro tua admirabili eruditione, de his rebus omnium verissime iudicaturum, ac pro studio amoreque in me tuo, non defugiturum hanc de communibus litteris cognoscendi molestiam.

Est autem in Sylloge antiquorum numismatum ante tredecim hos annos Londini edita, titulus statuae ab Deliis Theophrasto Acharnensi collocatae, quem ita vetus marmor exhibet, vt depinxi. Viderunt eum titulum Patricius Junius et Humphredus Pridauius,

Digitized by Google

ex quibus hic parum integre in Oxonienſibus monumentis deſcripſit; is autem A. cIↃ IↃc xxxiii notis in Clementis ad Corinthios epiſtolam priorem, tum primum ex Delo aduectum et inter marmora regia in hortis Iacobaeis abs ſe conſpectum inſertit. Credo deinde in eam partem horti repoſitum fuiſſe, quae vicinior palatio Albae aulae erat, vbi videlicet Pridauſius ſcribit exſtitiſſe. Quomodo autem ad auctorem eius ſylloges peruenerit, haud aeque adfirmare poſſum, nec ſcirem prorſus, quis auctor ſit, niſi Io. Burchardus, Meckenius et poſtea Maturinus Veyſſiere Lacroſus, quos ego honoris fideique cauſſa faciendae nomino, me docuiſſent, Carolum Fountainum eſſe. Coniectura ducor, vt exiſtimem, cum palatium Albae aulae A. cIↃ IↃc xcvi. incendio conflagraret, partem horti contiguam vaſtatam hocque marmor, ſublatum fuiſſe. Integriori marmore Iunium vſum, quam Pridauſium aut Fountainum, conferentes vtrumque exemplar confitebuntur. Exigua tamen pars orae adfecta fuit. Nullum eſt dubium, quin legi in eum modum oporteat.

ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΝ. ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΥ. ΑΧΑΡΝΕΑ
ΕΠΙΜΕΛΗΤΗΝ. ΔΗΛΟΥ. ΓΕΝΟΜΕΝΟΝ. ΑΘΗ-
ΝΑΙΩΝ
ΚΑΙ. ΡΩΜΑΙΩΝ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΑΛΛΩΝ. ΞΕΝΩΝ
ΟΙ. ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣ. ΚΑΙ. ΠΑΡΕΠΙΔΗΜΟΥΝ-
ΤΕΣ. ΕΝΔΗΛΩ
ΑΡΕΤΗΣ. ΕΝΕΚΕΝ. ΚΑΙ. ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΣ. ΚΑΙ.
ΤΗΣ. ΠΡΟΣ
ΘΕΟΥΣ. ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ ΑΝΕΘΗΚΑΝ. ΑΠΟΛΛΩΝΙ

Poſt Caras et Ionas Athenienſes Delum tenuerunt. Si Iulio Africano, quem Euſebius ſequitur, Athenaeo, Cedreno et Syncello credimus, iam ante Minoem Aſterii F. in ea inſula Eryſichthon Cecropis F. imperium exercuit templumque Apollinis condidit. Plus auctoritatis apud me Herodotus et Thucydides habent, a quibus proditum eſt, Minoem Lycaſti F. iſtius Minois nepotem Ionas coloniam in Delum primum duxiſſe, ac Polycratem Samium

Digitized by Google

Samium quoque ante Athenienſes eam inſulam cum ceteris Cycladibus perdomuiſſe. Quae circiter tempora Homerum et Heſiodum in Delo contendiſſe verſibus ex Euſtathio intelligo. Inde vtique Athenienſium Delus fuit et ab Piſiſtrato luſtrata eſt. Bello vtroque Perſico barbari religionem dei reuerentes cladem et omnem belli noxam abſtinuere. Idcirco poſtea ab omni Graecia in eam inſulam pecunia belli gerundi cauſſa, veluti in commune aerarium, collata fuit. Quam cum Athenienſes aliorum ſacrilegia metuentes, in Atticam transuexiſſent, bellum Peloponeſiacum coortum eſt. Athenis ab Lyſandro occupatis omne ſimul maris imperium euerſum fuit. Recuperatum per Cononem et Thraſybulum videbatur, cum Athenienſes Spartanis pulſis mare obtinerent vrbesque et inſulas ſuae ditionis in fidem reciperent. Demoſthenes de Haloneſo, ciues ſuos tum maxime de imperio maris gloriatos prodit: Delum vtique in poteſtate ſua conſtanter retinuerunt, tametſi Ptolemaei ceteras Cycladas haberent. At Mithridates Delum euertit, Athenienſibus pacato per Romanos oriente reſtituendam.

Quo igitur tempore ſtatua Theophraſti collocata fuerit, quaeramus. Vt mea opinio fert, nec poſt Mithridaticum bellum, nec ante Corinthum deletam. Id video argumentis eſt firmandum, quod magni nominis viri aliter ſenſere, qui plerasque inſcriptiones Deliacas poſt Adrianum Caeſarem collocatas fuiſſe ſcripſerunt. Enimnero poſt Hadrianum hanc inſcriptionem non eſſe factam, coniicias ex eo primum, quod Athenienſes ſe Romanis praetulerunt; quod, tam proiecti ad omne aſſentationum genus tantamque ambitionem ἐν πρωτείοις ponentes, iis quidem temporibus facturi minime videntur fuiſſe. Ariſtides in Panathenaica ſcribit ſub Antoninis καὶ προσόδων ἕνεκα καὶ προεδρίας Athenienſes antiquum ius tenuiſſe; ac verum iſthuc, ſi Graeci inter ſe compararentur: at idem Ariſtides in Romam, cum Athenas Spartamque conferret cum aeterna vrbe, veluti maieſtate eius per-

perturbatus ἀπεῖη, inquit, τὸ βλάσφημον τῶ παραδείγματος. Tantum inter eas ac Romam intereſſe iudicabat. Ita is Athenienſes nominat ante Romanos in quodam loco; ſed in oratione tantam accurationem nemo requirat, quantam in inſcriptionibus publicis, vt idem Ariſtides Africam ante Europam quoque nominauit, ſine controuerſia hanc illi dignitate praelaturus. Igitur tum auſi ſunt Athenienſes Romanis ſe praeferre, cum maior ſpecies libertatis ſupereſſet. Huc accedit, quod ante Hadrianum ea figura τῶν σίγμα, quae in marmore eſt, ſcribi fere deſiit. Annotatum eſt ab Montefalcone in Palaeographia Graeca, ſub Caeſaribus coeptam eam litteram ſic immutari, vt non Σ ſed C ſcriberetur, nec quinto ſeculo in codicibus, numis, marmoribus vllum veteris formae veſtigium ſuperfuiſſe. Harduinus paſſim in operibus, fere incunabula eius mutationis aperuit. In Antiochenſium quodam ſub Auguſto ſignato et in alio Neroniano iam praeluſum nouo mori memorat. Auguſti, vt ego opinor, aeuo, Cleomedes quoque in cyclicis lunam, cum figuram hanc τῶ σίγμα nouam incuruis cornibus exprimit, σιγμοειδέα τῷ σχήματι vocauit. Sed haec nihili ſunt prae his, quae nunc dicam. Strabonem auctorem habeo, Mithridatis duces, poſtquam Delum occupauere, omnia in ea a fundamentis diſieciſſe. Ex Appiano Alexandrino et Athenaeo non minus tenemus proditum memoriae, quam crudeliter ab iis ſaeuitum in Delo fuerit. Sic, vt erat miſerandum in modum lacerata, Romanis armis recepta Delus, Athenienſibusque ad Strabonis vsque aetatem inops et ſqualida relicta fuit. Nam quod in itineribus Sponii inſcriptionem obſeruamus ab gymnaſii Delii praefecto Mithridati Eupatori aeque ac ab alio Euergetae eius patri poſitam, id nihilo crudelitatem regis minuit. Cicero pro lege Manilia de temporibus ante Mithridaticum bellum loquens, tum inſulam Delum omnes vndique cum mercibus atque oneribus commeantes accepiſſe, refertamque diuitiis fuiſſe refert. Totidem verbis fere Pauſanias

de

Digitized by Google

de Delo commemorauit, et frequentem mercaturis ante bellum fuisse et postea neglectam. Sic Plinius maior templo Apollinis et mercatu celebratam scribit, vt de superiori tempore intelligas, quippe alioqui scripturus, celebrari, et celebrem esse. Accedit huc Tertullianus, qui in apologetico Septimii Seueri extremis annis scripto testatur, Delum cum multis millibus pessum abiisse. In libro autem de Pallio *nullam iam Delon inter insulas esse*, scribit, quem locum etiam Spanhemius non ignorauit. Is cum eodem modo de Co insula dixisset, accedit Pausanias, qui restitutam ab Antonino Pio memorat diligenter insulas omnes percensens quae restauratae essent sine Deli mentione. Seruius ad tertiam Aeneidem, Tuthrode nescio quo auctore contendit, Delon neque ante incensum spoliatumque Delphis templum, neque postea incommodo vexatam simili fuisse. Sed eum nihil moror, cum Tuthrodem ante Mithridatica fortassis tempora auctorem, aut magnopere ignarum veteris historiae perperam adhibuit. Nec post tantam Deli vastitatem facilis restauratio mercaturae fuit. Nam ipsi Athenienses Sullae seueritate adflicti adeo fuerant, vt vix recipere vires possent. Nec insulae quidem solum retinuissent, ni totum ruinis fuisset oppletum. Scio Scaligerum ad Eusebium et Manilium contendere, ab eo tempore ne Athenas quidem vnquam recepisse vires. Enimuero Synesii testimonio haud opportune vsus est, qui multo tempore post Athenis fuit et id ipsum quod Scaliger cupit, ne adfirmat quidem. Econtrario Aristides in Panatheniaica, Libanius de vita sua et Gregorius Nazianzenus in funere Basilii florentes et opibus et litteris Athenas prodidere. Sed haec serius in Delo, quam in metropoli reparabantur: et, si Hadriani munificentia Athenae subleuatae sunt, tanto plus Septimii Seueri crudelitate (vt hoc Xiphilino et Spartiano credamus) adflictae fuerunt. Praesertim cum constet in Naxum et Co post bellum Mithridaticum, omnem mercaturam emigrasse, a quo tempore Coa vestis et purpura celebrata.

celebratu. Aristides ex Naxo et Cydno Athenas suo tempore merces fuisse deuectas testatur oratione in Romam, non taciturus Delum, quam in Panathenaica leuiter satis, vt diis sacram, vt ad Athenienses pertinentem, memorat, si qua illis temporibus mercatura Deliaca fuisset Eius autem aequalis Pausanias ne quidem homines in Delo exstare scribit, praeter Athenienses, ἐς τὰ ἱερὰ τὴν φρουρὰν δηλίων γε εἶνεκα *qui templum custodiant et ludos Delios obeant*. Sic enim interpretor, quae ab aliis perperam cohaerentia reddebantur. Isque adeo qui Hadriani in Graecos beneficentiae non immemor erat, nihil vsquam de eius in Delum studio praedicat. Confirmat id quoque meam sententiam, quod, qui in vrbium monetis erudite sunt versati, numum Delium sub Caesaribus percusum non meminerunt se videre. Inopem vero terram, quae id genus monumenti non vulgaret! Me non fugit, quod Spanhemius ad Callimachi hymnum in Delum et Holstenius ad Stephanum Byzantium, ex Pyrrhi Ligorii schedis adferunt, numos ab Deliis inscriptos Antonini Pii, M. Aurelii Philosophi, L. Veri, Commodi nominibus, sed ne quid de Pignorii fide dubitem, certum mihi est, eos numos ad Delium Boeotiae oppidum referre. Scylax Caryandensis, Strabo, Pausanias et Stephanus vrbem inter Tenagraeos sitam monstrant. Plutarchus autem testatur in Pelopida, Boeotos Delo controuersiam feciſſe, quod apud se natum Apollinem dicerent. Nimirum et ibi nomen Deli et templum Apollinis, ab eo tempore cum Athenienses ex Delo ciues veteres exterminassent, exstitere. In ea sententia confirmor, quod numi terminassent, exstitere. In ea sententia confirmor, quod numi ΔΗΛΙΑΤΩΝ inscribuntur. Id nominis Delii numquam habuerunt, tam celebrati omnibus historiis. At enim ex Delio Boeotiae ciues Δηλιεῖς a Stephano adpellantur? Malim equidem credere, fugisse id gentile Stephanum, aut ab Hermolao Byzantio fuisse praetermissum, quam Delios in numis suis maluisse nomine

Digitized by Google

mine abuti nouo, cum tam noti inter omnes essent illo veteri Deliorum. Numi ΔΗΛΙΩΝ inscripti nomine complures exstant, ab Harduino etiam obseruati, sed ante Mithridaticam cladem percusi.

Obiiciunt se mihi magna nomina, quorum auctoritate commoueor, cum Hadriani imperio restitutam Delum et referendas ad ea tempora Deliacas inscriptiones contendunt. Iosephum dico Scaligerum, Iacobum Sponium, Ezechielem Spanhemium et Henricum Dóduellum. Istos antesignatos hi duo sine controuersia sunt secuti. Sponius cum inscriptionem Deliacam non integram et corruptiorem sua culpa (vt plerumque in aliis ei accidit) euulgaret, in qua legebat ΔΗΜΟΣΑΘΗΝΑΙΩΝ de vrbe, Athenis Nouis Adrianis, dicta, in insula Delo, Scaligerum secutus cogitauit, Harduino intempestiue reprehenso, qui vt ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ fuerat interpretatus, Antiochensium Ptolemaide commorantium, eodem modo in quibusdam Gruterianis inscriptionibus ΑΘΗΝΑΙΩΝΤΩΝ ΕΝ ΔΗΛΩ explicabat. Sponium ignarum Graecae linguae nihil moror. Spanhemius et Doduellus me mouent. Hic in eruditissimo opere de cyclis, cum ἀρχόντων indicem consignaret, Phaedriam illum ipsum ex Sponii inscriptione Archontem incertae aetatis, post Hadrianum tamen fuisse opinatur. Spanhemius in Callimachi Delum, eis, quae Sponius dixerat, assensum praebet. Enimuero ex nostra inscriptione quam clarissime inferius aperiam, reprehendendum Harduinum non fuisse. Ex Sponii autem inscriptione idem adeo liquet, vt nihil supra. In ea enim Patron dicitur persuasisse collegio Tyriorum mercatorum, vt ad Senatum populumque Athenienſem mitterent legationem, qua instruentibus Herculis templum quandam gratiam impetrent. Est hoc loco inscriptio perquam mutilata, praeterea, vbi integra est, a Sponio non intellecta, sed restitui nullo negotio potest, et, si nihil in ea emendem, tamen satis apparere censeo, Athenas Atticas, non Delias, nescio quas

quas, nominari. Neque Phaedrias is Deliorum archon fuit. Aeque non ac in alia inscriptione inter Oxonienſia monumenta Zenon, tametſi Doduello hoc quoque aliter videtur. Archontem, a quo annorum cognomina ducerentur, Athenienſes in prouincias numquam miſerunt. Eſt ergo ΟΔΗΜΟΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ in Sponii inſcriptione populus Athenienſis ex Attica, cuius beneuolentia Tyrii vtebantur, ad quem legatos mittebant, qui ψηφίσματα Deliorum probare debebat, ſi publice proſcripta exſtare vellent. Pugnat tamen Sponius et Stephanum adfert auctorem ſententiae ſuae. Enimuero is locus omnino mendoſiſſimus exiſtit, cum conſtet Athenas Atticas, Hadrianas eſſe dictas, ob munificentiam Caeſaris, qua magnam vrbis partem teſtituit nouas Athenas vocatam. Olympium quoque intra Athenas fuit, quod Spartianus teſtatur Hadriano fuiſſe conſecratum, cum, vt ex Strabone et Liuio tenemus, a Perſeo imperfectum fuerat relictum. Salmaſius adeo caeſpitat, vt integritati huius loci nec fidat, nec medeatur. Fidem ſaltem illis inſcriptionibus aſſerere inſtituit, quas ſupra iam exploſi. Quid ſi ſic aut in eum modum Stephanus ſcripſit? Ολυμπιεῖον τόπος ἐν Δήλῳ, ὃν ἔκτισαν Ἀθηναῖον χρήμασιν Ἀδριανοῦ (ἐ τῇ εἰς ἑαυτὸν εὐνοίᾳ χρώμενοι μηρίδα τῆς πόλεως) Νέας Ἀθήνας Ἀδριανὰς ἐκάλεσαν. Sunt eiusmodi multa in Stephano omiſſa. Concedam igitur Ολυμπιεῖον ſiue palatium ſiue porticum templi in Delo, aedificatum fuiſſe Hadriani opibus, ſicuti Philippi Macedonis et Mithridatis Euergetae munificentia in quibusdam ruderibus eius inſulae a maioribus noſtris fuit perſpecta: quod et nomen ipſum indicat, vt Ασκληπιεῖον, Ηρακλεῖον, Ανακεῖον, Απολλώνιον attamen vt vrbem fuiſſe credam, vt eam incrementa cepiſſe, vt Athenas nominatam fuiſſe mihi perſuadeam, nulla idonea auctoritate inducor. Nec potuit tam parua inſula, vt eam hodie Turnefortius et ante eum Sponius repererunt, duas vrbes capere, Athenienſium alteram, alteram Deliorum. Verum ne ſic quidem Stephanum ſcripſiſſe credo, ac ἐν

Δήλῳ

Digitized by Google

Δήλῳ potius irrepsisse et expungendum esse Achaiam ab Adriano restitutam Pausanias et complures numi memorant, quorum vnum eximium Erizo exhibet: de Delo nihil tale vspiam inuenio, quod in Adriano, illa parietaria herba, mirum sit.

Manet ergo, ante Mithridaticum bellum pleraque omnes Deliorum inscriptiones apud Gruterum, Reynesium, Montefalconem, Turnefortium, Sponium et hanc praesertim, quam interpretor, collocatas fuisse. Iam hoc quoque constat, quod Strabo prodidit, euersa Corintho mercatum omnem Delum se recepisse, *mercatum ibi*, vt Plinii verbis vtar, *toto orbe celebrante*. Euersa Corinthus A. V. C. Ioc VIII. Olympiade CLVIII. anno tertio. At Mithridates Delum occupauit Cornelio Sulla et Q. Pompejo Rufo Coss. vt ex Appiano teneo, hoc est, A. V. C. Ioc LXVI. secundum Idatianos et Anonymos fastos Olympiade CLXXIII. ineunte. Intra hos octo et quinquaginta annos oportet hanc inscriptionem, quam illustramus, factam fuisse. Fateor longum tempus, in quo difficile sit, certum annum inuenire. Sed mirum id non sit, cum ab Atheniensibus tanto tempore, nedum ab Deliis, nihil memorabile fuit gestum; vnde aliqua temporis nota duci possit. Saltem arbitror, nec illico post Corinthum deletam, nec paucis ante Mithridaticum bellum annis, marmor hoc inscriptum fuisse. Intanta scriptorum inopia, coniecturam quamcunque non adspernabere. Inuenio apud Appianum, Mithridatem viginti millia hominum, plerosque Italos, in Delo obtruncasse. Idcirco demamus saltem viginti annos, quibus tanta frequentia in eam insulam conuenire potuit, vt maior pars hominum in ea Romani essent. Romanos non inuenio ante Corinthum deletam in Delo versatos, nec enim isthaec ibi mercatura, quae postea fuit, nec omnino Romani longinquas merces magni aestimabant, vt Velleio Paterculo dignum memoria sit visum Mummii ruditatem in aestimandis signis Corinthiis prodi. Antiquissima memoria Romanorum, qui in Delo essent, est in Orationibus

bus marmoribus cum L. et C. Pedii Romani Marcum cognatum Ptolemaei Euergetae Apollini et Dianae consecrant. Quod facit, vt Deliacam esse inscriptionem conliciam. Euergetes hic Physcon est; cuius in alio Deliorum monumento quoque mentio exstat. Et quia simul Cleopatram cum Ptolemaeo nominatam inuenio, ostendere possum, post Corinthum deletam factum titulum esse. Euergetes enim Cleopatram in matrimonium duxit, Iustino teste, Philometore mortuo et Aegypto, ex qua eiectus fuerat, eidem restituta, anno post Corinthum deletam non integro. At Cleopatram post trium liberorum puerperium interemit. Iustinus filiam memorat, Porphyrius in Eusebianis Graecis duos filios. Annum quo interemerit, nusquam reperio notatum, nisi Porphyrii isthuc eo pertineat: ἐπεὶ κατὰ τὸ δέκατον ἔτος τῆς ἀρχῆς τὰς φίλτρας τῶν γονέων ἀπέσφαξε. Iam postremus ei labor erat, ducta in matrimonium filia, Cleopatrae insidiari. Puella nouem aut decem annorum in Aegypto matura viro esse poterat. Demamus adhuc octo annos, ante bellum Mithridaticum, si ita lubet. De triginta reliquis aliquid carpere multo est difficilius, opusque hic Alphonso Vignolio sit, cuius accurato sagacique calculo reperiri aliquid melius hodie, aut omnino non possit. Admonebo eam pro nostra coniunctione, vt eam rem cogitandam sibi sumat.

Athenienſium Delum esse factam pace in Achaia post excisam Corinthum conciliata, Polybio in excerptis de legationibus credimus. Itaque cum Strabo scribit, Athenienses Delo potitos ὅτε συνεστήκει ἡ Κόρινθος Corinthe restituta, pessime eo loco habitus est. Pati hanc interpretis oscitantiam Casaubonus potuit: cum instaurata Corinthus C. Caesare V. et M. Antonio Coss. vt Dio et Strabo ipse sciebant, et tot numi celebrant. Mithridaticum autem bellum, quod postea fuisse Strabo dicit annis quinque et quadraginta ante eos consules fuit. Nihil autem rectius est, quam si interpreter, postquam *Corinthus auctor*

auctor defectionis Achaicique tumultus exstitit. Vti videlicet Velleius Paterculus dixit: *vniuersa instincta in bellum Achaia, maxime Corinthiis in arma instigantibus.* Itaque non modo aduersantem nostris opinionibus Strabonem non habemus, sed etiam consentientem.

Is quoque ab eo tempore ἐπιμεληταὶ ab Atheniensibus in Delum missos prodit, qui sacra et mercaturam procurarent. Dicebantur autem ἐπιμεληταὶ, qui alicuius rei curam gererent, vt apud Theocritum, qui ἐπισκάται τῶν θεριστῶν καὶ ἐργοδόται essent. Aristophanes in Pluto sic ludit, vt sycophantam omnium rerum, quae publice priuatimque fierent, ἐπιμελητὴν vocaret. Enimvero vt procuratoris vocabulum apud Romanos, ita et isthuc praescriptionem quandam officiorum patiebatur. Erant Athenis ἐπιμεληταὶ τῆς ἐμπορίας diuersi ab ἐπιμεληταῖς τῶν μυστηρίων, de quorum officiis Etymologicum magnum et Harpocrationem legentes, plura a nobis dici non requirent. In prouincias Athenienses tali cognomine mittebant, qui eas gubernarent. Ex quibus alii alias res, pro diuersitate prouinciarum, commendatas sibi habebant. In Delo, vt dixi ex Strabone et vt ex hoc titulo liquet, mercaturae ludorum curam gerebant. Vt Theophrasto habitus honor est, quod erga deos pietatem, erga mercatores aequitatem praestitisset. Pietatis in deos erat, sacra caste accurateque procurare et laesa vlcisci. Vt, cum Philippus Amyntas, sacrilegium Delphicum persecutus, sacrae aedi auxilio fuerat, διὰ τὴν εἰς Θεὸς εὐσέβειαν apud Diodorum Siculum celebratur. Vbi in mentem venit, quod Demosthenes oratione aduersus Philippi epistolam scribit, Athenienses multo plures ἀφορμὰς πρὸς τὴν τῶν θεῶν εὐνοιαν habere, quam Macedonas, inde etiam feliciores esse. Quocum in Panathenaicis Isocrates et Aristides hactenus congruunt, quod Atheniensis religionum obseruantissimos praedicant. Cum autem deos legimus in Deliaca inscriptione, Apollinem et Dianam cultos recordamur. Cellarius memoria credo

lasius in panegyricum Latini Pacati commentans, Castores quoque in Delo constituit. Pacatus, *geminis*, inquit, *Delos reptata numinibus*. Non vtique Castoribus, sed Apolline et Diana. Inuenio autem Venerem quoque, Lucinam, Latonam, Herculem cultos in ea insula, quos vniuersos Aristophanes ἐν Θεσμοφοριαζούσαις vocauit θεὰς καὶ θεὰς Δηλίας. Etiam Aegyptia numina ibi culta fuisse, in quadam Oxoniensium marmorum inscriptione reperias. Sed Memphitica sacra post Antonii in Aegypto imperium, adytis primum suis egressa orbem terrarum peruaserunt. Vbi ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ exstat, Pridausius perperam legit ΕΤΝΟΙΑΣ. Omne genus meriti ἀρετὴ in titulis comprehendit, qua voce idcirco nihil est frequentius. Καλοκἀγαθίας autem voce prae ceteris Athenienses delectatos Helladius Besantinous scribit, habetque aliquid cum ἀρετῆς significatione commune. Sic et Maximus Tyrius vtrumque coniunxit: ἀρετῆς καὶ καλοκἀγαθίας ὁ ἔλεγχος οὗτος, ἡ πρὸς ταῦτα αἰδώς.

Venio ad eam partem inscriptionis, in qua dicendum mihi est de iis, qui statuam Theophrasto collocarunt. Eadem opera ostendam Athenienses vrbem nullam ab Delo diuersam in insula habuisse. Est titulus inter Oxonienses: ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΔΗΛΙΩΝ ΟΙ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣΕΝ ΔΗΛΩ ΚΑΙ ΟΙ ΕΜΠΟΡΟΙ ΚΑΙ ΝΑΥΛΚΛΗΡΟΙ. In eo κατοικεῖν habitare et incolere significat, sine vlla ciuium peregrinorumque diuersitate. Cum autem κατοικεῖν de peregrinis tantum vsurpatur, et παρεπιδημεῖν oppositum ei est, nequaquam, vt Patricius Iunius praecepit, idem vtrumque significat. Etiam disertius ex inscriptione nostra intelligo, Delios ciues ab Atheniensibus Romanisque incolis diuersos fuisse. Belli Peloponesiaci decimo anno testis est Thucydides et Pausanias, ex insula eiecisse Delios, quorum perfidiam metuebant. Anno tamen vix vertente admissos rursum eosdem Thucydides scribit, quod, post multas clades consultus Delphis deus restituendos censuerat. Deinde cum ex Polybio docere possum,

Digitized by Google

possum, eius veteres ex Delo aufugisse, Delo Athenienſibus ab Romanis tradita, tum vero ex eodem colligas, pactos eum Athenienſibus pacem, ex Achaia rediiſſe. In inſcriptionibus Oxonienſibus aliisque reperio δῆμον Δηλίων, ex quibus vnam paullo emendatiorem ex mea coniectura do. ΔΗΜΟΥ ΔΗΛΙΩΝ ΚΑΙ ΕΙΝΑΙ ΑΥΤΩ ΓΗΣ ΚΑΙ ΟΙΚΙΑΣ ΕΓΚΤΗΣΙΝ ΚΑΙ ΑΥΤΩΙ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΙΣ ΥΠΑΡΧΕΙΝ ΔΕ ΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΑΛΛΑ ΠΑΝΤΑ ΟΣΑ ΔΕΔΟΤΑΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΑΛΛΟΙΣ ΠΡΟΞΕΝΟΙΣ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΑΙΣ ΤΟΥ ΤΕ ΙΕΡΟΥ ΚΑΙ ΔΗΛΙΩΝ κ. τ. λ. Praeter Delios alii ξένοι in insula versabantur, quorum cura habenda erat, tum religionis, tum commodorum causa, Deos enim omni aduersus hospites iniquo facto aut tristiori fronte ad perniciem et interitum eius qui laesisset, commoueri crediderunt. Nam etiam terras humana forma obire hominumque officia explorare, Homerus, vt rem testatam, prodidit. Plenae sunt fabulae hospitibus diis, vt, quod Iouem Neptunum, et Mercurium ab Hyriaeo acceptos esse ex Euphorione Scholiasta Homeri narrauit, cuius paene singula verba hodie ἐν ἀπίσοις Palaephati reperias. Quamobrem mirum non est, quod Lycaones apostolos pro diis accepere. Quod autem minus constantes iisdem fuere, id ex gentis genio accidit. Homerus id iam in Pandaro Lycaone, vt ἄπιστον καὶ ἀπίορκον, quod Scholiasta eius ex Aristotele quoque annotat, efformauit. Quatuor ξένων genera Eustathius se comperta scribit habere, προξένων, ἰσοξένων, δορυξένων καὶ ἰδιοξένων. Nullum tamen ex eo numero ad nostrae inscriptionis sensum applicari potest. Hospitalia illa nomina sunt, cum hoc peregrinitatem significet. Nam, ne quis putet, ἰσοξένους huc pertinere, Pausanias ἐν λεξικῷ ἐητορικῷ eos explicat, ex vna vrbe oriundos, alibi ciues esse, vt Corinthi Glaucus Hippolochi F. Bellerophontis N. Alii apud Eustathium ei adsentiuntur, inter quos etiam Aelius Dionysius est. Nihil hoc eius peregrinitatis habet, vt, cum Diodorus Siculus scribit, Megalopolitas aduer-

Digitized by Google

ſus Polyperchontem cepiſſe arma τῶν πολίτων καὶ ξένων καὶ δούλων ἀριθμὸν ποιησαμένους, aut vt Gregorius Nazianzenus ad plebem Anaſtaſiae: Κωνσταντινούπολίς τε καὶ ξένων ὅσον ἔνδημον. Sed quo haec perſequor, quae omnes norunt? Hi igitur aut κατοικοῦντες aut παρεπιδημοῦντες erant. Iſti in vrbe aliqua degebant, aliunde profecti, alibi ciues, de quibus Caius ICtus: *incolas et his magiſtratibus parere, apud quos ciues ſint: nec tantum municipalis iuriſdictioni in vtroque municipio ſubiectos eſſe, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debere.* Παρεπιδημοῦντες alibi ſimiliter ciues erant, quam vbi verſarentur, at nusquam alibi ſedem et domicilium habebant, rediturі domum, ſi liberet. Sic apud Diodorum Philippus edidiſſe ſpectaculum Olyntho capta dicitur, inque iis ludis πολλοὺς τῶν ἐπιδημούντων ξένων conuiuio adhibuiſſe. Plautus in aulularia complectitur haec genera: *optati ciues, populares, incolae, accolae, aduenae omnes date viam, qua fugere liceat.* Ex quibus illuſtrantur, quae Paulus ſcripſit de caeleſti πολιτείᾳ et de peregrinitate hac noſtra, cui etiam profani homines et philoſophi vitam aſſimilarunt. Chriſtiani veteres ſe ξένους appellabant, eſtque virtus a Macario ceterisque aſcetis ξενιτεία nominata, mentis in hac peregrinitate ad caeleſtem patriam λογισμός.

Sunt ergo, vt eo redeam, Athenienſes ξένοι in Delo, qui aut mercaturae cauſſa, in eam inſulam profecti eſſent, aut domicilia quoque inter Delios ciues haberent. Apud Athenaeum ex redditibus Deliacis diues Athenienſis celebratur. Praeter eos erant Romani, vt illud Apulcii de Lariſſa hic poſſis vſurpare: *negotioſo aduenae Romanam fuiſſe frequentiam.* Ariſtides in Romam, ex omnibus terris et maribus Romam aduehi ſcribit, ὅσα χῶραι ἔνεγκαν φέρουσι καὶ ποταμοὶ καὶ λίμναι καὶ τέχναι Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων. Romanos negotiatores et Orobius memoravit in tropaeo victis Athenienſibus Mithridatis factioni in Delo opitulantibus: τοὺς δὲ θανόντας ἔχει ξείνας τάφος οἱ περὶ Δῆλον μαρνάμενοι τὴν ἱερὴν ὅτε νῆσον Ἀθηναῖοι Κεφαλίζον.

Digitized by Google

ξένων. Sed qui reliqui ξένοι erant? Loca, quae dis consecrata aut ludos, aut spectacula, aut oracula, templa et alia sacra praebebant, hospitalia vocabantur. In primis a Pindaro hoc didici, hui εὐξενίαν talium locorum passim concelebrat. In Pisa πολυξενώτατον βωμὸν collocat, de quo neminem taedeat Scholiastam eius legere. Itaque rationem frequentiae in Delo teneo. Vt Pindarus Aeginam suam saepe, ita Papinius Statius *hospitam Delum gentibus*, ita Pindarus rursum Apollinem Cyrenis cultum Δάλιον ξένον vocavit: quod et deum ibi commorari et eius caussa gentes confluere crederent. Non enim solum ex Cycladibus in Delum instituebantur sacrae legationes, sed a Messeniis, ab Hyperboraeis, Cyrenaeis, tota Graecia, vnde et paeanes ab Callimacho Alexandrinis, a Pindaro Ceis scriptos accepimus. Bacchilides quoque paeanes apud Scholiastam Callimachi et nescio quis veterum in Aristotelis Rhetoricis memoratus, scripserunt. Atheniensium maxime intererat, vt quam frequentissima Delus esset, itaque exemplo superstitionis suae praeibant, missis ec dem δηλιαστάς. Sed minima haec frequentia fuisse videtur, prae ea, quam mercatores fecerunt. Thucydidi credo maiorem religionem Deli fuisse, cum Ionii eam tenerent, quam cum pulsi, veluti in vicem, Ephesi cultum Dianae instituerunt. Bello quoque Peloponesiaco electi insula Delii, secum, Plutarcho referente in libro de oraculorum defectu, religionem rapuere; quorum fraude, opinor, Delphicum oraculum Graecis iussit natale Apollinis solum quaerere, quod apud Tegyraeos videlicet invenichatur, ad quos Delii profugerant. Sic enim solitudinem religionis et hominum Delo, non minima Atheniensium iactura, allaturos sperabant. Semus Delius apud Stephanum Byzantium in Lycia, Zostere Atticae, in Tegyra Boeotiae, in Delo, discrepantibus sententiis, natalem Apollinis poni prodidit. Quod ex illo paeane quoque constaret, si integer ad nos peruenisset, Δαλογένης εἴτε Λυκίων, plura non habet Aristoteles. Fanum vti-

que Ephesium *maximum pulcerrimumque orbis terrarum*, vt Lucius Ampelius habet, religiones omnes ab Delo Delphisque ad se auertebat, de qua re celebris est apud Tacitum inter Delios Ephesiosque controuersia.

Maior igitur peregrinorum pars, mercatores fuerunt. Proditum est, insulam sterilem iacuisse et indigam rerum omnium, quae non aliunde adueherentur. Idcirco et sacra reperta sunt, vt inopia superstitione expleretur. Religio mercatus attraxit. Spanhemius quidem obnititur, Euripidis in Iphigenia Taurica inductus auctoritate: sed nihil probari ab eo amplius video, quam, quod non omni gramine caruerit, nec rupes saxumque tota fuerit. Orphicus hymnus in Latonam κραναὴν vocat Delum, quod et Pindarus habet, hoc est, si Scholiastae eius auscultamus, τραχείαν καὶ πετρώδη. Callimachus ἄτροπον dixit, hoc est ἀγεώργητον καὶ μὴ τρεπομένην καὶ μεταβαλλομένην ἐν τῷ ἀρᾶσθαι. τραχεῖα γάρ. Quae Scholiastae interpretatio, refragante, quantum volet, Spanhemio, mihi magnopere placet. Nam nec Spanhemius, nec Anna Tanaquilli loci eius verum sensum mihi cognouisse videntur, cum Callimachus ait:

κείνη δ' ἀνεμόεσσα καὶ ἄτροπος, ὅια θ' ἁλιπλὴξ
Αἰθσίης καὶ μᾶλλον ἐπίδρομος ἠέπερ ἵπποις.

Recte quidem et mergum et equum interpretantur, sed οἷα θ' ἁλιπλὴξ, aliquid amplius requirit, aut ego omni penitus sensu careo. Αἰθσίας ego piscatores, ἵππους aratores explico. Leonidas Tarentinus in quodam epigrammate piscatores mergos vocat et Lycophron eodem nomine Mineruam, quod nominis eam Tzetzes censet a nauibus habuisse, quas prima aedificare instituit. Sic igitur interpretor:

Delus opportuna ventis, nec arari potest, vtpote quae mari septa
Piscatores, quam aratores admittere malit.

Cinthus mons totam fere insulam occupat, vrbe in planitie exigua ad portum posita. Altus is et asper, vt ad cultum

cultum nihilo aptior fuerit, quam lapis. Nec si hodie solo fere aequatus est, idcirco lapicidinis caret. Antiquitus quoque sic incultam eam insulam fuisse, ex hymno Homeri (si Thucydidi credas) aut Cynaethi Chii vnius Homeridarum (vt ex Eustathio in Homerum et Scholiasta Pindari in Nemeis tenere mihi videor) perspicuum est. Inducit enim Delum querentem, quod aspera esset, cui respondet Latona, nec pascuis nec agricultura celebratam, ἐπεὶ οὔτοι πεῖαρ ὑπ' οὔδας, at religione et sacrificiis Apollinis locupletem fore. Scilicet haud obscure indicat, veteres, si quas regiones squalidas et incultas ab natura accepissent, sacrorum institutione locupletasse. Haud enim parua gens περιηγητῶν ducendis circa omnes vicos et loca vrbium peregrinis victum quaerebat. In quos Lacianus in Philopseude iocatur, si nullae essent fabulae in Graecia, antiquarios illos fame esse perituros, μηδὲ ἀμισθὶ τῶν ξένων τ' αληθὲς ἀκούειν θελησάντων. Quanta deinde multitudo elocandis aedibus, vendendo emendoque oportunitatem in tanta frequentia nanciscebatur. Δηλιακὸν ἔμπορον Αρχέλαον Plutarchus in Sulla memorat. Iuuabat mercaturam portus oportunitas et quod Strabo adiicit ἀτέλεια τοῦ ἱεροῦ. Non quod sine victigali omni Delus esset, sed quod Romanis nullum penderet, ab peregrinis autem ipsa acciperet. Id excerptis Polybii de legationibus acceptum refero, in quibus Rhodii queruntur, quod portuum vectigal libertatemque de portorio statuendi amisissent, cum Delios Romanus Senatus ἀτελεῖς esse iussisset. Conjectando id consequimur, quod dictum paullo ante est. Vt Nicephorus Gregoras scholiis in Synesium prodit, μετοίκιον κατοικίας ἕνεκα peregrini duodecim drachmas quotquotannis dabant Athenis. Hos reditus in Delo etiam fuisse, verosimile est. Illam immunitatem, vt ante Athenienses, Demosthene aduersus Leptinem auctore, impertiebantur Delii, quibus bene cuperent. In inscriptione Oxoniensium marmorum memorata, si paullum restituatur: EI-

ΝΑΙ ΔΕ ΚΑΙ ΑΤΤΟΝ ΠΡΟ ΞΕΝΟΝ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΤΟΥ ΙΕΡΟΥ ΤΩΝ ΔΗΛΙΩΝ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΥΣ ΕΙΝΑΙ ΔΕ ΑΥΤΟΙΣ ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΕΝ ΔΗΛΩ ΚΑΙ (πολιτεί) ΑΝ. Hactenus reſtitui male habitum marmor.

Iam dicendum eſt, qui mercaturae cauſſa Delum adierint. Primum lactones ex Cilicia et Syria mercatum mancipiorum in Delo inſtituerant, vt etiam in prouerbium abiret. Sed eos hoc lapide haud memorari intelligo. Praeſtabant iſtis videlicet mercatores Tyrii, qui inſcriptione Sponii collegium quoddam et ſua inſtituta habuiſſe memorantur. De his quoque Criton Comicus apud Athenaeum:

Φοίνικα μεγάλα κύριον βαλαντίᾳ
Ναύκληρον ἐν τῷ λιμένι ποιήσας ἄπλεν
Καὶ Φορμιῶσαι ναῦς ἀναγκάσας δύο
Εἰς Δῆλον ἐλθεῖν ἠθέλησεν ἐκ Πειραιῶς

Is tria bona inſulam habere dixit: ἔυοψον ἀγορᾶν, παντοδαπὸν οἰκεῖντ' ὄχλον, αὐτάς τε παρασίτας τῷ θεῷ τὰς Δηλίας. Non autem tantum Tyrii, verum Sidonii quoque huc proficiſcebantur et omnino Phoenices omnes, quos ἐμπορικωτάτας Euſtathius vocat, memoriae prodens, non tantum artis fabrilis, ſed texendi etiam πέπλας Σιδονίας ſcientes Sidonios fuiſſe. Erant et tingendi τὰ μήλωθρα arte in primis artifices Phoenices. Quis neſcit? Ab Euſtathio alibi πορφύρεοι, ἰοβαφεῖς, ὑακίνθινοι, φλόγινοι, θαλασσοειδεῖς colores memorantur. Omnes ex muricibus, vt Vilelmus Cole Briſtolienſis ſagaci indagine ante annos admodum quadraginta rurſum inuenit. Eius autem artis nec alii ignari erant, praeſertim Cyprii ab Athenaeo et Euſtathio in texendis πεποικιλμένοις laudati. Cythera etiam πορφυρῶσα, teſte Euſtathio ad Homerum et Dionyſium Periegetem, fuit vocata, διὰ τὸ κάλλος τῶν ἀυτῇ πορφυρῶν. In actis apoſtolorum Lydia πορφυρόπωλις πόλεως Θυατείρων cognomine exſtat: cuius Theatyra,

Digitized by Google

tyra, genere, vt puto, Lydia, vnde ei nomen fuerit. Est in eam rem Eustathii locus, quod Caria Lyciaque oriundae praestent arte tingendi eboris φοινικῷ χρώματι. Claudianus de raptu Proserpinae: *non sic ardet eburnum, Lydia Sidonio quod foemina tinxerit ostro.* Achilles Tatius in eroticis: καὶ ἐμιμεῖτο πορφύραν οἵαν εἰς τὸν ἐλέφαντα Λυδία βάπτει γυνή. Heliodorus in Aethiopicis δάπεδας καὶ στρωμνὰς πεποικιλμένας Σιδονίας τε καὶ Λυδίας ἔργα χειρός.

Quanta fides Graecorum ψηφισμάτων fuerit, ex Ciceronis oratione pro Flacco constat. Attamen Deliis credamus, si decedenti insula Theophrasto is honos fuit habitus. Hoc autem ΓΕΝΟΜΕΝΩ significat. Potest tamen et *facio primum*, significare. Parum refert, quanta fides sit. Cenotaphium vtique hoc marmor non fuisse, sed statuam, ex superiori parte cernas. Cenotaphium aeque non licuit in Delo collocari, ac mortuum condi. Statuae autem quo maiorem ornatum sacris locis adferebant, quanto maiori artificio factae, quanto grandiori pretio emtae, tanto gratiora diis habebantur. Omnia enim in his sacris composita erant ad celebritatem admirationemque conciliandam, qua multos allici sciebant. Id artes aluit maxime; idque est adeo, quod in titulo legimus ΑΝΕΘΗΚΑΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙ. Vale Regiomonte CIↃ IↃ CCXXI. IV. Cal. Junii.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO DE NVMO RHODIO IN AGRO SAMBIENSI REPERTO, IN QVA SIMVL QVAEDAM NVPER DE NVMIS ROMANIS IN AGRO PRVSSICO REPERTIS COGITATA RETRACTANTVR.

Nicolao Kedero Nobili Sueco Regii antiquitatum Suco Gothicarum collegii Assessori.

Cum, quae nuper de numis Romanis disserui, vehementer tibi placere, pro tua humanitate ad me scripsisti, non possum, quin, quae in veteri opinione emendaui, ad te quoque mitterem. Non modo, quod sic meritus es ab ea comitate, quam mihi exhibuisti, vt, cum superiorem commentarium viro vni omnium doctissimo meique studiosissimo Christiano Goldbacho dicarem, hanc dissertationem tibi inscriberem, quem mihi, illo conciliante amicitiam, beneuolentissimum esse cognoui: sed etiam, quod ipsa res a me postulat, vt si optimum, te vtique potissimum iudicem sedere velim. Est in te tam eminentis doctrinae gloria, tanta in vetustissimis indagandis sagacitas ingenii, vt quoties numum vultus tui, quem munere tuo teneo, contemplor, toties iudicem, scitissime in te exhibitam fuisse stellae imaginem inscriptamque: IN TENEBRIS LVCEM. Nec ego hoc dico vt te laudem, quum omnem celebrationem nominis tui,

Digitized by Google

Elisae Brenneriae eruditissimae ad miraculum Sapphus vestrae, viuidum ac caeleste carmen obfuscat: sed quod de te praeclarissima cogitanti, non possit non aliqua meae existimationis commemoratio mihi excidere. Valetudinem, de qua conquereris, tibi secundiorem esse vel meo incommodo velim, cum in ea senectute et experientia multum adhuc prodesse litteris possis. Quod autem a te iamdiu nihil litterarum, ex eo afflictiorem, quod Deus auertat, metuo factam esse. Ita ego vero demum mihi ipse viuere videbor, si tibi et incolumitatem et cetera secunda fortunae ex animi tui sententia obuenisse cognovero. Vale Regiomonte III. Id. Sextilis CIↃ IↃCCXXIII.

Inuentus est anno CIↃ IↃCC VII. in Sambiensi agro, Fisausensis vbi praefectura est, hic numus, qui nunc apud Andream Lilienthalium amplissimum virum, et in insigni dignitate, patriae literarumque amantem seruatur. Aeneus est, aerugine admodum viridi et pulchre habitus. In aduersa est caput Apollinis liberali vultu, coma decenti et fluida, nisi qua eam laurus stringit. Sunt et in fragmentum illius quaedam literarum notae, obliteratae ab incisura marginis. In auersa est Rhodia rosa et Minotaurus.

Rhodiis illum numum et Apollinis vultus et in primis rosa in auersa vindicare videntur. Qui Pindarum in Olympionicis, ode septima in Diagoram, aut eius Scholiastam leget, is nihil amplius desiderabit de fabulis, quae ad Apollinem et Rhodum pertinent. Cognoscet autem, nonnullos Rhodum, Amphitrites, hoc est maris, et Solis filiam prodidisse: alios, e quorum numero Herophilus fuit, Neptuno et Venere natam, deinde Soli nupsisse: natos ex eo matrimonio septem partubus Ceoarphum, Ochimum, Actin, Marcareum, Tenagen, Triopum, Phaethontа, et super his filiam Ηλεκτρυώνα. Eo et Aelius Aristides in oratione de concordia [1]) solem ἀρχηγέτην Rhodiorum vocat, et ἱερὰν τῷ ἡλίῳ πόλιν Rhodum Isocrates

1) p. 398

ergm Soli vrbem. Praeterea alii referunt, forte obuenisse Rhodi imperium Soli, cum dii deaeque omnes peculium suum, caelum terrasque, partirentur. Cultus ex eo Sol in Rhodo. Confirmant hoc tot numi, Solis radiato vultu signati, confirmat Colossus, tantae opus impensae, vt, quod Lucianus in Ioue Tragoedo cauillatur, ils sumptibus sedecim aurei dii potuissent fieri. Totius fabulae ratio in natura et historia merito constituitur. In naturae commentatione occurrit nobis maris et portuum (quos elegantissime Aristides descripsit in Rhodiaca) opportunitas: qua cum Rhodus maxime veteretur, inde Neptuni et Amphitrites et Oceani credita est Rhodus: occurrit quoque terrae vbertas et amoenitas aeris in ea insula, quo Lucianus in amoribus respexit: ἄξιν ἔντως ἡ πόλις ἡλίᾳ, πρέπον ἔχουσα τῷ θεῷ τὸ κάλλος. In reliqua frugum affluentia, rosa illius agro insulae frequens fuit, quam Didymus Alexandrinus in geoponicis ratus est θειοτέρας μετέχειν φύσεως. Credita idcirco Rhodus Veneris filia, διὰ τὸ ἀνθηρὸν καὶ χαριέστατον, vt Pindari scholiasta vetus iudicat. De aere autem Plinius testis est, *Rhodi numquam tanta nubila obduci, vt non aliqua hora sol cernatur.* Ad historiam in ea fabula pertinere videntur Rhodi ex Sole liberi, e quorum numero credo Phaetontem, mercatorem succinarium exstitisse, ac, cum ad eum diem Rhodii succina accepissent e Ponto, euectum eum ad occidentem litora nostra quaerere instituisse, in medio deinde cursu fecisse naufragium. Inde Electryon soror eius, id est, succinaria negotiatio, eum luxit. Cetera, quae de Phaetonte dicuntur, (vt in plerisque aliis fabulis ex vera historia ortis) adiecta fuere ex naturae commentatione aut a poetarum ingenio. Pleraque ad eam, quam veteres prodidere, succini originem pertinent.

Iuxta solis effigiem literae, quae legi possunt, hae sunt NEO . . . . Quid, si NEOΠΤΟΛΕΜΟΝ legamus et interpretemur eo cognomine praetorem Rhodium? In numis a Begero editis praetores reperiuntur Antaeon, Marion,

Marion, Ariſtedas, Straton, Dampas, Anaxidotus, Actio, Dexicrates, Artemon, Maes, Tharſylas, Temoſtratus: apud Golzium, Ganaſimachus, Timotheus, Lyſon, Chryſomandrus, Ariſteus, Xeimoſtratus, Pamidus: apud Nicolaum Haymum Romanum, in Theſauro Britannico, exhibetur Ariſtacus (quem Ariſtocratem ducem interpretatur, cuius apud Suidam exſtat mentio) apud Polyaenum in ſtratagematis Agathoſtratus. Alii alibi.

Iam in auerſa numi huius parte cernitis roſam Rhodiam, qualis frequens exſtat in numis Rhodiorum. Haec vel in primis facit, vt ad Rhodios eum numum pertinere iudicemus. Sed obiicit mihi quisquam, minotaurum, qui potiori ſtat loco, Cretenſium esse insulae coloniarum ſymbolum eſſe. Rhodii autem ſecundum Herodoti Euterpen Dores erant. Inde et Aelius Ariſtides in Rhodiaca [2]) hortatur eos, vt ſeruent in calamitate τὸ πάτριον τοῖς Δωριεῦσι φρόνημα auitam Dorienſium magnanimitatem et in oratione de Concordia [3]) Lacedaemonios ὁμοφύλους gentiles vocat Rhodiorum: et [4]) a Doribus e Peloponneſo oriundos Rhodios ſolos hactenus ſinceros Graecos, Heraclidas et Aſclepiadas auctores originum ſuarum habuiſſe. Scholiaſta Thucydidis: Δωρίδες νῆσοι, Ρόδος, Κως, Κνίδος. Argiuorum profectionem in Rhodum Pindarus et Strabo accurate enarrant. Enimuero ex iisdem conſtat Telchines ante Argiuos ex Creta immigraſſe Cypro et deinde Rhodo. Dices autem, quia Argiui poſteriores Cretenſibus venerunt, potiorem poſtremae coloniae memoriam futuram fuiſſe, itaque te mirari, quod Minotaurus loco exſtat praecipuo, roſa veluti per negligentiam minori ſpatio inſeratur. Et eſt hoc certe aliquid. Fortaſſis ergo numus ad Caunios pertinet Rhodiorum tributarios, Cretenſium, vt Strabo hoc docet, colonos. Manet enim Cretenſis metropolis inſigne Minotaurus, vt in Hyrinorum, Nolanorum, Neapolitanorum, Gelae, Sueſae

2) p. 360. 3) p. 386. 4) p. 396.

Digitized by Google

Sueſae Aruntiae ceterarumque Cretae coloniarum aere. Credo autem Cretenſes, cum primi omnium, (ſi qua Thucydidi de tam antiquis fides,) mari potentes eſſent, per mercaturas cum Boſporanis biſontem e Scythia aduectum ac in labyrintho conſtitutum (ferocem vtique belluam et barbaram in modum viri) originem fabulae de Minotauro ſemiuiro dediſſe. Vultus Minotauro is eſt, quem Oppianus aliique biſonti tribuerunt. In eodem denique numo hoc, Caunii Rhodiam roſam et Solem cum Rhodii praetoris nomine ſignarunt, quod Rhodiorum ſub poteſtate et imperio eſſent.

Oritur ex eo quaeſtio multo grauior, quinam a Cauniis aut a Rhodiis eorum dominis, ad nos peruenerit numus? Mihi ſit veroſimile, factum hoc eſſe per Boryſthenitas mercatores. Multas ad Ponum Graecas colonias exſtitiſſe ex Scymno Chio, Scylace Caryandenſi, Dionyſio Afro, Agathemere, aliis, oſtendere poſſum: nulla tamen ſic oportuna ad Sarmaticas mercaturas, quam Olbia: Boryſthenem a fluuio vocauere poſteri. Vrbis ſitum habes apud Herodotum et apud incertum autorem peripli Ponti Euxini. 5) Pomponius Mela duo oppida facit Boryſthenida et Olbiam: in quo vehementer fallitur. Stephanus Byzantius: *Μιλησίων ἀποικία.* Strabo id confirmat. Vterque opinor, ex Herodoto. Conditam dicit Euſebius Olymp. XXXI. Ad ſitum vrbis eius deſignandum, haec ſunt etiam nimis multa.

Cum Boryſthenitis Rhodii commercia miſcuerunt. Nam vt Ariſtides ait 6) *ἔπλευσαν μὲν ἅπασαν, ὅση πλοΐμος θάλασσα. Omni mari, qua nauigabile erat, nauigarunt.* Rhodii fortaſſis ab Olbitis etiam ſuccina acceperunt. Homero et Heſiodo nec ſuccinum nec Phaethontis fabula nota eſt. At Herodoto ſuccinum ab aquilone ferri et ab Eridano, notiſſimum fuit. Inter haec tempora, aetate tamen propriori ad Homerum, et Boryſthenes colonia eſt deducta, et ſuccinum perlatum ad Rhodios,

et

5) p. 18. ed. Hudſ. 6) p. 364.

Digitized by Google

et fabula nata de Phaethonte Rhodio. Inde quoque est, quod Herodotus de succino, et cum eo alii Graeci de gentibus ad vtramque ripam Borysthenis, longe veriora et ampliora prodiderunt, quam Romani: nam propius per Borysthenitas cognouerunt. Etiam Herodoti aetate vlteriora fuere notiora, quam Claudii Ptolemaei aut Arrani temporibus. Ex quo illud fortasse fit verosimile, Herodoti temporibus Olbitas latius mercaturas tractasse, quam vllo tempore post, cum per Alanorum incursiones et stultas immoderatasque opum eius ciuitatis emunctiones, denique et vrbis euersionem, interruptae fuere. Credibile est igitur ante Herodotum multo adhuc liberiorem nauigationem Borysthenis fuisse, cum finitimi auiditate Graecorum nondum corrupti ad iuidiam et rapinas erant. Sunt quidem in Borysthene cataractae, sed eas non puto impediuisse nauigationes Graecorum. Opinionis meae duo argumenta sunt. Primum testantur veteres, Borysthenem quadraginta iter dierum praebuisse Graecis nauigantibus, quod sine dubio vltra cataractas fuit. Tum Herodotus vero vlteriora Borysthenis pro incompertis reliquit, quod ibi frigora et glacies totum obtinerent fluvium. Quod ego sic interpretor: Borysthenitas totius aestatis nauigatione profectos aduerso Borysthene, paene ad ipsos fontes, ab hieme, deprehensos, congelato fluuio asperam stationem habuisse, eaue de causa postremo omisisse hanc nauigationem. Aliter hoc de frigore explicari non potest. Sed de Borysthene necesse est, antequam progrediar, aliquid monere. Olaus Rudbequius erat sine omni dubio, 7) cum existimat Pripelium antiquum Borysthenem esse, nomenque hoc ab fonte ipso perduraſſe in ostia: Danaprin autem, qui ab oriente Pripelio occurrit, Hypanim veterem esse. Sed qui Herodotum leget, (ne dicam ceteros,) is animaduertet Hypanim ad occidentem in ipsis ostiis Borysthenis poni. Ibi sane Bo-

gus

7) c. IX. f. 428.

Digitized by Google

gus (vetus Hypanis) miſcetur Danapri, vti Scaliger ad Euſebii chronicon accurate annotauit. 8) Praeterea confluxus Pripelii et Danapris multo longiori ſpatio a mari abeſt, quam vt ibi Olbia ducentis et quadraginta ſtadiis a mari ſita fuiſſe potuerit. Fontes Boryſthenis a veteribus ponuntur in Alaunico monte. Loquuntur autem non de Pripelii, ſed de Danapris fontibus; nam Danapris vetuſtiſſimum Scythicum nomen eſt, quod incerto autori peripli ponti Euxini notiſſimum fuit, forte et Iornandi, ſi eum ita, vt Voſſius et Doduellus, emendes. Iſthic enimvero, inquiunt, montes ſunt nulli, ſed perpetua planicies. Nec ego poſtulo, vt montes ſint. Solemne fuit veteribus, vt vbi fontes fluminum eſſent, iſthic et montes ponerent, quos fluminum omnium eſſe aquales credebant. Satis eſt, iſthic fontes poni Boryſthenis, vbi nunc ſunt Danapris. Plinius a Neuris oriri Boryſthenem dicit: Naruenſium, vt putat Rudbequius, maioribus. Iam adparet, aduerſo Boryſthene profectos Olbitas, haud procul a capite fluuii abfuiſſe. Ab eo Duna haud ita longe abeſt, ad quem mercatus ſuccini inſtituti fuerint.

Hoc vt planius intelligamus, animaduerti velim Dunam Rudonem, hoc eſt Eridanum eſſe veterem. Eius opinionis argumenta habeo, quanta poſſunt in re tantae vetuſtatis et praeterea monumentis ſuis deſtituta. Primum Cl. Ptolemaeus et Marcianus Heracleota nobis flumina huius maris eo ſitus ordine edunt:

Viſtulae oſtia	45. 56.	Rhudonis	53. 57.
Chroni	50. 56.	Turunti	58. 59.

Marcianus: Μετὰ δὲ τὰς ἐκβολὰς τῆ Ουιςύλα ποταμῦ, ἐκδέχονται χρόνα ποταμῦ, ἔξῆς εἰσι Ῥαδῶνος ποταμῦ ἐκβολαί. Ο δὲ Ῥαδων ποταμὸς ἐκ τῦ Αλάνα ὄρας φέρεται· *Viſtula, Chronus, Rhudon ſe excipunt deinceps. Rhudon ex Alano monte fertur.* Ibi fontes Dunae indigitantur, qui prope abſunt a fontibus τῆ Δανάπρεως ſiue Boryſthenis. Ac longitudinis quoque gradus id admittunt.

8) f. 82. ed. Amſt.

Digitized by Google

tunt. Quamquam enim secundum rationes Ptolemaei orientalior videtur esse Rhudon, quam Duna est, tamen animaduerti velim, litus hoc omne a Ptolemaeo in orientem longius protendi, vt alios quoque facere, annotari ab Eustathio ad Dionysium Afrum memoria teneo. Sic religio nobis non est, situs locorum nimis ad orientem ab eo designatorum, reduci ad occasum. Ita Chronus est Russa seu Niemon, Duna autem Rhudon.

Sed oritur hic nobis aduersarius Olaus Rudbequius in Atlantica, qui et Alaunos montes et Rhudonem, sub alio caelo collocat. Alanos montes 9) in Lapponia, vbi *Malungz fiael larne* seu *iuga Malunia* sunt. Ab his versus occidentem Budinos montes, vbi *Budebaerg* nunc est; Galindas magis ad occidentem, propiores Norwegiae, vbi *Gallinswald* id est Gallinica Sylua. Quod Cato dixit, non credere se, augures conuenire duos, quin rideant arte sua populum illudi, id puto Rudbequio et Verelio vsu veniisse, quoties conuenirent: viris vtique clarissimis, sed qui vix quidquam ex animi sui sententia dicerent. Pudet me in re tam aperta, veluti dubia esset, contra eos argumentationes expromere. Sed idem in Rhudone maiores etiam fabulas edit. Primum vbi ego Rhudonem voco, Rudbequius autem Rhubonem, in eo nolite mirari. Ego Marciani Heracleotae, is Ptolemaei vulgatam lectionem sequitur. Vtram lectionem rectius sequamur, non alia res magis, quam situs fluminis cognitus aperiet. Iam vero, Rudbequius Chronum dicit, *Vinian* Finniae esse (Credo autem eum de Onega ibi loqui.) Rubeum autem *Rubensconem* seu Duinam ad S. Michaelis Archangeli, Turuntum porro *Torneflod* seu fluuium ad Tornam in Suecia. Hoc est, ponere

Vistulam gradu 40.	Rhubonem 61.
Chronum 60.	Turuntem 43.

I nunc et dic Rudbequium secutum esse veteres!

9) Vid. in eo tabulam Sueciae.

Digitized by Google

Rhudone constituto, Eridanum mihi inuenisse videor. Non est contemnendum, quod Aeschylus, Euripides et Apollonius Rhodius Eridanum interpretati sunt Rhodanum. Credo ego eos de Rhudone nostro audivisse, sed de Rhodano Hispaniae perperam fuisse interpretatos. Ac veteribus vtique notum fuit, Eridanum eum infundi Baltico mari. Herodotum vide. Scylax Caryandensis: 10) μετὰ Κελτὰς Ενετόι εἰσιν, ἔθνος καὶ ποταμός Ηριδανὸς ἐν αὐτοῖς. Scio Scylacem ibi de Venetis Italiae loqui: sed acceperat is a maioribus vltra Celtas seu Germanos (nam vt apud Cosmam Indicopleusten insigne fragmentum Ephori nos docet, etiam hi ad Celtas pertinebant) colere Venetos ad κόλπον Ουενεδικὸν vt Cl. Ptolemaeus et Marcianus Heracleota loquuntur: isthic egeri Eridanum. At quoniam incompertas sub septemtrione habebat regiones, Venetos autem Adriae accolas nouerat, inde et ipse et multi alii de his Venetis se aliquid legere crediderunt, vbi de Venetis nostris sermo fuit. Qui autem rem accuratius considerarunt, nec Eridanum apud Adriae Venetos reperiri, nec isthinc succina egeri, nec omnino eorum natale solum alibi, quam sub septemtrione esse intellexerunt. Peutingeriana tabula ad haec litora: *Venadi Sarmatae* et ad Pontum Euximum: *Venedi.* Philippus Cluuerus ad Gedani Radunam traxit Eridani nomen: sed assentandi eum caussa id fecisse opinor, cuius si quas caussas priuatas habuit, non ego studium et amorem patriae viro clarissimo exprobro. Mihi veritatis potior, quam patriae ratio est. At Duna fluuius amplissimus et late patens et, veteribus notus, et proxime a Borysthene, qua nauigatur, (quibus omnibus Raduna amne superior est) aequius id nominis feret. Iam vero Herodoto narratum fuit, Eridanum subire mare ad septemtrionem, ἀπὸ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾷν λόγος ἐςί.

Non

10) Rudbequius f. 59. male: *Scylax et ipse Gallos Germanosque ignorat. Celtarum meminit.* Dum enim Celtas vocat, et Germanos et Gallos communi nomine appellat

Non ait ibi gigni, sed isthine perferri succina. Fabula veris narratis abusa in eo fluuio inueniri commenta est. In mercaturis autem vetustis plerumque ad magna flumina mercantium stationes erant. Sic ad Istrum mercatus fiebant, compulsis etiam Romanis intra ripam strigam se continere: sic serici mercatura ad fluuium olim exercebatur, de quo Arrianum in periplo maris Erythraei testem cito. Ita ad Dunam quoque Veneti suum succinum venum expossuere, vt fontium Borysthenis accolae, Borysthenitis traderent: inde ad Rhodios Graecosue alios perferretur. Herodotus quidem de Eridano eo sibi referentibus credere noluit. Sed leui argumento inductus, quia neminem repererat, qui septemtrionale mare vidisset ipse. Caute hoc et prudenter. Nota est Epicharmi cantilena μέμνασο ἀπιςεῖν. Attamen, vt dixi, leue illud est argumentum. Et multo leuius alterum, quo vtitur, quod Eridanus nomen esset Graecum, non barbaricum, inde, quae de eo referrentur, Graecorum figmentum sapere. Enimuero satis compertum habemus, quod Graeci omnium vocabulorum sonos emolliuerint, vt ab ore suo non abhorrerent. Si referre Medica et Persica vocabula ex ipso Herodoto luberet nobis, quod satis est notum omnibus, id quoque ex iis ostendere possemus, Graecos vocabula barbarorum, quantum poterant maxime inflexisse ad suos sonos. Plato in Cratylo de ea consuetudine, more suo, acute et suauiter disputat. Is quoque in Timaeo non est ausus Atlanticae vocabula retinere, nisi Graeco ore emollita. Rudbequius tamen voces Suecicas adeo aperte sub Graeco quasi pallio deprehendit, vt parum abesset, quin nobis assensum de Atlantica sua extorqueret vel inuitis.

Quo vero tempore numus Caunius seu Rhodius ad nos perferri potuerit, facilius sit quaerere aliis, quam nobis respondere. Coniectura tamen ducor, vt credam id factum esse ante miserabilem Rhodi cladem, quam Aristides describit, cum portus, qui e lapide in mare pro-

ducti erant ac separatim alii, naues ex Ionia, alii e Caria, alii ex Aegypto aut Cypro et Phoenice naues accipiebant, terrae motu cum tota vrbe ita sepulti fuerunt, vt vix vestigium noscereturr. Immo vero, fortassis Borysthene adhuc salua: Alanis nondum medias regiones obsidentibus. Dixi de eorum expeditione in praefatione monumentorum Prussicorum. Dio Chrysostomus scribit, ante se annis centum et quinquaginta, Getas cum ceteris barbaris cupiditate alienarum opum et florentium inuidia vrbium inuasisse Graecas ad Borysthenem colonias: iis excisis, mercaturae desiderio compulsos ad poenitentiam barbaros fuisse. Sero Phryges sapiunt. Verus diuerbium, dictum de illarum stupiditate gentium percommode. Nam auersas semel opes et mercantium consuetudinem, multorum opus annorum, restituere Borysthene non potuerunt. Habita est Borysthenica oratio Dionis, quatuor et nonaginta annis a Christo nato. Igitur calculus exibit, annis sex et quinquaginta ante Christum natum Borysthenicas mercaturas barbarorum auiditate disturbatas esse. Et ante id tempus nummus ille ad nos perferri potuit. Reliquum est, vt, quia imagine et arte etiam infantes, nedum barbari, delectantur, pro hospitali munere eum Veneti acceperint, aut Fenni potius et Aestii. Nam sicuti de Romanis coniecturam edidi, vt non prorsus negarem pretium apud maiores nostros pecuniae eius aliquando esse potuisse: ita, cum hoc nullo satis firmo argumento probari queat, inclinat magis animus ad priorem coniecturam. Locus est in Cosma Indicopleuste Aegyptio eximius, quem ego huc ponam, quia eo aliquantum iuuari potest eorum opinio, quibus multo verosimilius, quam mihi, est, antiquissimis temporibus Romanae pecuniae etiam in Prussia pretium fuisse. Ita scribit: [1]) Potentiae Romanae, argumentum esse, quod ἐν τῷ νομίσματι αὐτῶν ἐμπορεύονται πάντα τὰ ἔθνη καὶ ἐν παντὶ τόπῳ ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου γῆς ἐκεῖθεν ἐστὶν ἀνθρώπου καὶ πάσης βασιλείας ἕτερος ἕτερος

1) f. 148. id. Montf.

ἑτέρᾳ βασιλείᾳ οὐχ ὑπάρχει τὸ τοιοῦτον. *Numis ait romanis pretium esse inter vniuersas gentes et omnia loca; a terrae extremo vno ad alterum vsque accipi ab omnibus hominibus, ab omni regno: quod alii regno non item accidat.* Haec ille scribit de Byzantiis, sub Iustiniani primi imperio.

Postremo quemadmodum hic numus in terram pervenerit, ex eo possis colligere, quod de Romanis numis apud nos repertis prodidi. Ac contumulandae pecuniae consuetudinem, ex iis numis, qui reperti fuere in vrnis certo cognoscas. Ne repetam hic ex Olao Vormio 2) aut Olai Rudbequii Atlantica, 3) et quae Nicolaus Keder, quem honoris caussa appello, in Othino suo annotauit 4) de Sueonicis aut Danicis sepulturis, vnius Gabrielis Rezonzynski S. I. praestantissimi et doctissimi viri testimonium adferam: *In palatinatu Posnaniensi*, inquit, in historia naturali regni Poloniae, 5) *dum A. cIↃ IↃcc x. saeuiente lue pestifera, tumuli pararentur ad oppidum Byczywol, vrnae sepulchrales septem apparuere. In eodem palatinatu, prope rus Gembice vicinum Pempowo, in apertum prodiit, vomere protusa vrna, continens praeter cineres, ossiumque segmenta, etiam numos argenteos, alios crassiores, tenuiores alios similes bracteatis, cum hac inscriptione, S. Adalbertus. Tenui aliquot oblatos mihi a fundi domino et in honorem antiquitatis, nobilissimo Horniano museo Gedani intuli.*

In talibus vrnis omnes credidi numos reconditos fuisse, qui hodie reperiuntur etiam extra vrnas. Duae inde sententiae fuerunt, cur sine vrnarum aliquo vestigio numi plerique reperirentur. Altera, Friderici Vilelmi Magni Electoris, qui credidit, vrnis erutis e terra et confractis, effusos fuisse numos. Altera eorum, qui credunt, vrnis a vetustate consumptis, relictos in terra numos esse.

2) In monumentis Danicis f. 46. 51. 3) f. 239. cap VII. 4) p. 58. 64. 5) p. 14. Adi et Scholiastam Adami Bremensis ad pag. 154. n. 97. ed. Maderi.

Digitized by Google

Quarum illa vtique probabilior est. Sed in mentem venit, quod verissimum iudicarem, quodue, ipsum haec scribentem nescio quomodo fugit. Non fuit vna tantum componendi mortuos ratio, combustis eorum cadaueribus, sed triplex. Simon Gruna ita describit. Plebem in tumulo condebant, qui proximus fieri poterat. Nobilem seu *Supanum* itidem in tumulo, quem iuxta aulam eius fecerant condebant indutum veste optima, in qua rem diuinam facere consueuerat, et huic adiiciebant pecuniam viatici loco, equum item et canes venaticos, ollamque cum mulso ad caput ponebant et obruebant terra. At regulos seu *Kumgos* pontifices comburebant cineremque in vrna sepeliebant proxime principis cuiusque castellum. Super vrnas aggerebant colles et toto mense certos homines ad tumulum lamentari sinebant, iterque praeter eum facientibus mulsum praebebant, id fore mortuis solatio arbitrati. Quos hic Gruna *Kunigos* vocat, hi principum et regulorum dignitate habebantur. Nec debet cuiquam vocabulum hoc Teutonicum videri. Otto Sperlingius eruditus Danorum antiquarius id vocabulum a Danis suis prorsus repeti vult, adeo, vt scribat, 6) Hunnos et Russos regum suorum nomen *Konning* vel *Kong aliunde petere non potuisse, quam ex Dania, vbi tam celebris votis cunae primae et domicilium fuit.* Sed est vocabulum illud tam late patens, vt paucae gentes fuerint, quae eo non vterentur. Ego tantum Turcarum et Tartarorum titulum *Kaan* (qui tam frequens est apud Arabas in Gingiscanidarum imperio) et *Chan*, *Cham*, *Han*, *Chakan*, Χαγάνος (iam Menandro, Prisco Panitae, Simocattae, et omnibus illius tempestatis scriptoribus nimis notum nomen) *Cacanus*, *Hakon* apud Teixeiram, in memoriam reuoco lectoribus, ac quae alia congessit eruditus autor in Miscellaneis Berolinensibus. Quae rectius fortassis ab oriente et a יכן Hebraeorum repetas, quam a septemtrione. Hic enim titulus ne tum quidem Francis,

6) De regio nomine *Konning* p. 27.

Digitized by Google

cis, Danorum, (vt Leibnitius nos docuit) contiguis, notus fuit, cum eam versionem ederent, quae Vlphilae et Gothis ad Euxinum male tribuitur. Isthic regum illud nomen Teutonicum, quod nunc est, non occurrit, sed *Thiudans* rex, *Thiudinasses* vel *Thiudangardi* regnum vocatur. Idque vsque ad Danum Secundum Magnificum Sperlingius in septemtrionalibus quoque in vsu fuisse, concedit. 7) Tum enim primum innotuisse alterum vocabulum. Snorroni Sturlsonio antiquissimo Norvagicae historiae autori, traditum est. Aliqui eum lapsum putant, et pertinere originem tituli ad Danum primum. Tormodus Torfaeus Islandus regis Daniae historiographus, in serie Dynastarum et regum Daniae, Rudbequii omniumque aliorum, immensae antiquitatis septentrionalium gentium assertorum, rationes mirifice disturbauit. Is 8) fatetur regum seriem Odino et migratione Asianorum Scythica, antiquiorem in septemtrione nullam dari. Eum ante Christum natum LXX. profectionem instituisse. 9) Accessit opinioni eius Nicolaus Keder clarissimus antiquarius. 10) Circa eadem tempora, in monumentis Prussicis ostendo, migrationem Alanorum a Maeotide in has terras, quas nunc Lithuani tenent, ponendam esse. Cum iisdem venisse Galindas Sclauanos et Sudinos. Vt adeo non titulum modo, sed fortassis etiam stirpem, Alanis, nostris maioribus debere Suecos et Danos, aliquis asserturus sit post me. Hoc veluti in vicem iis dicimus, qui tantum non omnem terrarum orbem ex *vagina fua* prosiluisse contendunt. Ac Ioanni Bazio 1) praesertim, qui primus credo Alanos in Aelandia sua exciuit. Ceterum, quod Sperlingius scribit, Septemtrionales cito abusos titulo *Konger*, vt tot ex Norvagia Dania et Suecia prodierint, quot prouincise, vt nullus finis aut numerus esset; id etiam apud nos post Videuntum regem accidit. Sed praeter *Kunigos* apud nos quoque *Supani* fuerunt.

7) p. 33. 8) p. 226. 9) p. 105. 10) p. 5.
1) f. 977.

Digitized by Google

Etiam aliae gentes eo vocabulo sunt vsae, sed vt adscititio. Villermus Tyrius [2]) de Seruiis: *hi magistratus habent, quos Suppanos vocant.* Nunc in Lithuania regem vocant *Karales* adscito a Polonis vocabulo: at nobiles suos et parochos *Kunnigs* et *Supani*, alios honoris caussa, *Ponatis.*

Haec ad illustrandum Grunam dici debebant, de cuius fide et integritate alibi dixi. Atque inde etiam est, quod tam paucae vrnae reperiantur. De Lithuanicis et Polonicis vrnis Miechouita quaedam dixit. Sed Gabriel Rezonzynskius de paucis admodum aliquid accepit. Faceor, motas loco fuisse aliquas, sed plerasque mansisse ad hunc diem ex eo fit verosimile, quod in tumulis editioribus conditae fuerunt, qui praeterea lapidibus strati essent, vt per agrestes vomere moueri non possent: curiositas, ad hunc diem paucorum fuit. Itaque cum reguli non ita multi essent, mirum non est paucas quoque vrnas exstitisse. Ille autem mos sepeliendi Supanos antiquissimus et vere Scythicus est. Constat id omnino ex Herodoti Melpomene, in qua Scytharum eorum, ex quibus maiores nostri orti sunt, sepulturas regias ita describit: scrobem ingentem effodisse forma quadrata, mortuum impositum super torum in loculo, hastis vtrimque defixis pallio contexisse: tum pellicum vnam et pincernam et coquum et equi magistrum, et qui a nunciis fuerat, equos item et rerum aliarum primitias et phialas aureas demissas in foueam. Nam, inquit, ἀργύρῳ οὐδὲν, οὐδὲ χαλκῷ χρέωνται. Deinde humum iniecere, vt tumulus maxime fieret editus. Anno post, obtruncatos et equis impositos ministros regis, acto per equum virumque stipite, super sepulcro collocarunt. Plebis eandem, tantum non tam profusam sepulturam fuisse scribit. Quod de pecunia annotat Herodotus, id de eius aetate intelligendum est.

2) p. 22. Inuentarii ecclesiae Sueo Gothorum s. Historia ecclesiastica. Lincopiae 1642.

Digitized by Google

eſt. Nam cum pretium pecuniae noſcere didicerunt, etiam eam defoderunt. Id Ioſephus Barbarus in Scythico tumulo, vt poſtea dicam, deprehendit. Et vt eundem morem contumulandi opes, apud Alanorum maiores in minori Aſia, frequentem fuiſſe ſcias. Philoſtratus in Apollonii Tyanenſis vita refert, 3) Cilicem conqueſtum apud Apollonium, quod diſcrimen vitae ſuae pararetur propter diuitias: Apollonium vero protinus, an ex latrociniis aut effodiendo regum ſepulcra, auro et theſauris referta, diuitias eas comparaſſet, quaeſiſſe: veluti de re nota, Cilices fures, et iis in regionibus plena, regum ſepulcra, diuitiis eſſe. Qui conferet Herodoti narrationem cum Pruſſorum ritibus a Gruna expoſitis, is congruentiam prorſus deprehendet.

Vnde igitur comburendi regulos conſuetudo orta eſt? Olaus Vormius in monumentis Danicis 4) ſuos quoque oſtendit tantum combuſſiſſe regulos. Iam autem Ioannes Scheferus in Vpſalia ſua nihil dubitauit, Sudinos a Suecis caeremonias ſacrorum accepiſſe. Immo vero etiam Sueci ritus ſepeliendi ab Odino accepiſſe videntur, et Pruſſii ab iisdem Alanis Scythisue, a quibus Odinum profectum ſuperius dixi. Sed dicat quiſpiam Scythas inhumaſſe mortuos, et vero conſtare ex Herodoto, retinentiſſimos caeremoniarum fuiſſe, itaque verosimile non eſſe, eos aliunde comburendi regulos et principes morem mutuatos eſſe. Verum illud quidem de Herodoti aetate. Poſterius tamen multo maxime Graecis caeremoniis fauerunt. Hyperborei quoque Delum miſere ſuas θεωρίας, quae rem diuinam facerent. Teſtis Callimachus et Diodorus Siculus. Ad, ſi hic infercire vellem, quae Rudbequius paſſim de Graecorum et Suecorum ceterorumque Scytharum commerciis annotauit, nimis multa dicenda forent. Et ſunt quidem, quae ex ea re argumenta ducit, partim

3) f. 303. 4) f. 41.

Digitized by Google

partim falsa, partim obscura; res tamen ipsa vera est, interceſſiſſe consuetudinem etiam sacrorum Graecis, cum Scythis. Itaque Scythae Taurici, postquam multa alia a Graecis acceperant, ab iisdem reges suos concremare didicere. Reges solos inquam. Nam cum ligni inopia laborarent, teste Herodoto, sumptuosius id genus funeris fuit priuatis plebeii facultatibus. Mos mansit ad posteros, vt etiam in copia caeduarum syluarum, reguli concremarentur. Hic non possum Iosephi Barbari narrationem de tumulo Scythico praetermittere. Is Venetorum ad Persas orator, A. clɔ cccc xxxviii. prope Tanaim inuenit monticulos manu factos, monumenta et sepulturas veterum. Habebant alii colles, in summo, grande saxum cum foramine: in eorum vno thesaurum esse absconditum fama ferebat. Venetis vnum collem molientibus, tempestas et lapidum iactus et nescio quae alia obuenerunt, qualia et apud nostros tumulos fossoribus nonnumquam obueniſſe narrant. Perfodiebant tamen collem lapidibus oppletum, vt nostros esse tumulos ostendi, vt Suecorum quoque esse ex Rudbequio cognoscas. Solum erat nigrum, inde carbones, tum cineres ad palmi profunditatem, dein milii corticulae ad spithami craſſitiem, inferius Raiarum (qui pisces sunt,) squamae: porro terra alba et dura. Denique vasa lapidea apparebant, quaedam carbones, alia cinerem continebant, quaedam tergora piscium, nonnulla inania erant. Postremi generis etiam apud nos repertae sunt vrnae et apud Danos quoque, teste Vormio. 5)

Deque iis sic iudico. Posuisse veteres reges eodem tempore in tumulos totius familiae vrnas inanes: idque eo, quod, cum e Graecia aut e Ponticis coloniis perferrentur vrnae ad Scythas Tauricos seu Alanos rarius, praestaret simul multas emere, quam mortuo e regia domo ali-

5) l. c. f. 42.

Digitized by Google

aliquo, tum primum e Graecia petere maioribus sumptibus. A Graecis autem vrnas quoque petitas fuisse, figura manifestum facit, quae etiam in Prussicis et Suecicis prorsus conuenit cum Graecarum vrnarum formis. Monendus est lector, ne credat, me etiam Prussicas vrnas e Graecia petitas existimare: factas dico ad Alanarum vrnarum figuram, Alanas ad Graecarum formam. Tandem enim aliquando etiam Alanos figulinam artem didicisse ac prodidisse ad Prussos opinor. Iam cum Alani inanes in tumulis posuissent vrnas, vt quisque e familia prior moriebatur, ita in vrna sua reperiebat tumulum. Pater familias in maxima, matres in mediis, liberi in minoribus. Poterat autem accidere, vt eorum aliquis sub alio caelo moreretur, huic, veluti apud Graecos, relinquebatur vrna pro cenotaphio. Poterat item fieri, vt qui puer a patre in tumulo locatam vrnam accepisset, is vbi ad principatum peruenisset, suum sibi domuique suae separatum tumulum conderet: inanem vero eam vrnam relinqueret. At, dices, haec et multa alia potuisse in eum modum fieri, scire tamen te velle, quomodo reuera acciderint. Tum enimuero scias, me nihil scire.

Manet igitur, ex mea sententia, Prussos et Alanos a Scythis maioribus suis accepisse morem humandi, cum eo, quod pretiosum cuique fuisset, attamen et a Graecis didicisse exurere cadauera et cinerem colligere in vrnam, eodemque numos inicere. Sed opponet se mihi aliquis, ac vrnam ostendet runis Suecicis inscriptam, qua confirmare volet, Suecos nostris communicasse comburendi corpora et morem et instrumenta. Vide hic vrnam inventam ad primum lapidem a Gedano, in Schroederiana bibliotheca repositam et a reuerendo Frommio descriptam. Runis similes in ea notas esse, is demum negauerit, qui apud Verelium, aut Vormium, aut Rudbequium, aut Hadorphium in praefatione legum Gothicarum, mon-

Digitized by Google

monumenta vetera non inſpexit. Si Haraldinam rupem, Gunderupenſe, Iellingenſe, Grondallenſe monumentum inſpicias, cognoſces, vehementer multa conuenire cum huius vrnae litterarum ductibus. Nec deſideres a me, vt legam. Multae et diuerſae fuere runarum notae, quarum pleraeque interciderunt. Lege de his Aragrimum Ionam Islandum. Sed Frommius, qui de runis non ſatis inſtitutus erat, credidit hic ſe videre literas eas, quas praeferunt vulgares runae; immo vero, quibus codex argenteus ſcriptus eſt. In quo errauit. His ego denique ſic reſpondeo. Primum me, niſi inſpecta ante vrna, nondum credere Frommio de ductibus huius vrnae. Poterat enim fieri, vt hi ductus tantum ſtriae ex figulini opificii arte eſſent, quales adparent in vrna ea, quae in Palaeapolitana bibliotheca eſt, transmiſſa e Galindico agro et ante tres annos reperta. De ea igitur re, vt dixi, niſi inſpecta prius vrna ipſa, nihil decerno. Sed deinde, (tametſi hoc largiter concedam,) quid tum poſtea? Vrnam e Suecia vnam oſtendo tibi, ergo omnes aliae e Suecia nobis venerunt? dicam amplius, caeremonias funerum a Suecis habuere maiores? Non nego, per commercia, quae nota ex Adamo Bremenſi ſunt, vrnas quoque commutatas, e Birca adferri huc pro regulis noſtris potuiſſe: nec tamen video, cur tam rudes noſtros credere neceſſe ſit fuiſſe, vt ipſi figulinum opus facere neſcirent. Denique nequaquam colligi poteſt, tametſi et ea ampliſſime concedantur, religionem manium e Suecia ad Prutenos deſcendiſſe.

Iam ego me ita colligo. Quoniam conſtat, duplicem fuiſſe ſepeliendi conſuetudinem apud maiores noſtros, comburendi regulos et humandi nobiles, quotquot numi in vrnis reperiuntur, eos regulorum fuiſſe arbitror, ceteros numos, qui ſine vrna e terris eruuntur, iacuiſſe penes Supanos ſeu regulos humatos: corporibus et corruptis a putredine et oſſibus, ſi qua ſuperfuerunt, per aratra diſiectis, tandem et numos tales aliquo proiectos

ex

Digitized by Google

ex interioribus terrae visceribus, adparuisse. Haec mea nunc sententia est. Probabilibus nec fidem abrogo nec multam tribuo. Credo enim ab aliis probabiliora meis adferri posse. Meminerint tamen illi, mihi, per suia viam aperienti, condonandum esse, si quid aut reliquerim aut non attigerim. Ioculare est in tali antiquitate, in qua nos monumenta destituunt, veritatem sine errore consectari velle. Qui vero in talibus, quae coniecturis meris innituntur, sibi contradici nolit, ille, vt Pyrgopolinices Plauti, *elephanti corio circumtentus est, non suo: neque habet plus sapientiae, quam lapis.* Tametsi gloriarum plenus et

vno minor sit Ioue, felix,
Diues, honoratus, pulcher, rex denique regum
Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

DE
FONTIBVS ERVDITIONIS
ET
SAPIENTIAE GRAECAE

Inter tot gentes, tam antiquas, tam imperiis et opibus florentes, apud quas praesertim saus sapientiae honos esset, nullam exstitisse, quae vbertate ingeniorum Graecos non dicam superaret, sed aequaret, miraculo propemodum simile est. Tametsi enim aut Aegyptiorum, aut Persarum et Indorum et Phoenicum sapientia multorum sermone et monumentis concelebratur, tamen opinione hominum minorem eam fuisse adparuit, cum ex adytis, in quae abstrusa erat, protracta in lucem, admiratores suos hiantes illusit, et quam expectationem sui concitauit, sustinere

Digitized by Google

sustinere et tueri non potuit. Romani, qui non modo in earum studiis rerum, quae doctrina praeceptis et arte constaret, sed et in eloquentia vtraque, quae natura ipsa valet et mentis viribus excitatur, ingenium et virtutem et copiam ostenderunt, serius ad hanc laudem animo appulso, paucis annis intra ciuilium tempora bellorum deferbuere et praeter imitationem Graecorum nihil per se in omni disciplina repererunt. Hanc ingenii gloriam cum quadam felicitate coniunctam, non ita hospes in veteris memoriae cognitione est quisquam, quin, vt dixi, Graecis vindicet: nos vero etiam caussam eius rei non sine fructu quaeremus. Non diffiteor, esse aliquam vim clementiamque caeli, qua et Graeci sint vsi, eamque ad ingenium eorum aliquantum contulisse; attamen, quia Aegyptii et Itali multo etiam liberiori gratiorique caeli positu, et postea barbari eodem caelo Graeco, tantum ingenium non prodiderunt, me ipsa ratio in eam sententiam inducit, vt multo plus casui tribuam, quo Graeci in literarum studia opportune inciderunt. Nam quod semel pulcrum alicui genti videtur, id, vbi autoritas et aemulatio accedit, illico omnium studiis et consuetudine effertur. Hanc consuetudinem reip. ratio, leges, instituta et fortuna moderantur. Igitur Lacedaemone artium disciplinis eruditi exstitere nulli, quod eorum studia a literis ad exercitationem corporis per Lycurgi instituta auerterentur; nec probabilis quisquam orator in ea gente fuit, quae fastidio dicendi et breuitatis studio ingenia corrumpebat: et, quoad Graecia sub tyrannis fuit, poetices studium tantummodo floruit, genus dicendi, vt tum rei publicae status erat, seuerius et adstrictius ad numeros suos, libertas eloquentiam induxit, quam principio vsus probauit, mox exercitatio auxit, notatio denique et animaduersio, quid in quamque rem conduceret et quid in quaeuis inclinandi plebem momentum adferret, perfectam et consummatam artem peperit. Si qua autem vrbs omni instituto vitae morumque, adiumentis et subsidiis artium sibi paratis, ad

litte-

litterarum studia opportuna fuit, eam ego Athenas extitisse censeo. Athenienses in summa libertate recti erant verique amantes, tum, vt fit in talibus ingeniis, firmo et obstinato animo, frequentes in foro et qui, in sterilitate agri, mercaturae plurimum tribuerent. Hae res peperere studium nouitatis incredibile, ambitionem, qua nihil superius aut par ferrent, laboris solertiaeque contentionem, exporrectum denique ad necessitatem et copiam vitae vndique parandam ingenium. Ex his veluti fontibus quicquid laudabile gesserunt, manasse reperio. Nouitatis studium, ad indagationem cognitionemque rerum vel maxime necessarium est. Ingenium illiberale, plus belluini stuporis quam humanae solertiae habens, in angulos se abdit, glande pascitur sua, ingluuie, sordibus, araneis gaudet, priuatim nullus ei de virtute, de literis, de veteribus factis, de seriis et vtilibus sermo, affanias et puerorum ludicra captat, nihil hominem virumque decens; si, quantus prouentus agri, fundi, familiae sit, quid in ipsa virtute carpat, quaesiuerit, nouarum rerum praeterea incuriosum ad compotationem et ineptias tanquam ad arundinem longam redit: in publico, si quid quaestuosae artis exerceat, satis sibi hominis officium expleuisse videtur. Nobilium autem mentium insatiabilis sciendi cupiditas est, qua et ad percipiendas tractandasque res et ad delectationem remissionemque animi vtuntur, nec modum sibi in re infinita constituunt. Sic Graeci, apud quos non infrequens erat, rure vsque ad inopiae famisque damna inculto relicto, Athenis desidere totum annum vnius Periclis aut alterius archontis caussa, qui ductare plebem oratione et nouarum rerum ostentatione posset. Plenae fuerunt Diphili et Menandri fabulae (vt nunc ex Plautinis coniecturam ducere de illis liceat) popularibus ob nouitatem desidentibus in foro, quorum curiositatem Aristophanes in Vespis maxime exagitauit. Adeo etiam cum discrimine rerum suarum nouitatis studiosi erant. Antiphanes, apud Eustathium in Homerum, dicit, si

Digitized by Google

quod nouum sit inuentum, tametsi audaculum fuerit, id se malle auctore celebrari, quam omnium veterum praeclaras res gestas. Et is Graecus sane ioculatris fuit, qui inter contentionem, verberari se dixit passurum, si noua vapulandi ratio in se reperiretur, quod venustius Graece ab eo dicitur, quam vt Latine me posse referre confidam: ἢ δρῶν τι φαίνε καινὸν παρὰ τὰς ἔμπροσθεν, ἢ μή με κόπτε. Ea re eluxere tot artes in Graecia, cum satietas parata effet veteribus, et idcirco nouae quotidie artes aut veteres noua forma producentur ad populum. Miraculo enim is erat, qui nouum quid reperiret in artificio et corona non minus dignus, quam, qui Olympicis ludis vicisset. Proinde et in illis ludis, quibus totius Graeciae mercatus instituebantur, vndique confluebant artifices: aut si quid nouae artis excudissent, in foro omnium oculis exponebant: nec iudiciis hominum veris offendebantur aut aliena laude dolebant, quin potius excitari se ad alia reperienda patiebantur. Nec alios in consilium operis vocare turpe iudicabant. Vt, cum ad sacram arcem Athenis collocandam architecti conducerentur, illi Platonis sententiam de modo et forma eius exquirebant, Plato haud minus ingenuus, ad Euclidem ire iussit. Atque, vt ne quid videretur inconsiderate fecisse, Philo armamentarium Athenis fabricatus, in theatro apud populum rationem totius institutionis omnemque artem explicare coactus est. Itaque non inficiatur Vitruuius Graecorum opera Romanis et sumptuum magnitudine et ingenio artificum nouitateque praestitisse. In musicis modis neruisque tot noua inuenta quotidie extabant, vt Anaxilas Comicus vetus de Libya dictum de iis vsurparet; semper aliquid noui monstri musicam excludere. Nec id fugere potest eum, qui Plutarchi de musica librum legerit. Nouitate illa Zeuxis magnopere se commendabat, vt de eo Lucianus memoriae prodidit. Nec tamen offensionem dissimulare poterat, cum centauros noua luce picturae expressos populo visendos daret, illeque protinus noui-

Digitized by Google

nouitatem et iterum et tertium efferret, age Miccio, inquiebat discipulo, tolle tabulam, in qua quod nouitatis gloria praestantiam operis vincit, mihi non placet. Ad eam nouitatem non laudibus tantum, sed etiam praemiis excitabantur, vt hoc Lesbonactes sapienter diceret, virtutum exemplis eam remp. affluentem fore, in qua et laus et praemia proposita essent. Quanta Praxitelis aut Apellis aut aliorum operis pretia statuta fuerint, Plinius multis locis annotauit. Stratonica Seleuci vxor talentum propositum illi poetae, qui comam suam omnium scitissime praedicasset. Et in Pindaro animaduerti velim, quantis muneribus tot vrbes, tot certaminum victores ingenii eius excellentiam foouerint. Qui is ipse est, cuius iudicio inter vinum et versum id discriminis intercst, quod illud, quanto vetustius, hic, quanto recentius spiret, tanto magis placeat. In quo Timotheus Milesius apud Eustathium cauillans, non antiqua, sed noua se canere dicit, Iouem modo regnare, priscis Saturnum imperitasse et subiungit denique, facessere veterem Musam se iubere. Notus est Homeri versus peruulgatusque, quo, quanto quodque carmen est recentius, tanto magis placere praedicat. Is Homerus nouitate sua primum accendit Athenienses ad poetices et grammaticae studium, ex quo ad ceteras literas veluti imitatio processit. Ipsum vero Homerum, qualis hodie exstat, nouitatis studium produxit. Aut nulla olim aut eiusmodi non exstitit Ilias et Odyssea: vtraque grammaticorum opera paullatim formata et emendata, hanc denique formam induit. Qui exstitisse Homerum et centum sexaginta annis post Troiam euersam exstitisse credunt, illos his rebus confello, quod, cum Homerus de fortibus heroum suorum factis canit, quam robustus Aiax vterque, quam validus Sarpedon fuerit, frequenter addit, comparandos cum illis nequaquam suae aetatis homines esse. Dicere id non poterat, qui viueret in tali hominum genere, quorum aui illi heroes fuissent: cum verosimile non sit, imminuta tantillo tempore tam incredibilem in modum hominum robora esse. Longius item a Troianis

Digitized by Google

temporibus abfuit is, qui ſua aetate iam conſummatam deorum hiſtoriam haberet, cum econtrario Troiani illi heroes a diis geniti, cum ſemidiis adhuc conſueſcerent. Si Herodotus plus auctoritatis habet, vt Homerum annis quadringentis duobus et viginti illo maiorem fuiſſe credamus, haud longe a Piſiſtrati aetate ille calculus abit. Huc accedit, quod Plato in Hipparcho tradit, Piſiſtratum Athenis Homerum inuexiſſe. Nec vspiam alibi tamen memoriae eſt proditum, antea exſtitiſſe, niſi forte in Aegypto, vt Euſtathius aliquos comminiſci prodidit, aut Carthagine, vbi Iliadis principium et extrema mediaque Virgilius exſtitiſſe finxit. Maximus Tyrius et Lacedaemonem et Cretam ſero ad rhapſodias ſe contuliſſe teſtatur. Et Cretenſes tamen ante Piſiſtratum rerum domini, omnisque (vt fit in affluentia opum) humanitatis fuerunt. Stephanus Dionyſii Thracis ſcholiaſta Piſiſtratum ſcribit grammaticos duos et octoginta adhibuiſſe, qui Homeri poemata, ſiue igne ſiue terrae motibus corrupta, ſolis verſibus mille et ducentis reliquis, pleraque ex memoria in vnum corpus colligarent: Piſiſtratum in ſingulos verſus, qui pro deperditis proferrentur, ſingulos numos expendiſſe, ac, tametſi quis exſtantes alibi adferret, tamen non ſine praemio abiiſſe: ita quidem accidiſſe, vt diſiecta crudeliter membra colligerentur, verum tamen vt aliqui, allecti mercedis cupiditate, quosdam affingerent verſus, quos grammatici ſe putant omnes obelo transfixiſſe, quo genuini a falſis dignoſcerentur. Praeterea ſcribit Piſiſtratum grammaticorum operas ita diſpoſuiſſe, vt pro ſe quisque luxatos poetae verſus in ordinem reſtitueret, quorum omnium accurationem et ſolertiam Ariſtarchus ſuperauerit. Haec Stephanus ille, vetus quidem autor, ſed cum in Ariſtarcho tam imprudenter errauit, etiam in reliqua narratione Graecae fidei vituperationem vix effugiet. In eo errore Euſtathium comitem habet, is vero apud me exiguae autoritatis eſt, homo profecto vanus, nec ita, vt vulgo fertur, eruditus. Attamen non omnia in Stephano ſper-

Digitized by Google

ſpernenda ſunt. Piſiſtratum in ludis grammaticos inſtituiſſe, qui pueros litteras docerent, Dio Chryſoſtomus prodidit. His et in primis Anacreonte, Simonide (quorum alterum Piſiſtratus, Platonis teſtimonio, quinqueremi aduehendum curauit, alterum muneribus magnis adfectum apud ſe continenter habuit) et Solone adiuuantibus rudia quaedam poemata illo nomine congeſta fuiſſe opinor, dialecto, vt tum Athenis erat Ionica. Ea videlicet vetuſtiſſimae inſcriptiones Athenienſes exſtant, a Montefalcone editae, eadem Herodotus Athenienſibus placuit. Atque vt ſolent pictores in tabulis nobilioris artificii aut ſuos vultus aut ſuorum veras imagines immiſcere, ita Anacreon in Odyſſea abs ſe exemplum Demodoci, a Piſiſtrato autem Alcinoi accepiſſe videtur. Solon teſte Plutarcho verſus eos Homero adiecit, quibus Aiax ex Salamine aduectas naues iuxta Athenienſium ſtationem collocaſſe dicitur. Et rhapſodiam Iliadis decimam Euſtathius ſcribit a Piſiſtrato eſſe repoſitam, cum ſeorſim exſtaret ab Homero elaborata. At cohaeret argumentum. Quae omnia igitur tenuia quidem, nec obſcura tamen indicia ſunt eorum, quae de Homero iudicaui. Tum illud, quod in Iliade de Aenea exſtat, ne quidem a Piſiſtrato, aut ex narthece Alexandri M. prodiiſſe, ſed ab aliquo grammatico Romanarum rerum ſtudioſo adiectum reor. Euſtathius illo loco Homerum vaticinari de Romanis rebus exiſtimat, ſatis profecto opportune. Haec eo diſputaui prolixius, quod ex tam tenui principio poeſeos et grammaticae ſtudia commota ſunt. Homeridae rhapſodias, hoc eſt, conſuta et conſarcinata ex omnibus dialectis et vetuſtis carminibus canebant, quod Pindarus iam in Nemaeis declarat alicubi. Eorum in numero eius Scholiaſta Cynaethum Chium fuiſſe prodit, a quo hymnum in Apollinem habeamus, quem Herodotus tamen Homero tribuit. Cynaethus, Hippoſtrato autore, ad Olimpiadem nonam et ſexageſimam Siracuſis vixit. Inde vsque a Piſiſtrati temporibus, ſtudia omnia in ornando imitandoque Homero ver-

Digitized by Google

sata sunt. At interim ad comoediam adaptati sunt numeri, et in hac licentius vagantibus morum censoribus Eupoli Cratino et Aristophane, nouam Menander populi summa cum voluptate induxit: reperta et in cothurno noua gratia et ipsae bubulcorum pingue quiddam et agreste sonantium eclogae nouitate placuerunt. Contentio autem emendandi Homerum praecepta certa critices artis peperit, quibus multum adiuta omnis Graecorum eruditio fuit. Eam primus ad eloquentiam transtulit Isocrates, in cuius ludo ob eam nouitatem tanta ingenuorum adolescentium frequentia fuit. Ante illum quidem Antiphon iam Corinthi aedes suas inscripsit, *se solari miseros*, quod orando causas, aliorum calamitatem subleuaret: sed ille in recenti re publica vidit quidem vim eloquentiae, at numerum orationis nondum sensit. Libertate collapsa, vt id Dionysius Longinus timide quidem, attamen vere animaduertit, mollis et fracta dicendi ratio, sine vi, sine neruis inducta, ob nouitatem placuit, vt omnium Graecorum scripta inuaderet et patrum quoque nostrorum studio probaretur. Sic Themistius, sic Maximus Tyrius, sic Libanius et Philostratus, sic Gregorius Nazianzenus vel in primis scripserunt, ab ea Dio et Ioannes noster aurei oris cognomina acceperunt. In philosophia autem primum Milesii a Thalete ad astrorum et totius naturae commentationem commoti sunt. Archelaus Athenas illius rei nouitatem aduexit. Anaximander in Thalete, in Anaximandro Anaximenes, in Anaximene Anaxagoras multa innouabat hicque nimio nouitatis studio incidebat in incredibiles fabulas. Qua opportunitate Socrates vsus a naturae commentatione populum auocabat ad virtutem. Nec discipulum tamen reliquit vllum, qui placita omnia eius probaret. In tot fere gentium factionibus nouum vt reperiret Antisthenes, belluarum vitam humanitati haud inscite praetulit. Diogenes autem et Menippus, (is etiam ex Delphici Apollinis oraculo) canum prorsus consuetudinem imitati sunt. Postremo

Arce-

Digitized by Google

Arcesilas reperit, nihil veri in rebus esse, quod Carneades ita exornauit, vt esse quidem diceret, sed cognosci a nobis non posse, itaque in vtramuis partem disputabat. Haec noua Academia maxime arrexit ingenia, cum in omni disputabat. Haec noua Academia maxime arrexit ingenia, cum in omni disputatione aliquid noui haberet. Et Romae quidem vix tulere adspectum ita differentis de iustitia, Athenis vero eum aeque vt Aristippum et Zenonem in caelum efferebant laudibus. Vt aliquid noui haberet Democritus, ridebat assidue: Heraclitus eadem causa plorabat. A Pauli quoque et Barnabae concionibus non abhorrebat populus eadem nouitate inductus: praesertim Athenis, vbi vt Lucas ait, in nullam rem ita arrecti erant ciues, quam vti noui quidpiam aut audirent, aut dicerent. Idcirco consuetudo gentis ferebat, vt in publico, aut theatro, aut aede aliqua aut in foro concursus hominum fieret ad eum, quem habitu philosophum, aut noui quid prodere cernerent? Quam auide Lucianum saepe circumstiterunt? quam cupide Borysthenitae Dionem Chrysostomum obtestati sunt, vt de philosophia aliquid diceret? quantum illum praestigiatorem Thyaneum Apollonium secuti sunt omnes? Iam duas vias ad noua reperienda propositas maxime cernebant, si vel per se et inuestigando, aliquid inuenirent, vel a longe sitis gentibus repeterent. Vtrumque ad augendam eruditionem multum valere, omnes intelligunt. Αὐτοδίδακτοι magnae admirationi erant, vt Pindarus eos solos diis aequales ferat, cum ceteri, eius sententia, humi serpant. Ad Aegyptios, Chaldaeos, Indorum gymnosophistas, Persarum magos et quacunque quemuis lubido sciendi traheret, itinera instituta memorantur. Et illa quidem parua impensa fiebant. Frugalibus et malua asphodeloque viventibus, satis erat vnde parato vitam tolerarent. Mercaturas instituisse plerosque, Plutarchus in Solone docet. Ipsum Solonem et Thaletem et Hippocratem et Platonem. Non opum auiditate, sed vt tanto commodius

Digitized by Google

ad peregrinandum sufficerent impensis. Multum horum inopiam in itineribus subleuabant hospitiorum iura et liberalitas, vtpote cum Pythagoram a Polycrate Samio Amasidi Aegyptiorum regi commendatum et Eudoxum (quem tam honorifico decreto Athenienses suscepere postea,) Nectanebi ab Agesilao, compertum habeamus, non modo ad omnia sacrorum sapientiaeque adyta admissos, sed opibus quoque et honoribus auctos abiisse. Quanta autem auctoritas eorum fuerit, qui peregrinati essent, vel is docuit, qui Corinthi exstitit, et cum vix exiisset vrbe, Cenchraeis ne vix quidem, historiam tamen Parthici belli scribens, se iis in locis versatum, non audita sed visa prodere, ad commendationem operis comminiscerentur apud Lucianum. Fieri autem non potuit, quin ita nouitatis curiosi, gloriam simul appeterent aemulationis comitem. Si enim gloriam in praeclaris rebus positam et cum veritatis constantiaeque studio coniunctam sequimur, nescio an alia re magis excitari ingenia queant. Est enim naturalis aliquis veri et recti et boni sensus in nobis, vt et ipsi cupiditate illius ducamur et aliis hominibus, quanto quisque melior et amantior societatis humanae est, tanto magis placere gestiat. Inde et inter barbaros laudis, vt virtutis studium viguit, quantum imbecillitas et error illarum mentium veram laudem admisit. De Athenienſibus Isocrates in Panathenaica multa glorioſe gesta prodidit, de quibus ita iudicat, nihil eos feciſſe commodorum respectu, sed vt gloriam nominis virtute parerent. Et Demosthenes aduersus Androtionem praedicat Atheniensis gloriae magis, quam cumulandae pecuniae aut alii rei studuisse, ac cum opes sibi parassent totius Graeciae maximas, consecrasse tamen eas honoris studio, opum suarum impendio immortalem rerum gestarum possessionem mercatos. Quid dicam Themistoclem, quem Miltiadis monumenta dormire non sunt passa? quid Thucydidem, qui cum puer Herodotum audiret historias suas recitantem plorauit, quod sibi praeceptam gloriam doleret? quid

Digitized by Google

quid eum, qui ad famam nominis per scelera grassatus est, Herostratum? Artificum ea ambitio fuit, vt nihil eos inopia flecteret, nihil ingentis in vnam rem impensa temporis, quin aliquid exasciatum et omnibus consummatum numeris producerent: qui idcirco neque operibus nisi excellentissimis nomina inscriberent, veluti Lemniae Phidias. Ion tragoedus tanti fecit, victorem celebrari et hircum meruisse, vt Athenienſibus ſingulis viritim χίον κεράμιον daret. Ad sequiorem vsque sexum gloriae is sensus peruasit, quae principio foribus (id enim apud rudes humanarum rerum glorioſum erat) postea et sapientibus tantum nubere volebat. Inuenio apud Dicaearchum in brevibus Homeri scholiis, Granicum aut Atramytum quendam procreasse Theben atque conditionem non, nisi ei, qui procos certamine vicisset ceteros, obtulisse. Idcirco in certaminibus non luxuriae opumque instrumenta, sed coronas frondibus contextas praebebant, vt scirent gloriae solius respectu se contendere, cetera contemni abs se debere. Iam, assiduitas in Graecis tanta erat, vt nihil ita sublimi positum loco censerent, quin id animi corporisque incredibili contentione peterent. Nec alia causa Musas venari et nocte genitas ferebant, quam quod, vt Phornutus iudicat, literarum studiis noctis quoque lucubrationes impenderent. Ad gloriam vtique veram et constantem nullis assutiis aut ludendo proficimus: laborem cum virtute coniungas oportet et non tam gloriam, quam gloriae digna sectere. Quot annorum et quantus labor ab Isocrate aut Demosthene colendo ingenio impensus est? Cleanthes vt Chrysippi praeceptis et philosophiae vacaret, noctu mercedem quaerebat hauriendo puteo: Carneadem Melissa inter assiduam commentationem aegre pauit, meditantem quoque mors oppressit: octoginta natus annos Simonides certare est ausus carmine: Sophocles centesimo anno Oedipoda Coloneа scripsit idque dignum monumento iudicauit Iophon filius. Solonem accepimus morientem arrexisse caput, desiderio illo-

Digitized by Google

rum sermonum, qui circum se iacerentur, et cum eos cognouisset, nunc se aequo animo mori, inter postrema dixisse. Exularet profecto inertia ab hominum genere, si eo animo vitam ingrederemur, quo is reliquit. Sed quis credat paupertatem tot excellentium ingeniorum magistram exstitisse? Sic iudicabunt tamen omnes, qui impositam sibi egestate sentient necessitatem ad virtutem honestasque artes colendas, sine quibus in sordibus et squalore inopi viuendum esse adparet. Et cum opes ad alendas ornandasque artes valent, tum ad percipiendas cognoscendasque paupertas praestat. Sic Theocritus in piscatoribus, ἀ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει, αὐτὰ τῶ μόχθοιο διδάσκαλος, quod ille a Diogene Sinopensi accepisse videtur, qui saepe id dictum in ore habuit. Aristophanes etiam in scena Athenienſibus suis paupertatis merita ostentauit. Paucos sui similes aut Crates Thebanus, aut Democritus aut Zeno aut Anaxagoras habuere, quorum tam nobilis animus in affluentia opum esset, vt his carere, quam impediri mallent.

Abripuit me propemodum sermo ad scholas et circulos et conuiuia Graecorum ceteraque excellentium ingeniorum adiumenta, nisi me ab ipso cursu reuocaret certa ratio breuitatis, quam dudum iam migrare me sentio. Illa vero subsidia artium aliis differenda relinquo: mihi opportunum nunc fuit fontes omnis sapientiae et eruditionis Graecae aperire, vt populares mei mecum cogitent, vnde labantium apud nos literarum restitutio petenda sit. Quantum nostra vita ab illorum iudicio aberrat, tantundem et fructum discrepare non miror.

DE

DE

VENEDIS,

ET

ERIDANO FLVVIO.

Quoniam ex Herodoto Eridanum et Venedos his locis ad Balticum mare posui, eius rei rationem vt reddamus, tempus est. His autem verbis eius, vt ita faceremus, commoti sumus [1]): ἅτε γὰρ ἔγωγε ἐνδέκομαί Ἠριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον, ἀπὸ τοῦ τὸ ἤλεκτρον Φοιτᾶν λόγος ἐστὶ, ἅτε νῆσος οἶδα κασσιτερίδας ἐούσας, ἐκ τῆς ὁ κασσίτερος ἡμῖν Φοιτᾷ. Τοῦτο μὲν γὰρ Ἠριδανὸς αὐτὸ κατηγορέει τὸ ὄνομα, ὡς ἐστὶ Ἑλληνικὸν καὶ ἅτι βαρβαρικὸν, ὑπὸ ποιητῶν δὲ τινὸς ποιηθὲν· ἅτε δὲ ἐόντος αὐτόπτεω γενομένου, ἃ δύναμαι ἀκοῦσαι τοῦτο μελετῶν ὅκως θάλασσά, ἐστὶ τὰ ἐπέκεινα Εὐρώπης· ἐξ ἐσχάτης δ' ὧν ὁ κασσίτερος ἡμῖν Φοιτᾷ καὶ τὸ ἤλεκτρον. *Neque enim*, inquit, *mihi persuasum est; Eridanum vocari apud barbaros fluuium, qui se praecipitat in septemtrionale mare, vnde succinum perferri dicunt: neque insulas noui Cassiteridas, vnde stannum ad nos perferri praedicant: nam quod Eridanum attinet, ipsum illud nomen opinionem famamque rei euertit, Graecum enim est, non barbaricum, a poetarum aliquo confictum. Neminem sane cognoui, qui eas viderit terras, neque, cum id maxime agerem, intelligere potui, quem in modum mare ad vlteriorem Europam se habeat. Id vtique constat, ab extrema Europa et stannum et succina ad nos perferri.* Duo acceperat Herodotus, primum (succina et stannum ab extrema

1) Lib. III. Cap. 115.

Digitized by Google

extrema Europa et oceano septemtrionali perferri, quod vel ipso iudice, sine controuersia erat, mercatoribus Ionicis et Ponticis,) Adriaticis et Atticis referentibus: alterum, fluuium, a quo succinum perferatur, Eridanum et insulas, vnde stannum, Cassiteridas appellari; quod Herodotus veretur, ne ex vano haustum sit et a poetis confictum. Caussa ea est, quod Ἠριδανὸς καὶ Κασσιτερίδες νῆσοι nihil barbari sonant; sed Graeci sermonis vocabula sunt. Nam Κασσιτερίδες παρὰ τὸ κασσίτερος, *a stanno*, Graece dicebatur: itaque etiam Ἠριδανὸν putabat eo genio esse, cum praesertim sonus oris Graii se quasi forex proderet. Nec fallitur in primo. Nam Pontici mercatores, cum stannum ex insulis extremae Europae acciperent, nec nomen tamen regionis gentisque cognoscerent, ipsi finxerunt a stanno, vt eorum posteri ab situ ad occidentem Europae Hesperidas dixerunt. Sic Dionysius Afer

αὐτὰρ ὑπ' ἄκρην.
Ἰρὴν, ἣν ἐνέπασι κάρην ἔμεν Ἠυρωπείης
Ἰγήσας θ' Ἑσπερίδας, τόθι κασσιτέροιο γενέθλη
Ἀφνειοὶ ναίουσιν ἀγανῶν παῖδες Ἰβήρων.
at sub promontorio
Sacro, quod dicunt caput esse Europae.
Atque sub insulis Hesperidibus, (vbi stanni origo,)
Diuites habitant filii illustrium Iberorum.

Ex hoc loco certum est, eum insulas nullas quam Britanniam dicere: quamquam, quae adhuc inscitia erat, Britannicas insulas ab his distinguit, et Rheno praetendit. De Eridani vocabulo autem dicam postea. Nam mihi excitandus quasi est lector, vt quod verum rectumque in hac narratione est, illud stabilitum plane et confirmatum in animo gerat. Hoc dico, quod plane ab septemtrione et succinum et stannum aduectum sit in Graeciam, quodque vt stannum omnino ex insula Europae extremae subiecta, et illis testibus et natura ipsa suffragante, allatum fuisse oportuit, vt deinde succinum ab hoc mari Baltico, quod plerique septemtrionale dicebant, ita aequum

Digitized by Google

quum non est, iis, qui haec omnia tam vera prodiderunt, in vno fidem derogare, quod a flumine perferri dicunt Eridano, qui se in oceanum illum septemtrionalem, seu Balticum mare praecipitet.

Hic fluuius, quoniam extra orbis noti vias situs erat, satis opportunus est visus Graecis ad fabulas, quae praesertim succini, gemmae pretiosissimae, memoriam complecterentur. Auctori Theogoniae Hesiodeae res nondum matura fuit fictionibus: tantummodo de flumio Eridano iam audiuerat. Eum enim cum aliis Scythicis et septemtrionalibus fluuiis recenset, quam Thitys Oceano peperit.[2]) Idem ille Electras quidem duas, alteram Thaumantis et Oceani, alteram Iouis et Thetydos filiam commemorat, sed nihil illud adhuc ad succinum, cum tamen stannum nouit, quod etiam a septemtrione aduehebatur nihil item ille de Heliadibus. Possis itaque suspicari, iam Thalètis Milesii temporibus, cum illa theogonia est edita, et stannum et succinum allata fuisse in Graeciam. Illius temporis aut paulo vetustior videtur fuisse auctor *Batrachomyamachiae*, *qui παρ' ὄχθαις Ηριδανοῖο* Physignatum ranam editam fuisse canit. At *Phaethon* Solis et *Clymenes* filius Homero ignotus fuit, *Hesiodus Phaethontem* canit, at illum *Cephali* et *Aurorae* filium. Nondum igitur ante *Thaletem Milesium* fabula illa de *Phaethonte* et *Electridibus* et succino exculta fuit. *Hyginus* quidem ait: 3) *harum Heliadum lachrymae, vt Hesiodus indicat, in electrum sunt duratae.* Sed quis is est *Hesiodus*? qui hodie exstat, nihil de illis nouerat. Ne Onomacritus quidem in Argonauticis quidquam de Eridano et Phaethonte veluti notis fabulis. Primus, qui Eridani fabulas tangeret, *Aeschylus* fuit et secundum eum, vt *Plinius* annotauit 4) *Philoxenus*, *Nicander*, *Euripides*, *Satyrus*. Euripides in Hippolyto Stephanephoro nondum perfectam habet fabulam, 5) vbi chorus:

Ἡλι-

2) Lib. III. Cap. 115. v. 338.
4) Lib. XXXVII. Cap. 2.
3) p. 224. ed. Munkeri.
5) v. 732.

Digitized by Google

Ἠλιβάτοις ὑπὸ κευθμῶσι γεννοίμαν
Ἵνα με πτερῶσαν ὄρνιν
Θεὸς ἐν ποταναῖς ἀγέλησιν θείη,
Ἀρθείην δ' ἐπὶ πόντιον κῦμα
Τᾶς Ἀδριηνᾶς ἀκτᾶς
Ἠριδανὲ δ' ὕδωρ
Ἔνθα παρφυρέον ϛαλάσσεσιν
Εἰς ὄιδμα πατρὸς τριτάλαιναι
Κόραι, Φαέθοντος πτόϊῳ, δακρύων
Τὰς ἠλεκτροφαεῖς αὐγάς.

Vtinam sub altissimis recessibus versarer
Vbi me voluerem pennatam
In volucribus gregibus Deus esse iuberet,
Et tollerer super maris fluctibus
Adriatico in littore
Eridanique in fluentis,
Vbi stillant purpuream
In aquam, patris ter miserae
Puellae, Phaethontis miseratione, lacrumarum
Electrum aemulantes splendores.

Filias Euripides dicit, quas sorores fuisse post eum alii cecinerunt, veluti id aptius fabulae instruendae esset. Inter extremos *Apollonius Rhodius* excolendae fabulae artifex, qui Eratosthenis condiscipulo in Alexandrina bibliotheca successit sub Ptolomaeo Euergete. Aratus Solensis et Eratosthenes aequales fuere. Vter alterius exemplo Eridanum in catasterismis posuerit, non liquet. Vterque sane habet. * *Apollonius Rhodius* autem in Argonauticis 6) λείψανον Ἠριδανοῖο πολυκλαύϛου ποταμοῖο, fabulis iam ita adultis, vt non modo Phaethontis sororum, sed etiam Apollinis ipsius lacrumas succina esse dicerent, Electridas insulas et Eridanum ad septemtrionem collocat.

ἱερὴν

* Aratus in phoenomenis v. 359. V. Nonnus in Dionys. l. 23. v. 240. l. 38. 90 seq. v. 430. Dion. Afer v. 290 seq.
6) Lib. IV. v. 507.

Digitized by Google

ἱερὴν ἠλεκτρίδα νῆσον
Ἀλλάων ὑπάτην, ποταμῷ σχεδὸν Ἠριδανῷο.
sacram Electrida insulam
Omnium extremam, iuxta Eridanum fluuium.

Isthic ait Argonautas penetrasse vsque in Eridanum ἵνα τ' εἰσὶ πύλαι καὶ ἀδέσθλια νυκτός, *vbi porta et cubilia noctis sunt*, hoc est, sub vltimo borea. Attamen Eridanum cum Rhodano et Pudo miscri addit. Malo id ex scholiastae eius verbis intelligere te, quam ex Apollonii ipsius versibus: Ῥοδανὸς ποταμὸς Κελτικῆς τῷ Ἠριδανῷ συμμιγνύμενος καὶ σχιζόμενος, τῇ μὲν εἰς ὠκεανὸν φέρεται, τῇ δὲ καὶ εἰς τὸν Ἰόνιον κόλπον, τῇ δὲ εἰς τὸ Σαρδόνιον πέλαγος. *Rhodanus fluuius Celticae Eridano mistus ac rursus in diuersa abit, vt partem in oceanum* (septemtrionalem) *partem in Ionium seu Adriaticum, partem in Sardonum hoc est Ligisticum exoneretur.* Isthic ad Eridanum ait Apollonius Phaethonta semiustulatum caelestibus flammis in lacus profundissimi ostium ab caelo cecidisse. Lacum teterrimum odorem spirare, circa eum autem lacum Heliadas ἀιγείρους seu populos (vt Plinius et Hyginus in fabulis interpretantur) mutatas flere: lacrumas ab humo exceptas sole aestuante siccari, cum lacus inundat terram, succina deuolui in Eridanum. Alii adhuc illud fabulae adiiciunt, Celtas narrare, Apollinem cum ad Hyperboreos accederet, caelo, ob iurgia cum Ioue, relicto, quod Assilepius Apollinis e Coronide filius a Ioue esset fulmine ictus, aut, vt scholiasta Apollonii addit, cum Apollo ob Cyclopum caedem cogeretur coelo exulare isthic apud Hyperboreos, nec edisse, nec bibisse, sed sua fleuisse succina.

Iam velim mecum consideretis, quod verissimum sit in his fabulis, atque quibus ab causis veris admista fuerint tum vana, tum obscura. Eridanum dico Dunam esse fluuium prope Rigam. Nam quae nunc Duna, ea olim Ῥᾶδων, *Rhudon*, ita vt abiecto principio, extremum vocabuli ad hoc vsque tempus perseueraüerit. *Marcianus.*

Digitized by Google

nus Heracleota: μετὰ δὲ τὰς ἐκβολὰς τῆς Οὐιςέλα ποταμῦ ἐκδέχονται Χρόνι ποταμοῦ, ἐξ ἧς ἐισι Ῥαδῶνος ποταμοῦ ἐκβολαί. Ὁ δὲ Ῥάδων ποταμὸς ἐκ τοῦ Ἀλαύνα ὄρους φέρεται. *Viſtulae, Chroni, Rhudonis oſtia ſe deinceps excipiunt. Rhudon ex Alauno monte fertur Claudius Ptolemaeus:*

Τῆς Οὐιςέλα ποταμοῦ ἐκβολαὶ	μ̄	ν̄
Χρόνα ποταμοῦ ἐκβολαὶ	ν̄	ξ̄
Ῥάβωνος ποταμοῦ ἐκβολαὶ	νγ̄	ξ̄ζ̄
Τυρούντα ποταμοῦ ἐκβολαὶ	νεL'	ξ̄ηL'

Viſtulae oſtia - -	45.	56.
Chroni oſtia - -	50.	56.
Rhudonis oſtia - -	53.	57.
Turunti oſtia - -	56.½	58.½

Rhudonem perperam dicit, vt ex Marciano intelligis. Quamquam autem ſecundum Ptolemaei rationes orientalior eſt Rhudon quam Duna, tamen ab eodem littus omne maris ſeptemtrionalis, vt illi dicebant, ſeu Baltici magis ad orientem ſummouetur. Nec adeo conſtare poterat Ptolemaeo longitudinis et latitudinis exacta ratio. Sed ſi Viſtulae ſitum cum Rhudonis oſtiis comparamus, nihil eſt manifeſtius, quam Dunam eſſe Rhudonem veterum. Scio quid hic *Olaus Rudbeckius* tumultuatus ſit, ſed mihi videor alibi ſatisfeciſſe, 7) nec tanti eſt, vt hoc loco quidquam amplius dicam. Quod autem *Marcianus* dicit, Rhudonem ex Alauno monte fluere, id nos etiam confirmat. Nam a veteribus Boryſthenis quoque fontes ponuntur in Alaunicis montibus. Non quod aliqui iſthic montes ſunt, vnde Danapris fuit, ſed quod viri boni e montibus plerumque flumina oriri nouerant, eo, montes iſthic collocarunt, vbi Danapris fontes eſſe accipiebant. Iam nec Duna ex monte aliquo Alauno praecipitatur: attamen ex iisdem fere paludibus, ex quibus Bonyſthenes. Hoc priſci homines acceperant. Hi vero barbarum vocabulum Rhudonis, in Eridanum mutarunt, vt aptius

7) de numo Rhodio.

Digitized by Google

aptius esset ori Graeco. Eridano constituto, iam cetera in vado sumus. At, inquies, nullum ad Dunam succinum est. Nempe prisci mortales tantum mercatus succini ad Eridanum institui acceperant, vt *Herodotus* ait: ἀπό τευ ἤλεκτρον φοιτᾷν λόγος ἐςί, *a quo Eridano succinum perferri, fama est.* Hoc satis erat ad longam de Eridano fabulam cudendam, veluti illic succina legerentur. Haec autem ratio mercatus docet, succina primum a populis ad Eridanum transmissa esse ad Scythas et secundo Borysthene ad cataractas, hic excepta esse a Borysthenitis Graecis, qui se Olbitas dicere malebant. Mea enim sententia, vt nunc est, Olbitae vltra cataractas non nauigarunt. Nam primum ex *Constantino Porphyrogenneta* de administrando imperio satis apparet, quae cataractarum illarum natura et quam impenetrabiles illis temporibus atque ea ruditate nauigandi Graecis fuerint. Tum vero *Herodotus* testatur, solos quadraginta dies Borysthenem nauigari potuisse. Quod si recte consideres, aduerso flumine spatium fuit intra cataractas et tametsi aliter sensi olim, in eo me nunc ipse reprehendo. Cetera, quae in fabulis illis sunt, ad mercatum antiquissimum et naturam succini, vt tunc explicari poterat, refero. Hoc insigniter posset confirmari, si exstaret is scriptor, ex quo Eustathius ad *Dionysium Afrum* v. 311. de Panticape, qui supra cataractas fluit, habet, ad eum flumium ἡδυφανὴς ἤλεκτρος μήνης ἀρχομένης αὔξεται, οἷά τις αὐγή· De arboribus succiniferis etiam *Sotacus* apud *Plinium.* 8) *Sotacus credidit in Britannia arboribus effluere, quas electridas vocauit.* Male hoc *in Britannia.* Ceterum tametsi *Harduinus* ex Manusc. legit: *petris effluere*, tamen potius crediderim, Sotacum illum peruulgatae opinionis de arboribus, quam nouae sententiae de petris auctorem fuisse. Orta est opinio ex coniectura. Videbant enim succina resinae similia esse et incendi et fluere et olere resinosum. In-

8) Lib. XXXVII. Cap. 2.

Digitized by Google

Inde nihil aliud in mentem veniebat, quàm ab arboribus succina stillare, vt in Prussia quoque multorum iudicium fuit. Phaethontem aliquando suspicatus sum Graecum fuisse ciuem et Ponticis coloniis, qui, cum mercatus succinarii causa septemtrionem versus profectus, euersa naue in aquis petierit: *Heliades* autem sorores seu socios illius mercatus casum illum doluisse. Sed forte verius etiam hoc totum ad naturae commentationem traducas, cum videretur sol, ὁ ἥλιος φάσθων, aut radii solares, tamquam filius aliquis solis, matura facere in arboribus succina, idcirco etiam fabulae auctores non sorores sed filias *Phaethontis* prodidere *Heliadas*. Niceas apud *Plinium*, *solis radiorum succum intelligi voluit: hos circa occasum credit vehementius in terram actos, pinguem sudorem in ea parte oceani relinquere, deinde aestibus in Germanorum littora eiici.*

Veriora aliquantum comperit *Pytheas Massilienſis*. *Plinius* sic ait: *Pytheas Guttonibus Germaniae genti accoli aestuarium oceani Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium: ab hoc diei nauigatione insulam abesse Abalum: illuc vere fluctibus aduehi et esse concreti maris purgamentum: incolas pro ligno ad ignem vti eo, proximisque Teutonis vendere. Huic et Timaeus credidit, sed insulam Baltiam vocauit.* Haec postea interpretabimur. Id enim proposito nostro satis est, quod intelligimus iam tum, hoc est, ante *Philippum Amyntae* Macedonem succinarium a Tutonis exercitum fuisse. Is quoque *Plinius* auctor est, Romanos primum succina accepisse a Venetis ad Adriam, sed ostendi, cum de nummis Romanis in agro Prussico repertis dicerem, antea Tarentinos iam cognouisse. Haec sunt illa tempora cum maxime succinaria fabula est conflata, et quoniam ad Padum mercatus illius gemmae instituerentur a Tarentinis, is fluuius nomen Eridani commeruit. Ab Italis Alexandrini acceperunt. Nam etiam nomen Italicum fuuini vulgatum est in Aegypto, vt ex *Clementis Alexandrini*

Digitized by Google

Spomatis colligo. 9) Τὸ δάκρυον, inquit, τὸ σύχιον ἐπισπᾶται τὰ κάρφη καὶ τὸ ἤλεκτρον τὰς ἀχυρμὰς ἀνακινεῖ. Cum in honore eſſet Alexandriae, βερονίνη dici coepit (vnde vernicem adhuc dicimus) et corruptum ex eo βερνικάριον. *Nicomedes* in gloſſis: βαρνικάριον νίτρον ἐρυθρὸν, οἱ δὲ ἤλεκτρον, οἱ δὲ βερονίκην. Credo a *Beronice Ptolemaei* et *Arſinoes filia Ptolemaei Soteris* coniuge, cuius crines *Conon Samius* et *Callimachus* conſecrarunt, *deuotas flaui verticis exuuias*, vt *Catullus* loquitur. Quod exemplum Nero Caeſar imitatus, quodam in carmine Pappaeae crines ſuccina vocauit. Et ſic *Nonnus Panopolita.* 10)

εἰς σε κομίσουσι
Δῶρα διαςίλβοντα Φερεκυδέος Ἠριδανῖο
Ἠλιάδων δ' ὅλον ὄλβον ἐπαισχύνει σέο μορφὴ
Λευκὸν ἐρευθιόωσα, βολαῖς δ' ἀντίξοος ἠὼς
Ἴκελος ἠλέκτρῳ Βεροΐης ἀμαρύσσεται αὐχήν.

ad te ferain
Munera lucida lucidi Eridani,
Heliadum tamen omnes diuitias pudore ſuffundit tua forma
Candidum rubens, radiis verum contra ſplendens auroras
Similis electro Beroes reſplendet ceruix.

Mirum igitur non eſt, vt dixi antea, ſi Padum, vnde ſuccina Tarentini et Alexandrini accipiebant, illum Eridanum eſſe putauere. Scholia in Aratea Germanici: *ab Arato et Pherecyde Eridanus Padus eſſe putatur.* Martianus Capella: *Italia etiam Pado flumine memoranda, quem Graecia dixit Eridanum.* L. Ampelius: *Eridanus et Tiberinus in Italia.* Sed quid per obſcura nomina incedimus, cum habemus Polybium 1) ὁ πάδος ποταμὸς, ὑπὸ δὲ τῶν ποιητῶν Ἠριδανὸς θρυλλούμενος. *Theophraſtus* quoque 2) ἐπεὶ καὶ τὸ ἤλεκτρον λίθος, καὶ γὰρ ὀρυκτὸν τὸ περὶ λυγγιςήν. *Theophraſtus in Liguria effodi*

L l 2

9) f. 370. Cap. 16. 10) Dionyſ. Lib. XLII. 25. 1) Lib. II. 2) περὶ λίθων f. 6.

Digitized by Google

di dixit, inquit *Plinius*. Sic alii apud Plinium. Nemo tamen eos lepidius exagitauit quam Lucianus Samosatensis. Erant enim succina teste Plinio etiam apud Macedonas Syros in honore. Lucianus autem 3) ita ridet, vt appareat hominem ob succini luxuriam, ab Nerone ante se natum inuectam, non ignorasse, vnde succina perferentur. Itaque fingit, se profectum naui ad Eridanum, se Padum Italiae, id vnum spectasse, quomodo explicato sinu cadentes Heliadum lacrumas exciperet, ὡς ἤλεκτρον ἔχοιεν, vt et ipse succina, rem adeo pretiosam haberet. Sed cum proficiscereturaduerso flumine, nec arbores istas succini feraces vsquam locorum vidisse, nec electrum nec notum Phaethontis nomen et adeo carminibus celebratum apud *Patauinos* inaudiuisse: quaerentem etiam ex nautis, quando tandem ad illa feracia succinis loca peruenturi essent, irrisum insuper interrogatumque fuisse, quae sibi succina diceret, quem Eridanum? Narrasse se fabulam omnem veluti ad gnaros: tum vero illos sciscitatos esse, quis impostor haec tam manifeste vana ipsi narrasset: neque enim se aurigam coelo lapsum audiuisse, neque eiusmodi arbores: si quid eius rei apud se nasceretur, nae se non duorum mercede obolorum remigaturos, cum possent e collectis arborum lacrumis opes vel regias comparare, Itaque se perturbatum spe omni peregrinationis excidisse, veluti succinum mox sinu excipiendum, rem adeo caram et pretiosam, aliquis excussisset, cum iam secum computasset, quantus ex vna re fructus sibi rediturus esset. Sic ille Graeculos naso adunco suspendebat.

Alii, cum animaduerterent Rhodanum in Iberia aliquid eiusmodi habere, quod Eridano conueniat, hic putarunt se succina reperturos. In eorum numero, ne dicam poetas, *Theophrastus* quoque fuit. *Theophrastus* inquit *Plinius*, *oceano id exaestuante*, *ad Pyrenei promontorium elici*: *quod et Xenocrates credidit*, *qui de iis nuperrime scripsit*. *Athenaeus* 4) *Hieronem* Syracusano-

3) Tom. II. p. 369. 4) Lib. V. Cap. 10.

Digitized by Google

ſanorum regem in naui aedificanda ſcribit aliam ex Italia materiam, aliam ex Iberia petiiſſe, κάνναβίν τε καὶ κίττον ἐκ τῆς Ἠριδανοῦ: ſic enim legit *Euſtathius*, cum *Caſaubonus* e codice ſuo edidit Ῥοδανοῦ τοῦ ποταμοῦ.

Hae cum tam diſcrepantes eſſent ſententiae, accessit *Apollonius Rhodius*, qui omnes inter ſe conciliaret. Credidit enim Eridanum tribus alueis et in ſeptemtrionalem oceanum et in *Adriaticum Liguſticumque* mare effundi. *Rhodanum* dicit et *Padum* et illum ignotum, at illuſtrem poetarum monumentis Eridanum. Coniectura haec erat nixa fide vanorum hominum, nec niſi poetae condonanda. Argute ſane *Plinius: facliorem veniam facit ignorati ſuccini tanta orbis ignorantia.*

Alia quoque cauſſa eſt, quamobrem Eridanum crederent eſſe Padum. Audiuerant ab Eridano perferri ſuccina, audiuerant quoque a Venetis perferri. Iam Veneti ad Padum erant, idcirco in opinione ſua confirmabantur. Sed nos in his obſtinati ſumus. Scilicet audiuerant, ſuccina legi a Venedis. Venedae igitur in his ſucciniferis regionibus coluere et ſuccina transmiſere ad Rhudonem ſeu Eridanum. *Scylax Caryandenſis:* μετὰ δὲ Κελτοὶ Ἐνετοί εἰσιν ἔθνος καὶ ποταμὸς Ἠριδανὸς ἐν αὐτοῖς. Non ſatis apparet, audiueritne Scylax aliquid de Venetis Circumpadanis, an de Venedis noſtris. Nam profecto, ne dicam Scylaci, Herodoto quoque littus omne Adriatici maris ita ignorabatur, vt huius Baltici. Celtas autem dicebant etiam veteres non modo populos ad Rhenum, verum etiam omnes Germanos, et Ephorus id nomen protendebat vsque ad Viſtulam. Inde rurſum noui errores. Pauſanias 5) Eridanum per Gallos volui ait, ſerius autem Gallos vocatos, qui antea Celtae dicerentur. (*Scholia Heſiodi* Theog. v. 338. Ἠριδανὸς ποταμὸς Κελτῶν.)

In his tenuibus ſane veſtigiis conſecutus ſum Venedas coluiſſe antiquiſſimis temporibus a Viſtula admodum

5) f. 10.

Digitized by Google

ad Dunam fluuium. Hic ergo Electrides quoque insulae fuere. Credo Graecos de Sembia et vtraque Neringia in Prussiae littoribus inaudiuisse, fortassis etiam de insulis, quae Liuoniae praetenduntur. *Plinius* de Electridibus: vanitatis certissimum documentum: *adeo, vt quas earum designent Graeci, haud umquam constiterit.* Saluae e contrario res nunc sunt, vbi situs locorum insulas continenti praetentas omnium oculis obiicit. Hic succina proueniunt, hic Electrides sunt.

Postquam Venedas suis in locis constituimus, quae gens, vnde orta, quaeremus. Habet suos Venetos *Homerus* in Paphlagonia 6). Prolixus in iis est pro sua consuetudine *Homerus* et ad Eustathium et ad Periegetem. In quibus id quoque est, veteres Ἐνετίαν quinque syllabis pronunciatiasse, suo tempore Βενετίαν dici. Nihil dicam de his, quae de Venetis ad Padum illorum e Cappadocia colonis referuntur. Nihil enim facilius est, quod *Grotius* prudenter monuit, quam vt in longe disitarum gentium nominibus, si forte aliquo sono congruant, decipiamur. De his nostris Venedis dicam. *Iornandes* sic ait: *ab vna exorti stirpe tria nunc nomina reddidere Veneti, Antes, Sclaui.* Leibnitius in miscellaneis Berolinensibus Antes et Vendos eosdem esse opinatus est et sola pronunciatione differre, *littera* w, (*vt passim fit*) *nunc praepositа, nunc omissa.* In eo ego deliberandum censeo, propendet tamen in diuersa animus. Sed qui possunt eiusdem stirpis et Venedae et Sclaui esse, qui toto genere linguae discreparunt. *Hartenochius* Sclauonice fuisse locutos contendit, quod nunc Vinidi eo sermone vtantur. Verum enim vero si rem explorari ab stirpe oportet, Venedae nequaquam Sclauonice sunt locuti. Nam illi, qui adhuc in agro Luneburgico supersunt, medii inter Germanos, adsciuerunt quidem quaedam Germanica, sed totum adhuc sermonem *Prutenicum*, qualis olim fuit, Lituanicum Curonicum conseruant, vt eorum lingua

6) II. B. 852. Schol. Apoll. ad Lib. II. v. 358.

Digitized by Google

lingua tantum differat a Slauonica, quantum Lusitanica ab Islandica et Romana a Graeca. Id alias pluribus ostendam, cum cognatas linguas inter se conferam in tabula, ad constituendam populorum Scythicorum necessitudinem. Nunc tantum preces sanctissimas domini deique nostri ex *Io. Georgii Eccardi* historia studii Etymologici in testimonium producam. Caue scopulum (v. Leib. Collect. etym.) Sunt in his plurima Germanica, quaedam Sclauonica, quod Venedae inter eas gentes coluerunt, at manent adhuc vestigia veteris linguae Scythicae, quae non nisi ab antiquissima stirpe. Nisi quis dicere malit, et Scythas et Sarmatas in vnum corpus confluxisse. Id vero ipsum nomen Venedarum indicare videtur. Nam *Venden* his, quas dixi, linguis significat *societatem colligere*, quod verosimilius est ἔτυμον, quam *Matthaei Praetorii*, qui quasi *Panaitas*, *rerum dominos dictos* putauit. Sed Venedi in Hexapoli Lusatiae ob longum vsum linguae Sclauonicae magis adhuc degenerarunt. Venedas autem Sarmatici corporis non fuisse, etiam *Cornelius Tacitus* audiuerat: *Venedi multum a moribus Sarmatarum traxerunt: nam quidquid inter Peucinos Fennosque syluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant: hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt et scuta gestant et pedum vsu ac pernicitate gaudent, quae omnia diuersa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viuentibus.*

DE

NVMO MVSEI

IMPERATORII AMIDENO.

Nullus fere ex omni antiquitate numus maioribus doctissimorum antiquariorum disputationibus nobilitatus fuit, quam is, quem produco, quemue Ioannes

Digitized by Google

Valens *inter rariſſimos reponendum* iudicauit; Ioannes Harduinus autem et fere etiam Ezechiel Spanhemius, ex tanta priſci aeris copia vnicum ſui generis in gaza Regis Francorum ſupereſſe arbitrati ſunt. Eius ἔκτυπον Spanhemius primus edidit ad Iuliani Caeſares [1]), et fide praeſtantium apud Pariſinos antiquariorum cuſtodumque Regii cimeliarchii ſubnixus EMI in eo legentium, ad Emiſenos retulit. Mox idem illuſtris vir, difficultatum, quibus haec ſententia vrgeatur, magnitudinem cernens, cum praeterea litteras illas in numo exeſas parum agnoſci moneretur, poſterioribus curis [2]) ſententiam retractauit, atque pro EMI. legendum cenſuit ΕΔΕ. vt pro Emiſeno numo euaderet Edeſſenus. Anno poſt Harduinus in numis vrbium et populorum illuſtratis [3]) vtramque opinionem repudiauit. Emiſam item, vt Spanhemius, a Meſopotamia, in qua numus fuit cuſus, nimis remotam priori ſententiae repugnare monuit, altera autem in ſententia, *pereruditi*, vt aiebat, *Spanhemii*, non potuit acquieſcere, quod . . . MI. *conſpicue legatur, corroſa modo littera, iniuria hominum potius, quam vetuſtate.* Igitur AMI. legebat, vt eſſet Amida Meſopotamiae. Contra Ioannes Valens [4]) concedebat quidem, *ingenioſe* hoc excogitatum eſſe, at primam litteram *paullulum detritam* adſeuerabat, ergo numum ad Emiſenos relatum ſic deſcripſit:

ATT. KAI. AT. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. C. *Alexander laureatus, medio corpore tenus, dextra haſtam, humero laeuo clypeum gerit.*

EMI. KO. MH. ΜΕCCOΠ. *In area A.* | Εμισῶν Κολωνίας Μητροπόλεως Μεσσοποταμίας πρώτης. *Mulier turrita et velata, inſidens rupibus ante arulam, dextra ſpicas tenet.*

Har-

1) p. 96. 2) Ad Iuliani Caeſares p. 491. Confer eundem de Praeſtantia et vſu numismatum Tomo I. p. 603. ſeq. 3) p. 37. ed. Paris 1684. 4) in numismatis coloniarum et municipiorum parte altera p. 120.

Digitized by Google

Harduinus Valenti in Antirrhetico diligenter respondit, coniecturamque suam vindicauit. 5) Spanhemius ea, quae contra se Harduinus dixerat, aegre tulit: nam et aliae simultatum inter eos causſae erant complures. Itaque cum de praestantia et vsu numismatum postremo labore et eximio tractaret, defensionem sui suscepit. 6) Viderat interim et ipse numum, cum Electoris Brandeburgici legatione apud Regem Franciae defungeretur. Igitur negabat, vel a se ipso, vel a Federico Morello, cuius in his studiis exercitationem, quanta fuerit, nemo ignorat, litteras MI. atque omnino priores tres vel quatuor agnosci potuisse, Harduino autem et aliis, ipsi, puta, Vaillantio gratulabatur, *quibus tam perspicaces et lyncei oculi contigissent.* Obiicit deinde nonnulla Harduino, ne ei Amida sua nimis placeret, tum Valenti negotium facessit eique vertit vitio, quod *non ad numi ipsius a se probe et accurate inspecti fidem, eius ectypum protulisset, sed ficuti ad Iuliani Caesares ab ipso vulgatus fuerat.* Ad postremum, vbi vtcumque coniecturam suam de Edessa adseruerat, moderati animi insigne documentum dedit. Non enim diffitebatur, si quid earum litterarum in numo legi possit, ob disertam Mesopotamiae mentionem ad nullam vrbem melius, quam ad Amidam, *cum eruditissimo Harduino* referri posse. Quid interim Ioannes Harduinus? Cum numi vrbium et populorum illustrati in eius operibus selectis iterum ederentur, totum hoc suum de Amida vrbe expunxit, 7) hunc vero numum inter Emisenos strictim recensuit: EMI. KO. MH. MECCOΠ: *et in ipsa area A. Hoc est: Emesa colonia metropolis Mesopotamiae,*

5) p. 92. 6) Tomo I. p. 604. 7) Amstelodami A. 1709. p. 15. 54. Librarius omnem operam in hac editione nauatam, in se recepit: senserunt tamen eruditissimi viri, et praecipue Maturinus Veyssiere Laerosus VC. in Vindiciis veterum scriptorum, ipsum Harduinum, emendationum omnium auctorem, sub librarii nomine latere voluisse.

Digitized by Google

prima: numus eſt Seueri Alexandri in theſauro regio. Hoc quid erat aliud, quam caſtra ſua deſerere et in Valentis fidem atque clientelam ſe conferre? Enimuero diſſimulauit Harduinus, ne quis hoc ipſum perſentiſceret. Ea cauſſa Iobertus quoque, qui totus ab Harduino pependit, omniaque eius παραδοξα, tamquam inuenta perpetuitate digna, conſecrauit, ſtudioſe cauit, ne quid ſibi de Amida elaberetur. Ceterum non eſt infrequens in numis, vt pro ratione aciei, qua cuiusque pollent oculi, et vel lucis, vel vmbrae incidentis, alio alius plus minusue in obtritis veſtigiis cernat. Quam ob cauſſam tametſi me Harduini ſententia oblectabat, tamen citius Valenti, vt exercitatiſſimo viro, credere me oportuit, adfirmanti, EMI in numo exſtare, quam Harduino, neganti, primam litteram apparere. Ergo in hiſtoria Oſrhoëna 8) mei experimentum feci ingenii, atque vt Valenti opem ferrem, Meſopotamiam aliam inter Orontem et Chryſorrhoam coepi conſtituere. Vix tamen pedem quaſi porta ad capiendam nouam prouinciam extuleram, cum iam eundem referrem et Harduino me adiungerem, neque enim animaduerteram, eum ſigna ſua reliquiſſe.

Praeter numi auctoritatem oculorumque, quae cuique obtigit, aciem, rationes quoque fuerunt, quibus quaſi armis in hoc certamine ſummi viri congreſſi ſunt, quaeue iucundae nobis ſpectatu et ad operam noſtram perſequendam commemoratione dignae videntur. Hic Spanhemius et Harduinus initio plane conſentiebant, hoc in numo non potuiſſe ſignari Emiſam, quippe quod extra Meſopotamiam longe ab Euphrate, proxime ad Libanum montem et ad Orontem fluuium eſſet reiecta, ſiue eius prouincia Cyrrheſtica fuerit, ſiue Apamene, ſiue magis Phoenicia: nam ſcriptores veteres inter ſe diſſentiunt. Vrgebatur Valens: tamen diſſimulabat. Tamquam nihil ad ſe, aut ad cauſſam pertineret, quod in hac quaeſtione vim habebat maximam, *cum* inquiebat, *Emiſa Meſopotamiae*

8) p. 188. 189.

tamiae in hoc numo tribuatur, fecit, vt duas in hac prouincia, ſicut in aliis proximis, metropoles conſtitutas eſſe crediderimus, vnam cis Euphratem, alteram trans fluuium: quod confirmare videtur littera A. *in area numi, quam interpretati ſumus, πρώτης, vt in Carrhenis* Δ *pro* Δευτέρας *non ſemel obſeruauimus. Emiſa quidem prima metropolis conſtituta, Carrhae vero vrbs, ſecunda.* Tantum apud Valentem potuit litterae vnius a ſe lectae fiducia. Non diffitebatur Spanhemius quibusdam in prouinciis metropoles fuiſſe duas, at mirabatur, quemadmodum Valens Meſopotamiae metropolin daret, quae, ipſius confeſſione, cis Euphratem in Phoenicia eſſet adſcripta. Deinde ei in memoriam reuocabat Edeſſam, quae ſub eodem Alexandro Seuero, item vt Carrhae, metropolis diceretur in numis, et vero ſine controuerſia Meſopotamiae. Cum autem etiam numum Carrharum ſub M. Aurelio Μητροπόλεως πρώτης dignitate inſignitum obiectat, temporum diuerſitas et fortunae iſtarum vrbium viciſſitudo facit, vt hac re quemquam minime oporteat commoueri. Contra Spanhemii coniecturam nihil admodum Valens: Harduinus vero primum litteras MI. conſpicue poſitas opponebat, tum conſuetudinem in numis Edeſſenis obſeruatam, *in quibus*, inquit, ΕΔΕ. pro ΕΔΕCCA. *vel* ΕΔΕCCAIΩN 9) *haud temere videas.* Non inuictum hoc, neque tamen prorſus contemnendum illarum in numis regionum erat, ſi praeſertim totum auerſae typum huicce notationi adiungas, qualis neque apud Ioannem Valentem, neque apud Henricum Noriſium 10) aut apud alios in Emiſenorum numis reperitur. Ad Edeſſenos enim quam proxime accedit, niſi quod aſtra deſint. Spanhemius numum a Ioanne Valente editum inſcriptumque

ΚΟΛΩ.

9) ΕΔΕCCHNΩN, vt Spanhemius in Harduini ſententia comiter emendauit, non ΕΔΕCCAIΩN. Sed confundit etiam alias Harduinus Edeſſaeos in Macedonia et Edeſſenos in Meſopotamia. Vide Hiſtoriam Oſrhoënam p. 122.

10) In Epochis Syro Macedonum p. 95.

Digitized by Google

ΚΟΛΩ. ΜΑΡ. ΕΔΕ. Harduino rependit. Est apud eundem Valentem numus cum Elagabali προτομῇ et vultu solis radiati, inscriptus EMI. ΚΟΛ. *Emisa colonia* et exstant quoque ia aliarum vrbium numis huiuscemodi formae exempla. Quamquam non est reticendum, propter nimium elegantiae et concinnitatis studium antiquarios plerosque effecisse, vt eorum in operibus haud scias, plusne huicce rei et suo iudicio, quam veritati inseruierint. Facile contingere potuit, vt, si quae litterae, quemadmodum innumeris in numismatibus accidit, margine inter cudendum detruncato abscisae sunt, ab antiquariis deinde sine notatione relinquerentur, tamquam si deessent nullae. In hoc instituto, veteres numos exprimendi tamquam integros, nusquam tuta fides. Qui numos Graecos copiose tractarit, quid dicam, quantumque detrimenti ea ex concinnitate importatum sit, secum velim recolat. Antonius Pagius, grauissimus idem et aequissimus censor, cum a numo Traiani, vt eum Carolus Patinus ediderat, prope circumuentus atque in angustias esset redactus, deinde autem eum a Toinardo et Valente cognouisset, Hadriani esse, *binc*, inquiebat [1]) paullo quidem commotior, sed ab iusta indignatione, *intelligere est, quantum obsint eruditioni antiquarii, dum, quae in numis et inscriptionibus habentur, non satis accurate describunt, et, quod peius, aliquando corrumpunt, correctionis praetextu, ne quidem lectores monendo, quid in iis immutarint.* Sed crebra illa eius querela fuit: neque enim quisquam magis sentire hoc detrimentum potuit, quam magnus Pagius.

Inter haec sententiarum diuortia atque dissidia, Harduini quoque fuit, coniecturam suam de Amida stabilire: neque enim satis hoc ei fuit visum, nullius nomen vrbis in Mesopotamia, illud MI. initio vocis continere, nisi simul demonstraretur, Amidae vrbi et coloniae et metropoleos

1) In Critica Historica Chronologica Tom. I. p. 107. ed. Antuerp. Confer eundem p. 235.

Digitized by Google

poleos dignitatem conuenire posse. Hoc iterum difficile fuit factu. *Ad Amidam*, inquiebat, *e Mesopotamiae primariis vrbibus numus hic attinet, de qua saepenumero Ammianus.* Quod nemo erat inficiaturus; neque enim obscurum est, Ammiani Marcellini aetate inter insignia contra Persas propugnacula Amidam fuisse. Id nobis videlicet demonstrare potuit Harduinus. Sed producitur quoque ab eodem ex Concilii Constantinopolitani primi subscriptionibus: *Mareas Amidensis prouinciae Mesopotamiae.* Et ex Hieroclis notitia Ecclesiastica: Ἐπαρχία Μεσοποταμίας τῆς ἄνω ἤτοι τετάρτης Ἀρμενίας, Ἀμιδᾶ μητρόπολις. *Eparchia Mesopotamiae superioris, seu quartae Armeniae, Amida metropolis.* Addit denique: AMID. in numis Constantini M. occurrit, qua voce signata Amidae moneta intelligitur. Inscriptiones Concilii Constantinopolitani dignae sunt relatu, vt, quae A. C. 381. Theodosio Imp. qui status ecclesiarum in Mesopotamia fuerit, demonstrant. Erat autem sic distributa in duas prouincias. 2)

Prouinciae Osrhoënae.
Eulogius, Edessenus.
Vitus, Carrensis.
Abramus, Batnensis.
Prouinciae Mesopotamiae
Mareas, Amidensis.
Barbes, Constantinianensis
Iobianus, Imerensis.

In concilio Ephesino, epistolae episcoporum ad Cyrillum Alexandrinum subscripsit, 3) *Asterius episcopus Amidae Mesopotamiae.* Et cum deinde ad partes Ioannis Antiocheni sese aggregasset, epistolae synodi orientalium et epistolae ad Antiochenos subscripsit, 4) *Asterius episcopus Amidae, metropolitanus.* In Concilio Chalcedonensi:

2) Conciliorum ab Harduino editorum Tomo I. p. 815.
3) Conciliorum ab Harduino editorum Tomo I. p. 1351.
4) Ib. p. 1533. et 1560.

Digitized by Google

nensi: 5) *Symeon episcopus Amidae, metropolis Mesopotamiae.* 6) Nondum tamen vel sic aetatem Ammiani sumus antegressi. Nam Hierocles quanto deinde recentior scriptor est? Habemus etiam luculentiorem, Nilum Archimandritam cognomento Doxopatrium, 7) qui, cum tredecim sub Patriarcha Antiocheno metropoles recenset, tertio loco τὴν Ἐδέσης ponit, et sub ea episcopos vndecim, decimo loco τὴν Ἀμίδης et sub ea octo episcopos. Sed ex Syris scriptoribus de dignitate ecclesiastica Amidenae vrbis diligentissime egit 8) Iosephus Simonius Assemanus, quem honoris caussa nomino. Quod Harduinus AMID. ex numis Constantini M. subiunxit, vt Amida ante Constantium Imper. videretur celebrari, id quemadmodum fieri potuerit, non video. Quis enim vsquam eiusmodi numum vidit? Ne Harduinus quidem in numis seculi Constantiniani vel vestigium aliquod huiusce numi reliquit impressum. Manet igitur Amida ante Constantium Imper. obscura. Tanto fidentiori anima Valens aduersarium est aggressus: *Harduinus*, inquit, *numum ad Amidam Mesopotamiae in Conciliis metropolin reuocauit, quasi in imperio idem esset, qui postmodum in ecclesia fuit ordo. Amidae ad Tigrim in numis nulla mentio, cuius frequens esset, si metropolis dignitate hoc tempore ornata fuisset, sicut crebra est Emisae.* In eandem sententiam Spanhemius, sed mitioribus verbis disseruit. Harduinus vero non ita imperite egit, vt plane contemni a Valente mereretur. Tametsi enim ab Imperatoribus Christianis quaedam metropoles in ecclesia sint constitutae, quae antea in orbe Romano eadem dignitate minime censerentur, tamen haud facile vetustas imperii metro-

5) Ib. Tomo II. p. 269. 6) Confer Cardinalem Norisium de epochis Syro Macedonum p. 111. 7) Apud Leonem Allatium de consensione ecclesiae Occid. et Orientalis p. 166. 8) In dissertatione de Monophysitis voce Amida et Tomo II. Bibliothecae Vaticanae p. 48.

Digitized by Google

metropoles, praeterquam graui de cauſſa neglexerunt, celebritatem vero vrbium vel maxime ſpectarunt. De hac re inſignis Doxopatrii illius locus exſtat, 9) quem, quia paullo eſt prolixior, lectores mei apud Leonem Allatium requirent. Denique cum Valens tum Spanhemius, omnium in imperio metropolium eandem videntur conditionem ſtatuiſſe, cum in quibusdam id ἀξίωμα nullam prouinciae diuiſionem, ſed honorem tantummodo vrbi tributum comprehendat. Itaque quoties Harduinus ad notitias eccleſiaſticas prouocat, quod ſaepe facit, priſcae celebritatis, ni aliunde eadem fuerit teſtatior, grande fieri praeiudicium ſenſit. Cum autem illius aduerſarii numos alios Amidae vel vrbis, vel coloniae et metropoleos requirant, vtcumque iure factum videri poſſit, tamen ſumma eſt iniuria. Nam, qui haud raro numos vnicos concedi ſibi poſtularunt, iidem Harduino, vt hunc haberet Amidae vrbis vnicum, pro imperio interdixerunt. Crebra, inſit Valens, Emiſae metropoleos in numis facta eſt mentio. Nempe, vt confitetur Valens, tamquam prouinciae Meſopotamiae nulla. Hic, ſi quis dicat, numus eſt vnicus, Emiſae in quo mentio ſit facta, intercedam pro Harduino, eodemque iure, Amidae vnicum eſſe, poſtulabo.

His fluctuationibus iactatus fuit numus. Nunc eundem ex Muſeo Imperatorio exhibui multo luculentiorem, in quo illae maxime litterae, quae tantum turbarum pepererunt, ante alias ſunt conſpicuae. Eſt autem in eo:

Imperator Caeſar, Marcus Seuerus Alexander, laureatus, faſcibus ad ceruicem fluctantibus, loricatus, ſiniſtra clypeum tenens, neque dextera, neque haſta ſignata, vt in Pariſino aiunt cerni . . . A. K. M. A. C. ΑΛΕΞΑΝΔ . . . Αυτοκράτωρ Καῖσαρ, Μάρκος Αυρήλιος, Σευῆρος Αλέξανδρος.

Figura muliebris, ſedens in rupe ante aeulam, ſiniſtram rupi imponit, dextera protendit duas ariſtas, ad

9) l. c. p. 160 ſeq.

ad pedem fluuii genius medio corpore procedit: AM. KO. M . . . MECCOΠ. *in area A.*

Tum caput, tum natis in hoc numo aliquam diuersitatem a Parisino ostentant, sed qualis ferme esse solet in numis eadem in moneta, non vno cusis praelo. Littera A in nomine vrbis sic propemodum est, vti Λ: sic quoque in ceteris huius numi vocibus, quod item in illius aetatis numis frequentissimum est. Legimus autem plane et perspicue, nemo vt ambigere possit, AM· Punctum ad caput τῆ M, sic factum est, vt mihi initio I paruum fuerit visum. Ast nulla aciei intentione opus est, vt agnoscatur, eundemque ad modum reliqua in numo puncta sunt facta. Quare, cum, qui numum gazae Regiae Parisiis inspexerunt, in eo MI. clarissimis ductibus litterarum cerni testentur, potuit isthuc alio ab praelo accedere: cum vero neque Spanhemius, neque Morellus, extremam litteram deprehenderint, potest etiam fieri, vt illud ipsum punctum alios fefellerit. Fuit in Mesopotamia Ἀμμαια, teste Claudio Ptolemaeo, [10]) sed in mediterraneis, cum huius numi vrbem ad fluuium aliquem celebrem fuisse, etiam ipso ex numo demonstrari queat. Et huius quidem Amaeae memoria nullo alio testata fuit monumento, vt, quae vrbs fuerit, explicare queam. Nihil iam reliquum est, quam, vt Amidam in numo signari, cum Harduino, immo eodem etiam repugnante, statuamus.

Video nihilo minus, quod in me onus susceperim: subeundum tamen esse sentio. Principio, vt fassus sum antea, ita prae me nunc fero, ante Constantium Imper. nullo in scriptore istius nomen vrbis reperiri. Ipso imperante Constantio, Ἐξήγησις ὅλκ τῆ κόσμκ ab homine Syro, et, vt videtur, mercatore Antiocheno scripta fuit, cuius vetus interpretatio Latina exstat a Iacobo Gothofredo primum edita. Nondum aliqua ibi Amida: tantum excellentes vrbes et Persarum viribus metuendae Nisibis atque

10) p. 143. Ita etiam in Manuscr. Segueriano apud Montefalconem in Bibliotheca Coisliniana p. 711.

atque Edeſſa. In Geographo Rauennate, qui illo fuit poſterior, vtpote in vno omnium, quotquot ſunt, corruptiſſimo ſcriptore, poteſt alicui *Amaude* 1) *Amida* videri, quamquam Manuſcr. Vrbinatenſe hic *Amande* 2) habet, quod ab illa voce abhorret. Forte huius Rauennatis auctoribus Ἀμεδὶς ſiue Ἀμῶδις ex Procopio Caeſarienſi cognita fuit, de quo caſtello Henricus Valeſius ad Ammianum Marcellinum, quod ſatis ſit, dixit 3). Fuiſſe autem ante Conſtantium Imp. Amidam, Ammianus teſtis eſt idoneus. Neque adeo miror, ante illum fere ſcriptorem mentionem Amidae a nullo eſſe factam. Nam omnium vrbium ad Tigridem ſitarum vetus fama, ſub tanta clade veterum monumentorum et ruina ſepulta, aut ſub obſcura eſt, aut nulla. Huc accedit, quod vrbes in Meſopotamia propter et indigenarum et colonorum diuerſitatem multa habuere nomina, aliter eas Graecis, aliter Syris, Arabibus, Perſis, aliter denique Armenis nuncupantibus, ex quibus nominibus alia aliis temporibus ſcriptoribusue inſignitiora fuerunt. *Amida* vtique Arabicum eſt

امد *Amid*, *Onuſta*, *vt nauis oneraria*, *quae plena eſt*, dici ſolet. 4) Inter Syros Gregorius Bar Hebraeus Malatienſis etiam Amid ſcripſit. 5) Ceteri Syri, vt Dionyſius Patriarcha, 6) Georgius Iacobi Sarugienſis diſcipulus, 7) Chronicon Edeſſenum, 8) Fauſtus Naironus Maronita, 9) *Amed* pronunciant. Arabes quoque *Amed* et *Emed* dicere, Aſſemanus teſtatur. 10) Inde nonnulli exiſtimarunt,

1) p. 70. ed. Porcheronis. 2) p. 5. ed. Hudſon. 3) p. 154. ed. Gron. 4) Golius in Lexico p. 155. Antonius Giggaeus et Meſgnien Meninsky hac voce deſtituuntur. 5) In Asmani Bibliotheca Vaticana Tom. II. p. 322. 6) Io. p. 48. 7) Ib. Tom. I. p. 288. 8) Ib. Tom. I. p. 395. 9) In Euoplia fidei p. 46. et in diſſertatione de Maronitis p. 49. 10) In diſſertatione de Monophyſitis, voce Amida.

Digitized by Google

runt, apud Cedrenum et Ioannem Scylitzen [1]) Σαρακηνικὸν Ἐμὲτ *Amidam* dici, quod, prouti in fabula, perinde duco, vt quisque accipiat. Turcis hodie, tametsi Harduinus negat, حزرا امد *Kara Amid*, a moenibus ex nigricante saxo ductis. Iacobus quoque Golius animaduertit [2]), et دیار بکر *Diâr bekr*, quod nomen toti prouinciae tribuitur, in qua veluti metropolis est, et امد علي دجلة *Amid ali Digjlat*, seu, *Amidam ad Tigrim* nuncupari. Quod vero vrbi nomen fuerit Graecum a Seleucidis impositum, non inuenio. Petrus Montanus quidem, vetus *Amidae* nomen visus sibi est in *Ammaea* Ptolemaei reperisse, eumque secutus est Assemanus in dissertatione de Monophysitis. Hanc opinionem iam reiecit Iacobus Golius, [3]) quod Ammaea a Tigri nimis fuerit remota, et Amidam potius cum Ptolemaei Δάρβητα (in Manuscr. Segueriano est [4]) Δόρβητα) comparari posse censuit, quod nostrum non est, vel refellere, vel plane adseuerare. Persae quidem mirificam Amidae vetustatem praedicant, cum a Thahamurathe, primae dynastiae Persarum tertio rege, conditam referunt [5]). Quis autem his eorum fabulis immoretur? Gratiam tamen habemus tam Persis, quam Arabibus, quod situm vrbis definiuerunt, qualiscunque tandem eorum in obseruando fuerit industria. Nassir Eddin et Vlugbegus sub gradu 73. 40 longitudinis, inde ab insulis Fortunatis Amidam collocarunt, et sub gradu latitudinis 38. o', quae latitudo Durbetae Ptolemaei est: nam longitudo Ammaeae propemodum congruit. Eledrisus [6]) Amidam ab Samosatis LXXVII. M. P. distare tradit, ab Nisibi, LXXVIII. M. P. ab Edessa CLVIII. Et sunt aliarum quoque interualla vrbium notata: sed vaga atque incerta omnis illa Eledrisi dimensio est.

1) Tom. I. p. 135. 2) Ad Alfraganum p. 241. Vide Herbelotum quoque. 3) l. c. 4) Montfauconii Bibliotheca Coislinana p. 710. 5) Herbelotus p. 108. Confer. p. 1016. 6) p. 202. 203. ed. Paris.

Digitized by Google

est. Ita autem propinqua fuit Armeniae Amida, vt ager omnis Amidenus vsque ad Antiochiam a nonnullis in Armenia censeretur, teste Procopio. 7)

Chronicon Edessenum 8) ad annum suum 660, qui annus ab autumno A. C. 348. iniit: بنا قوسطنطيوس بر قوسطنطينوس لامد مدينتنا *aedificauit. Constantius filius Constantini Amid ciuitatem.* Eodem modo Dionysius Telmarienſis Iacobitarum Patriarcha ad illum annum. Assemanus iam monuit, Syrorum hoc esse, aedificatas tradere vrbes, quae moenibus ductis sint instauratae. E contrario Ammianus Marcellinus: 9) *Hanc ciuitatem, olim perquam breuem, Caesar etiam tum Constantius, vt accolae suffugium possint habere tutissimum, eo tempore, quo Antoninupolin oppidum aliud struxit, turribus circumdedit amplis et moenibus, locatoque ibi conditorio muralium tormentorum, fecit hostibus formidatam, suoque nomine voluit appellari.* Locus nobilis, sed aeque difficilis. Ioannes Harduinus et Iosephus Simonius Assemanus, 10) ex eo concludunt Amidam a Constantii nomine esse dictam, de qua re vehementer ambigo. Et dicit hoc quidem scriptor tenebricosus verbis planis: sed Antinonupolis, cuius tamquam eodem tempore conditae recordatur, memoriae eius heic quoque subrepsisse videtur. Illa enim dicta fuit a Constantii nomine. Quae, malum, inquies, Antinonupolis? Quis veterum Romanorum Graecorumque eius mentionem coloniae iniecit? Habemus Edessam in numis Antoninianam, cum colonia in eam ab Antonino Caracalla esset deducta, quod ipsum nesciretur, nisi numi scriptorum silencium explerent. Non haec tamen Marcellini Antinonupolis fuit. Fuit igitur alia co-

7) De B. P. p. 49. et de Aedificiis p. 52. Confer locum ex Hierocle supra citatum. 8) In Bibliotheca Orient. Vaticana Tom. I. p. 395. Confer Assemanum ib. p. 26. et 196. 9) p. 159. ed. Gron. 10) In dissertatione de Monophysitis.

lonia militum Romanorum, ab aliquo Antoninorum deducta, quantumuis scriptores et numi de ea reticeant. Quae fuerit, non inuenerunt, quemadmodum indicarent, vel Valesii fratres, vel Iacobus Gronouius. Et adhuc ignoraremus, nisi insignis locus in Chronico Edesseno a me esset animaduersus, qui me ad Antinonupolin deduceret. Quemadmodum Ammianus Amidam et Antinonupolin eodem tempore a Constantio munitam fuisse commemorat, sic Chronicon Edessenum, postquam ad A. C. 660 de Amida dixerat condita, ad A. 661. refert: بنا توب هو قوسطنطيوس لتلا مدينتا هي دمن قديم انطيفوليس متقريا هوة *Aedificauit etiam Constantius Telam vrbem, quae olim Antipolis dicebatur.* Antipolis vocabulum sine omni dubio ἐξ Αντωνεινουπόλεως, vt Ammianus habet, corruptum fuit. Et huic vero vrbi Constantius nomen suum vel potius patris Constantini imposuit. Testis inter alios est Dionysius Telmariensis, quamquam vbique pro Constantio fratrem Constantinum nominauit, qui error ab Assemano iam est notatus. Ita autem Dionysius de Tela: وهو ببا لتلا دموزلت دبيت نهرين عل شمه قوسطنطينافوليس شمهه *et ille condidit Telam Mauzalat Mesopotamiae vrbem suoque de nomine Constantinopolin appellauit.* Iam hunc quoque Dionysii errorem in nomine *Constantinopoleos* Assemanus sustulit. Quemadmodum deinde in orientalium monumentis celebratissima est Tela, sic eadem in Actis Conciliorum et scriptoribus Graecis Latinisque denique etiam Syris quibusdam, nomine *Constantiniae.* Christophorus Cellarius ex Stephano Byzantio et Suida, vetus nomen Graecum huius vrbis edidit *Nicephorium.* Quidquid sit de Nicephorio, non illa vtique vrbs Tela fuit, seu Constantinia. Nam Theophanes Byzantius ab Assemano iam in hac quaestione testis

pro-

Digitized by Google

productus, Constantinium ad occidentem Nisibis stadiis 56, totidem stadiis ab Amida ad septentrionem remotam prodidit. Qui situs vt in Ptolemaei prouinciam Anthemusiam conuenit, ita a Nicephorio ad Euphratem penitus abhorret. Quare verissimum est, quod Assemanus censuit, 1) Anthemunta seu Anthemusiada et Anthemusiam eam priscis Graecis fuisse vocitatam. Isidorus Characenus, 2) εἶτα Χάρακα Σιδᾶ, ὑπὸ δ' Ελλήνων Ανθεμισίας πόλις, vt in Hoescheliana editione et in Manuscr. Io. Albertus Fabricius in editione Hoescheliana: χαρακοστασίνα rescripsit. Sed illud Χάρακα Σίδᾶ corruptum mihi videtur ex veteri Armenico aut Syriaco nomine vrbis et potius sine emendatione relinquendum esse. Telae vtique, vt Χάραξ diceretur, non conuenit, quippe quae non in valle, sed in colle sita fuit, vnde ei nomen *Tela* obtigit, quod Syriace montem aut collem significat. Anthemusias vrbs nobilis. Tacitus, a Tiridate, quem Tiberius Caesar Parthis regem dederat, captam refert. 3) Capta item cum omni prouincia Anthemusia a Traiano Caesare. 4) Quid mirum, si a L. Veri Antonini legatis recepta, propter opportunitatem situs coloniae honore aucta et Antoninopolis nuncupata fuit.

Nunc, Ammiani loco illustrato, de tempore, quo Amida a Constantio instaurata fuit, quaeremus. Ammianus tradit, a Constantio adhuc Caesare auctam fuisse et munitam. Nihil, vt ita sit, prohibet. Nam Constantium Caesarem a patre Constantino orienti fuisse praefectum ex S. Rufo Festo 5) constat. *Constantinus*, inquit, *rerum dominus, extremovitae expeditionem paravit in Persas, sub cuius aduentum Babyloniae in tantum regna trepidarunt, vt supplex ad eum legatio Persarum accurreret, et facturos imperata promitteret:* nec tamen pro assiduis eruptionibus, quas sub Constantio

1) In dissertatione de Monophysitis voce Tela. 2) p. 2. ed. Hudson. 3) Annalium l. VI. c. 41. 4) Sex. Rufus, Eutropius, Historia Miscella. 5) c. 26.

Digitized by Google

Caesare per orientem tentauerant, veniam meruerunt. Hoc Sex. Rufi loco id ipsum, quod diximus, Antonius Pagius asseruit. 6) Sed Iulianum Caesarem quoque testem habeo. Is enim ad Constantium, postquam eum a patre in Asiam translatum fuisse dixit, 7) τοῖς Παρθυαίων καὶ Μήδων ἔθνεσιν ἀντετάχθης μόνος. *Parthis*, inquit, *Medisque oppositus eras solus.* Deinde etiam res a Constantio in Mesopotamia praeclare gestas praedicat. Nullo tamen adhuc Amida fuit loco, cum Constantinus M. decederet. Nam in diuisione imperii, vt Eunapius commemorat, Constantio Asia Orientisque imperium vsque ad Nisibin obtigit. Iam cum duorum itinere dierum citerior esset Nisibis, quam Amida, si iam tum Amida in celebritate fuisset, ad eam citius Eunapius, quam ad Nisibin, imperii fines porrexisset. Sed non admodum hoc validum est: cum eundem in modum quaeri possit, cur Eunapius imperium Romanum non ad Tigrim fluuium protenderit, quod inde a Diocletiano adhuc quinque prouincias Transtigritanas tenebat. Nempe in nobili aliqua vrbe desinere cupiebat sophista, Amida autem obscura erat. Nihil hoc tamen impedit, quin Chronico Edesseno suum annum Amidae penitus absolutae perfectaeque concedamus, quod propter Antoninopolin pariter instauratam Ammianus tempora susceptae consummataeque munitionis permiscuisse videtur. Sunt vtique auctores, qui initia imperii Constantiani maximis operibus nobilitata confiteantur. Saepe Tigrim ponte ex ratibus strato traiectum Iulianus Caesar testatur, 8) ἤρθη δ' ἐπ' αὐτῷ φρούρια, *castella quoque ad eum excitata sunt.* Addit deinde, Constantium agrum Transtigritanum late vastasse, Persis ne quidem prospicere audentibus. Ea quoque initia imperii Libanius in Basilico magnifice extulit, vbi Constantium laudat, 9) πόλεις, τὰς μὲν κινήσας, τὰς δὲ κατοικίζοντα.

6) In Critica in Baronii Annales Tom. I. p. 433. 7) Orat. I. p. 13. 8) Oratio. I. p. 22. 9) Oratio in Imperatorem Constantium p. 298. ed. Petauii.

Digitized by Google

ζοντα. Denique locus et plane illustris est in Themistio Euphrada, cum Constantium item laudat, 10) ἀγαθαθηρεύμενον καὶ φραξάμενον τὰ πρὸς ἕω, *oriente perpurgato et communito contra tyrannos esse profectum*, et quidem ἀπὸ τῆς τίγριδος ῥείθρων τὰ ὅπλα τρέψαντα ἐπὶ ἑσπέριον ὠκεανὸν, *ab ipsis Tigridis fluentis arma vertisse ad occidentalem oceanum.* Profectus est Constantius Imp. adversus Magnentium et Vetranionem A. C. 350. sub auctumnum. Anno ante perfecta fuerant munimenta Amidae, eodem Telae seu Constantiniae. Nihil aptius ad Themistium illustrandum dici potest. Et cum nocturnum ad Singaram praelium, A. C. 345. commissum fuit, hac clade illata, Constantius excitatus fuisse videtur, vt quam firmissimam ad Tigridem arcem Amidam esse vellet, si quid secus aliquando Singarae accidisset.

Dicat mihi nunc quispiam, hanc tu tamen vrbem nullis ante Constantium monumentis celebrem, et coloniam militum Romanorum et metropolin sub Alexandro Severo fuisse largieris? Nempe id mecum constitui largiri, cum huicce numo fidem tribui conueniat. Cuius auctoritate scriptoris tot vrbes in Mesopotamia et colonias exstitisse et metropoles; ad hunc diem testatum fuit? tamen vbi numi testes producuntur, dubium esse potest nullum. At multi de ceteris numi exstant: videlicet, si, vt de Amida, singuli, id ipsum, quod propter multitudinem credimus, vt opinor; negaremus? Ab antiquariis vero nulla alia causa haesitatum fuit in hoc numo, quam, quod prima littera non esset perspicua, quo scrupulo sublato, nihil reliquum est, quam vt victas manus demus numoque fidem nostram adiungamus. Vt autem res ipsa maiori in luce versetur, Mesopotamiae fata animo recolamus, quae alibi quidem attigimus; sed ita, si ad Osrhoënam historiam pertinerent. Longinqua sub Lucullo, Pompeio, Crasso, Antonio non attingam. Zosimus iactat, 1) a Caesare Augusto limites imperii Tigrim atque

10) p. 301. 1) l. III. c. 32. p. 334. ed. Cell.

Digitized by Google

Euphratem conſtitutos fuiſſe, deinde prouincias eas in Romanorum poteſtate permanſiſſe, donec Iuliani Imper. clade amiſſae, recuperari nequiuerint. Nusquam tantum malae fidei vnum in locum aggeſtum reperias, quantum in hoc Zoſimi eſt, qui, vt Iulianum laudibus efferret, ab ipſa impudentia pigmenta emendicaſſe videtur. Bene tamen haberet, ſi hoc vno in loco ſtrenue ineptiiſſet Zoſimus. Philo, qui Auguſti temporibus fuit proximus, cum de legatione ad Caium Caeſarem, illum, inquam, Germanici filium, commentaretur et orbis Romani amplitudinem opesque ipſo in exordio ornatiſſimis verbis praedicaret, ſic fatus eſt; 2) ἀρχὴν τῶν πλείστων καὶ ἀναγκαιοτάτων μερῶν τῆς οἰκουμένης, ἃ δὴ καὶ κυρίως ἂν τις οἰκουμένην εἴποι, δυσὶ ποταμοῖς ὁριζομένην, Εὐφράτῃ τε καὶ Ῥήνῳ, τῷ μὲν ἀποτεμνομένῳ Γερμανίαν καὶ ὅσα θηριωδέστερα ἔθνη, Εὐφράτῃ δὲ Παρθύην καὶ τὰ Σαρματῶν γένη καὶ Σκύθων. *Imperium plurimarum et maxima neceſſariarum partium orbis, quas quis proprie orbem terrarum appellare queat, duobus fluuiis definitum, Euphrate et Rheno, quorum hic quidem Germaniam ceteraſque immaniores gentes diſiungit, Euphrates autem Parthiam et Sarmaticos Scythicoſque populos.* Et ne aliòs teſtes in hac quaeſtione legitima producam, iam eum vel Iulianus ὁ θαυμάσιος conuincet. Is enim, vt irridendum Auguſtum ſuis daret, mira eum modeſtia in Caeſaribus producit, res ſuas ſtrictim referentem, et iſthuc vero etiam, 3) ὅρια διττὰ, ὥσπερ ὑπὸ τῆς Φύσεως ἀποδεδομένα, Ἴσρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἐθέμην. *Duos terminos, tamquam a natura tributos, Iſtrum et Euphratem poſui.* Quare, vbi Iuliano alibi 4) Tigris Perſiae Romanique orbis ὅρος ἀρχαῖος *vetus terminus* dicitur, tempora Imperatorum, qui poſt Auguſtum fuerunt, reſpiciuntur. Neque tamen Meſopotamia ſemel acquiſita Romanorum in poteſtate manſit, neque poſt Iulianum caeſum, Romanorum in poteſtate numquam fuit. Hoc quidem noſtrum nunc non

2) p. 993. ed. Pariſ. 3) p. 326. 4) Orat. I. p. 23.

Digitized by Google

non est refellere, isthuc autem alterum S. Rufus breuiter confutat, qui, cum Mesopotamiam ab Hadriano Persis redditam dixisset, ita infit: 5) *sed postea sub Antoninis duobus, Marco, et Vero et Seuero, Pertinace ceterisque Principibus Romanis quater amissa, quater recepta Mesopotamia est.* A Traiano igitur, vt Rufus eodem loco testatur, *limes orientalis supra ripam Tigridis constitutus est.* Et alibi: 6) *Antemusium opimam Persidis regionem accepit ac tenuit.* Scilicet Persidis regio Anthemusia, quod in Persarum ditione fuisset. Numus est insignis apud Angelonum, in quo Traianus paludatus inter duos amnes stat, puta Tigridem et Euphratem. ARMENIA. ET. MESOPOTAMIA. IN. POTESTATEM. P. R. REDACTAE. Rufus: *Prouincias fecit, Armeniam, Assyriam, et Mesopotamiam, quae intra Tigridem atque Euphratem sita, irriguis amnibus instar Aegypti foecundantur.* Coloniam tamen ab eodem deductam inuenio nullam, credo quod iis aduersus Persas praesidiis in Mesopotamia vti nollet. Satis deinde constat, Hadrianum, vt de laudibus Optimi Principis detraheret, Mesopotamiam restituisse Persis, vt orbis Romani terminus iterum esset Euphrates. L. Antoninus Verus per Statium Priscum, Auidium Cassium et Marcium Verum, Parthos, vt habet Chronicon Edessenum, 7) subegit, hoc est, Mesopotamiam recuperauit. Prima, quod constet, colonia, deducta est Carrhas. Nam numus eius exstat, inscriptus: ΚΟΛ. ΑΤΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. *Colonia Aurelia Carrhenorum.* Ea deinde, L. Vero defuncto, cum Mesopotamia regenda daretur Auidio Cassio, a M. Antonino etiam metropoleos primae dignitate aucta est. Nam numus eius in cimeliarchio Regis Franciae: 8) ΚΟΛ. ΑΤΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. ΦΙΛΟΡ. Μ. Α. Αυρηλίας Καῤῥηνῶν Φιλορωμαίων Μητροπόλεως πρώτης, inscriptus exstat. In auersa: ΜΑΡ. ΑΤΡ. ΦΙΛΟΡ. Μ. Α. ΑΙΡ. Μάρκῳ Αυρηλίῳ Φιλο-

5) c. XIV. 6) c. XX. 7) l. c. p. 390. 8) Io. Harduinus in numis vrbium illustratis p. 80. ed. Amst.

Digitized by Google

ϛωμαϊοι Μητροπόλεως πρώτης anno CXI. Hunc annum Harduinus cum Septembri A. V. C. 924. et IIo. M. Antonini coniungit, cuius sententiae causas edidit nullas 9). Nos cum illo Carrhenorum anno, A. V. C. 926. aut 927. certis de causis comparauimus. 10) Deinde Carrhae sub Commodo cunctisque Imperatorum ceterorum in numis, tantummodo metropolis. Obseruatum est a Ioanne Valente 1) Singaram ad Tigridem in numo Seueri Alexandri ΑΥΡ. CΕΠ. ΚΟΛ. ΣΙΝΓΑΡΑ dici, itaque eidem videtur a Marco et Lucio Vero colonia ea ante Septimum deducta, vnde appellata fuerit *Aurelia*. Sed vtrum superstite Vero, an deinde a solo Marco, definiri item non potest. Similiter in numo Philippi Nisibis *Iulia*, *Aurelia*, *Septimia* signata est. Res gessit in Mesopotamia L. Septimius Seuerus, nouasque deduxit colonias aut veteres instauravit. Singaram deducta est Legio II. Parthica, vt ex Gordiani et Gallieni numis Ezechiel Spanhemius demonstrauit. 2) De Nisibi testem habemus Dionem Cassium in epitome Xiphilini: 3) ἀξίωμα τῇ Νισίβει δὲς, ἱππεῖ τούτην ἐπέτρεψεν. *Dignitate auxit Nisibin eamque equitatui commisit*. Seu, Septimiam coloniam equitum esse iussit. In duobus numis Iuliae Paulae, quae Elagabalo fuit nupta, CΕΠ. ΚΟΛΩ. NECIBI. Fuit ex Septimii coloniis etiam Rhesaena, quod ex vno Traiani Decii numo Ioannes Valens nos docuit. 4) In eo est colonus cum bobus, inscriptio: CΕΠ. ΚΟΛ. PHCAINHCIΩN. L. HIP. Explicuit Valens: Σεπτιμία Κολώνεια Ρησαινησίων Λικάβαντος ἐίη, seu *anno* 118, tamquam si ea coloniae Rhesaenam deductae epocha fuerit, quae ad Hadrianum vsque adscendat. Sed multimodis haec coniectura suspecta est. Primum in sex numis Decii diuerso typo signatis, in quinque numis Herennine Etruscillae coniugis eius et in vno Q. Herennii Decii

9) Neque l. c. neque in Chronologia V. T. p. 636. 10) In historia Osrhoëna p. 186. 1) Tomo II p. 122. et p. 197. 2) Ad Iuliani orationem T. I. p. 171. 3) p. 320. 4) T. II. p. 122. 197.

Digitized by Google

Decii Caesaris illud L. HIP. occurrit. Quis sibi persuaderi patietur, eodem omnes anno cusos fuisse? Et ponamus, fuisse cusos anno tertio, eodem et postremo Decii, quo anno cum Herennio Caesare consulatum gessit A. C. 251. Ita caput huius epochae ab A. C. 134 et 18. Hadriani exsurgit. Quod autem tantum Hadriani in Rhesaenenses beneficium exstare potuit, cum Mesopotamia ab eo, simul atque imperium adiit, fuisset derelicta? Quare cum alius huius coloniae numus partem Graece, partem Latine inscriptus est PHCAINHCIΩN. LEG. III. GAL. ita similiter in illis factum putabimus, vt colonia militaris deducta fuerit et Legio III. Gallica et Legio aliqua Hipponensis. His rebus in Mesopotamia sic constitutis, dicere potuit Septimius Imp. vt eum praedicasse auctor est Dio Cassius, 5) magnam se regionem imperio adquisiuisse eamque propugnaculum Syriae effecisse. Antonius Caracalla deinde regno Osrhoëno sublato, Edessam coloniam fecit. Ea haud ita multo post a Macrino Imp. metropoleos dignitate aucta fuit, vtique sic, vt potiori loco esset, quam Carrhae, cuius vrbis numi deinde tantum μητροπόλεως, vel, vt sub Elagabalo, μητροπόλεως δευτέρας axioma gerunt. Quae autem potuit esse prima, nisi Edessa, vrbs tum vt maxime opibus florentissima? Nulla deinde alia ad id tempus in Mesopotamia metropolis fuit. Et argumentum huiusce rei in Historia Osrhoëna protuli, quod Edessam oportuerit grandi devinctam fuisse beneficio, cum in Macrini numo, A. O. M. ΕΔΕCCA inscribatur, Αντωνειναὶ Οπελιανὴ Μακρινιανὴ Εδεσσα, vt cum Harduino legi. 6) Malim nunc quidem, *Antoniniana, Opeliana, Metropolis, Edessa. Antoniniana* ab Antonino Caracalla coloniae in eam deductae caussaque *Opeliana* ob metropoleos honorem munere Opelii Macrini Imp. in eam delatum. Antoninus Elagabalus Mesopotamiam neglexit.

Hic

5) l. c. p. 320. 6) In historia Osrhoëna p. 191.

Digitized by Google

Hic ſtatus coloniarum et metropoleon ante Alexandrum Seuerum in Meſopotamia fuit. Is bellum cum Perſis geſſit, vt eam ab Antonino neglectam 7) recuperaret. Nota eſt Elagabali ſocordia, qui, dum laſciuiret, totum Romanum orbem fecit nihili. At hic nulla alia eius culpa fuit, quam quod aduerſus nec opinatos caſus non ſatis vel praeſidiis vel imperio muniuit. Nam, quoad Elagabalus fuit, non iam illas Parthorum vires exſtitiſſe reperio, vt tot iactatae calamitatibus fractaeque inteſtino malo Romanas prouincias ad ſe traxiſſe videantur. Vt cumque rerum potentes exſtiterunt Perſae, tamen aliqua regni Perſici ſpecies, arctis circumſcripta ſpatiis manſit, ſed obſcura eius regni eſt memoria. Tandem Artaxerxes Perſarum rex Parthos ſubegit. Inde iam epocha regni Perſici, ab A. C. 226 Kal. Octobribus, exorditur, vt Antonius Pagius demonſtrauit. Iidem Meſopotamiam, nondum ſatis munitam ab Alexandro Imper. inuaſerunt. Contra eos profectus eſt Aurelius Alexander Seuerus A. C. 229. Anno poſt, confecto bello, rediit et VII. Kal. Octobris triumphauit, Antonio Pagio iterum demonſtrante. De hac expeditione Sextus Rufus: 8) *Aurelius Alexander quaſi fato quodam in exitium Perſicae gentis natus: ipſe Perſarum regem nobiliſſimum Xerxem* (Artaxerxem) *glorioſe vicit.* Apud Aelium Lampridium, 9) Alexander in Senatu dixit: *Perſas P. C. vicimus. Terras Interamnanas, Meſopotamiae ſcilicet, neglectas ab impura illa bellua, recepimus. Artaxerxem potentiſſimum regem, tam re, quam nomine, fuſum fugauimus, ita vt eum terra Perſarum fugientem videret.* Herodianus his nonnihil obſtrepit, nihilque fere, niſi cladem Romanorum exercituum, non inultam tamen, praedicat. Hunc, vt Alexandro minus aequum, tam Aelius Lampridius, quam Iulius Capitolinus nominatim perſtringunt. Mouet me modeſtia Alexandri, quae in eo omnium teſtimonio fuit ſumma, vt nihil eum glorioſius de rebus ſuis

7) Aelius Lampridius c. 56. 8) c. 22. 9) c. 56.

Digitized by Google

fuis apud Senatum iactitasse opiner. Contra in clade Romanorum non modo Herodianus, bonus cum primis scriptor, sed multo magis Dio Cassius me mouet. 1) Nihilo minus ex Herodiano quoque colligi potest, exercitum Alexandri, qui per Armeniam in regiones Tigridi adiacentes irrupit, res magnas contra Persas gessisse. Et Herodianus quidem, Artaxerxem multis suorum desideratis superiorem fuisse praedicat, tamen idem testatur, non minoribus eum cladibus suorum debilitatum in Persiam se recepisse, militem dimisisse, et pacem coluisse. Ετῶν ἂν τριῶν ἢ τεττάρων ἡσύχασαν, καὶ ἐν ὅπλοις ἐγένοντο. *Annos igitur tres aut quatuor quieuerunt, neque in armis fuerunt.* Quartus ille annus in extremum Alexandri incidit. Quae illae tam voluntariae, tam que diuturnae induciae, si illo bello Persae non fuerint repressi? Quid adeo Artaxerxes, neque cum Alexander mox ex Syria decederet, neque cum inde ad Germanicum bellum proficisceretur, nihil tamen ausus est, nisi Alexandro superstite nimis validi in Mesopotamia Romani fuerint? Et Pagius quidem Persis scriptoribus hoc loco nimium tribuit, 2) cum vanitatem eorum facile posset dispicere. Aiunt, Alexandrum fusum multis stragibus *terram Elam et Hamat et Sinear, cum parte Ion et Palaestinam vsque ad Arabiam* Persis cessisse. Elam seu Persia, in potestate Romanorum numquam fuit: Hamat seu Syriam et Ion seu Asiae minoris partem et Palaestinam in Persarum manus minime peruenisse, ne opus quidem est, vt operose demonstrem. Qui tam foeda commenti sunt, iis de *Sinear*, seu Mesopotamia, quis credat? Quae cum ita sint, anno seu 229, seu potius A. C. 230. bello confecto, Amidam colonia deducta est, partem vt milites, qui ad Tigridem fortiter sese gesserant, beneficio illo reficerentur, partem quod etiam ad Tigridem defendendum hoc castellum fuit accommodatissimum. Sed hoc quoque fortium

1) Vide Historiam Osrhoënam p. 193 seq. 2) Tomo I. p. 212.

Digitized by Google

tium virorum honori datum, vt metropolis ea esset colonia et adeo prima. Quid autem? imminutane hunc in modum Edessae coloniae dignitas fuit, quam primam Mesopotamiae fuisse alibi demonstrauimus? Nempe ita commeriti fuisse videntur Edesseni. Cognosce mihi hunc locum Georgii Syncelli, 3) quem Iosephus Scaliger in Excerpta Eusebiana, eo nondum edito, transtulerat: 4) *Οὐράνιος δέ τις ἐν Ἐδέσσῃ τῆς Ὀσραηνῆς αὐτοκράτωρ ἀναγορευθεὶς ἠμὶ κατὰ Ἀλεξάνδρου τυραννήσας διαφθείρεται. Vranius quidam, qui Edessae in Osrhoëa Imperator appellatus, contra Alexandrum tyrannidem inuasit, opprimitur.* Huius Vranii mentionem etiam Zosimus 5) iniecit: *Οὐράνιος δέ τις ἐκ δουλείου γένους ἀναρρηθείς, παραχρῆμα μετὰ τῆς ἀλουργίδος Ἀλεξάνδρῳ προσήχθη, Vranius quidam ex seruili genere Imperator dictus, statim, vt erat purpuratus, ad Alexandrum deductus est. Vranii* nomen suspicor a Graecis ex Persico huius hominis deprauatum fuisse. Dictum, opinor, *Vararanem.* Et ponit haec Georgius inter caedem Vlpiani et inter bellum Persicum media. Itaque Alexander iusta in Edessenos indignatione, metropoleos quidem atque coloniae honorem reliquisse, primatu autem mulctasse eos videtur.

Sed non diuturna ea felicitas Amidae coloniae et metropoleos fuit. Quales milites in Mesopotamia fuerint, cum Aurelius Alexander bellum gereret, Dio Cassius apud Xiphilinum 6) prolixe tradidit. Ita videlicet adfecti, vt pars ad Artaxerxem transirent, pars arma contra Persas ferre nollent, mollitia, licentia et impunitate corrupti. Igitur post Alexandri mortem defectio in Mesopotamia consecuta est, vt Edessa tamen in fide maneret, cuius solius vrbis numus exstat cum Caii Iulii Maximi Augusti. *πρωτομῆ.* Neque vero hoc bellum fuit apertum. Id enim denique, vt ait Iulius Capitolinus 7) *Gordiano iterum et Papiniano Cos. natum est.* Gordianus

3) p. 357. ed. Paris. 4) p. 84. 5) l. x. c. 12. 6) p. 375. 7) c. 23.

anus Aug. II. Cos. cum Pompeiano (hoc enim collegae nomen) A. C. 241. fuit. Persarum rex, vtidem refert, 8) et suis copiis instructus fuit et Romanis. Romanos ait, quos supra defeciſſe diximus. Colonias autem in Mesopotamia defeciſſe ex eo concludo, quod primus impetus belli iam ipsam Antiochiam inuasit, quo penetrare Persae non poterant, nisi Mesopotamiae maxima parte perfidia coloniarum intercepta. Eo denique anno, quo bellum Persicum natum est, Antiochiam a Persis et obsessam esse et captam, et hoc vexatissimo quidem, at insigni loco Iulii Capitolini teneo: 9) Gordianus *per Syriam in Antiochiam venit, quae a Persis iam tenebatur: illic frequentibus praeliis pugnauit et vicit, Sapore Persarum rege submoto et post Artaxerxem Antiochiam recepit, Carras et Nisibin, quae omnia sub Persarum imperio erant.* Hic istud, *et post Artaxerxem*, mirifice torsit criticos, Gruterum, Casaubonum, Salmasium. At nihil aliud Capitolinus dixit, quam Antiochiam fuisse ab Artaxerxe captam, post vero receptam a Gordiano. Parum hoc quidem Latine, sed in Capitolino quis miretur? et duriores etiam sunt criticorum emendationes. Regem, quocum hoc bellum gessit Gordianus, Sex. Rufus et Eutropius 10) *Xerxem*, Eutropii Metaphrasta Ἀρσην, id est, *Artaxerxem* vocant. Perperam hoc, quod eum ab Gordiano victum tradunt: victus est Sapores Artaxerxis filius. Attamen apparet, auctores habuisse, qui proderent, bellum hoc ab ipso Artaxerxe motum, et, vt Capitolinus indicat, ab eodem quoque Antiochiam captam fuisse. Id autem A. C. 241. contingere non potuit, cum iam decessisset Artaxerxes. Antonius Pagius quidem ad hunc annum: *Artaxerxes obiit currenti anno.* Sed calculus eum fefellit. Georgius Syncellus 1) Artaxerxem 15 annos regnasse

8) c. 27. 9) In Gordiano c. 26. Ex iis, quae hoc loco dico, emenda et exple a me dudum dicta in Historia Osrhoëna p. 200 seq. vbi etiam μνημονικὸν ἀμάρτημα Chosroes pro Sapores. 10) c. 14. 1) p. 360.

Digitized by Google

regnasse refert. Accuratius hoc ex Persicis diphtheris Agathias Myrinaeus, 2) quem Pagius sequitur, annos 1. menses 10. Iam si, vt aequum est, cum Pagio, primum Artaxerxis annum ab A. C. 226. Kal. Octobribus exordiamur, A. C. 240. Septembri ineunte fatis functus est Tum vero Sapores maiori vi Syriam inuasit. Zosimus: 3) ἤδη δὲ τῆς βασιλείας ἔσης ἐν ὀχυρῷ, Πέρσαι τοῖς κατὰ τὴν ἑῶαν ἔθνεσιν ἐπίνευσι προσεδοκῶντο, τὴν ἀρχὴν Σαπώρ ἐκ παραλαβόντος μετὰ Ἀρταξέρξην. *Cum iam imperium* (Gordiani) *in tuto esset, Persae gentes orientales aggressuri exspectabantur, cum Sapores post Artaxerxem regno esset potitus.* Quae cum ita sint, necesse est, Artaxerxem extremis annis in Mesopotamia quaedam gessisse; Nisibin vtique et Carrhas proditione, vt opinor, recepisse in potestatem, vt deinde fama eius bello, quod aperta vi gestum est a Sapore filio, immiscereturr. Herodianus vtique eum tantum, quoad Alexander vixit, quatuor admodum annos, quieuisse testatur. Sed dum motus intestini Romanos agitarent, non antea de bello Persico cogitatum est, quam vbi, confirmato Gordiani imperio, Sapores non iam astu et corruptione colonarum rem ageret, sed maximo apparatu impressionem faceret in Syriam. Contra Saporem Gordianus *Augustus* profectus est, non A. C. 241. (nam non me modo, sed etiam Antonium Pagium, acutissimum Chronologum locus ille Capitolini fefellit) sed vt diserte testatur alio loco Capitolinus: 4) *Praetextato et Attico Cos. Gordianus aperto Iano gemino (quod signum erat indicti belli) profectus est contra Persas cum exercitu ingenti, et tanto auro, vt vel auxiliis vel militibus facile Persas vincere posset.* C. Vettius Atticus, et Asinius Praetextatus Cos. A. C. 242. fuerunt. De rebus a se gestis sic Gordianus Aug. ad Senatum scripsit: 5) *Persas, vt breui multa connectam, ab Antiochensium ceruicibus, quas iam nexas Persico ferro gerebant, et reges Persarum et leges amo-*

2) p. 134. 3) l. I. c. 18. 4) c. 26. 5) c. 27.

Digitized by Google

amouimus: Carrhas deinde ceterasque vrbes imperio Romano reddidimus: Nisibin vsque peruenimus: et, si dii fauerint, Ctesiphonta vsque veniemus. Illi reges iterum in tam obscura fama non modo Saporis, sed etiam Artaxerxis nos admonent. In Mesopotamia igitur Gordiano Imp. numi signati sunt Edessae coloniae et metropoleos, Carrharum eodem titulo, tum coloniarum tantummodo, Nesibis Septimiae, et Singarae Aureliae Septimiae ad Tigridem. Earum coloniarum, quamdiu Misitheus Imperatoris socer et praefectus praetorii vixit, optima fuit conditio. Capitolinus: *Cuius viri tanta in republica dispositio fuit, vt nulla esset vnquam* (forte, *vsquam*) *ciuitas limitanea potior* (seu, *alicuius momenti*) *quae non posset exercitum P. R. ac principem ferre,* (hoc est, *alere:*) *quae totius anni in aceto, frumento et larido atque bordeo et paleis condita non haberet.* Gestum deinde bellum Persicum vsque ad A. C. 244. cuius initio Philippus res turbauit, vt Pagius egregie exsecutus est, Iam Amida quae in illo rerum tumultu fuit? Credo ego, quod si ad ceteras colonias in obsequio continendas ab Alexandro condita in fide permansit, oppressam fuisse ceterarum coloniarum inuidia: sin aliter, etiam ipsam Persarum in potestatem defectione peruenisse. Cum autem Gordianus Mesopotamiam recepisset, neglecta fuisse videtur, quod Singara ad Tigrim sufficeret et mox deinde M. Iulius Philippus Nisibenis faueret. Nisibin enim novam coloniam deduxit, quae idcirco in numo IOTA. CEII. KOΛΩ. NECIBI. Iulia Septimia colonia Nesibi. Accessit deinde etiam metropoleos dignitas. Nam in numo Otaciliae Seuerae Augustae est IOTA. CEII. KOΛΩ. NECIBI. MET. Iulia Septimia colonia Nesibi metropolis. Sub Messio Traiano Decio et Q. Herennio Messio Decio Edessae et Rhessaenae numi Sunt. Deinde numi nos destituunt. Vnicum hic proferam Rhesaenae coloniae, qui in Museo Imperatorio exstat. Caput in eo est Decii radiatum. In naui nonnihil obtrita figura muliebris, sinistra tenens cornu

copiae, dextera ad aram sacrificans, respicit aquilam insistentem laureae, tenentemque rostro sertum CEII. KOA. PHCA... ω N. L..... Sic item sunt numi Decii Imp. apud Valentem. Hoc vero in nostro singulare est, quod e regione auris, inuerso in capite, alio praelo caput vrbis turritum altius impressum fuit. Iactatus igitur fuit hic Decii numus, donec Rhesaena, suae vrbis, tamquam liberae, genium imprimeret. Diu iacuit imperii Romani maiestas in Mesopotamia. Diocletianus primus iacturam resarciuit talemque reliquit prouinciam, qualem denique tenuit Constantius Constantini filius.

De situ vrbis agrique Amideni conditione ad extremum dicemus, quod argumentum auersam numi explicabit. Nam hic Genius vrbis in rupe sedet accliui et sinistram vertici eius imponit, quod vrbs in excelso locata esset. Genius fluminis propter Tigridem vrbi vicinum. Ammianus Marcellinus: 6) *Et a latere quidem australi geniculato Tigridis meatu subluitur propius emergentis: qua Euri opponitur flatibus, Mesopotamiae plana despectat: vnde aquiloni obnoxia est, Nymphaeo amni vicina, verticibus Taurinis vmbratur, gentes Transtigritanas dirimentibus et Armeniam: spiranti zephyro contrauersa Gumathenam contingit, regionem vberem et cultu iuxta foecundam, in qua vicus est Abarne nomine, sospitalium aquarum lauacris calentibus notus.* Ismael Abulfeda apud Iacobum Golium 7) cum Ammiani hac descriptione plane concordat. Fuit igitur versus orientem in altum magis euecta, ita vt ex ea agri Mesopotamienses subiecti dispectarentur. Etiam versus meridiem et Tigrim praeterlabentem sic sita fuit. Ammianus: 8) *in summoto loco partis meridianae murorum, quae despectat fluuium Tigrim, turris fuit in sublimitatem exsurgens, sub qua hiabant rupes abscissae, vt despici sine vertigine horrenda non possent, vnde cautis forni-*

6) p. 159. 7) p. 240. 8) p. 166.

Digitized by Google

fornicibus subterraneis per radices montis scalae adusque ciuitatis ducebant planitiem, quo ex amnis alueo hauzirentur aquae furtim, vt in omnibus per eas regiones munimentis, quae contingunt flumina, vidimus, affabre politae. Sed occidentem versus adscensus vrbis impeditus quoque fuit. Ammianus enim ab Samosatensi regione Amidam fugiens, 9) *ciuitatem*, inquit, *petebam anhelo cursu rependo, ex eo latere, quo incessebamur, in arduo sitam, vnoque adscensu perangusto meabilem, quem sciſſis collibus molinae ad calles arctandas aedificatae densius constringebant.* Genium fluminis Tigrim malui interpretari, vt vicinum moenibus, ciuitatique aquam praebentem et percelebrem denique fluuium, quam alium aliquem. In numo Singarae ad Tigridem non possum satis mirari, cur illustris Spanhemius addubitauerit, 10) geniumne fluminis, similiter signatum Tigrim ederet, an nescio quem riuum prope eam coloniam. Ammianus vtique 1) ad Amidae aquilonem Nymphaeum amnem locauit, et ipso in meditullio sub arce; *fons*, inſit, *diues exundat, potabilis quidem, sed vaporatis aestibus nonnumquam foetens.* Abulfeda etiam plures in vrbe fontes esse testatur. Cur autem minora nomina vel Nymphaei, vel fontium, vicino Tigridi Amideni praetulissent? Valesius quidem Nymphaeum in Sophanene, CCXL aut CCC. ab Amida stadiis, ad Martyropolin a Procopio Caesarienſi 2) prodi animaduertens, Ammianum hoc in nomine offendisse autumat. In Ammiano autem nulla tanta fuit oscitantia, vt, cum Amidam contra Persas propugnasset, amnem aliquem ad boream labi et Nymphaeum ab incolis vocitari ignoraret: neque a nobis Procopius postulat, vt aliter statuamus, quam Ammianus memoriae prodidit. Ipse ille Pisides Diaconus Ammiani fidem suffulcit:

9) p. 159. 10) Ad primam Orationem Iuliani p. 171.
1) p. 159. 160. 2) De B. P. p. 25. et 62.

Digitized by Google

Καὶ τὸν μέγιστον ἐκπερᾶσας Νυμφίον,
Ὃς τίγρητος ταῖς ῥοχῖς ἐπιῤῥέων
Ἀποσεσῖται πε καλεῖσθαι Νυμφίος.
Et maximum traiecit Nymphium,
Qui Tigridis fluctibus influit,
Alicubi vero non dicitur Nymphius.

Ergo Nymphius a Martyropoli orientem verſus in Tigridem ferebatur, ad quem fluuium erat Amida. Sed quidquid dubitationis ſupereſſe potuit, totum hoc de medio ſuſtulit nitidiſſimum Iacobi Golii ingenium 3), cum ex Abulfeda oſtendit, بلنفا *Baſilinfa*, prope *Megafarckinum* oriri, atque in Tigrim labi duobus ſupra *Ticrit* (quae Martyropolis quondam fuit) paraſangis: ex nominis autem conuenientia concludit, illum ipſum veterem Nymphaeum eſſe. *Quapropter*, inquit, *cum intermedio loco ſita ſit Amida, non poteſt ipſa a fluuii illius alueo adeo longe abeſſe.* Spicae, quas figura vrbis dextera tenet, vbertatem agri pollicentur. Forte inde etiam Amida Arabice dicta fuit *onuſta*. Iam ſupra ex Ammiano *Gumathenam regionem vberem et cultu foecundam*, ad occidentem vrbis commemoraui. Fruſtra hic Fridericus Lindenbrogius *Commagenam* ſcribi oportere iudicauit. Quanto enim illa ab Tigri ſemota fuit interuallo! Immo Gumathena nomen videtur Armenicum, regionis proxime Amidam vrbem. Sed idem Ammianus quoque 4) patentes ad occidentem Amidae *agros*, *pingues cultosque* praedicat.

3) Ad Alphraganum p. 240. 4) p. 163.

DE

Digitized by Google

DE DVOBVS DIADEMATIBVS IN MVSEO IMPERATORIO.

Pridie eius diei, quo die ANNA AVGVSTA ſanctiſſimis caeremoniis Moſcuae vncta conſecrataque fuit, in ſummorum virorum et doctiſſimorum publica concione apud Academiam, et de virtutibus Augùſtae pro tenuitate ingenii dixi, et, vt conſuetudo Academiae poſtulabat, de duobus diadematibus Muſei Imperatorii diſſerui. Quaerenti enim mihi et mecum conſideranti, quo argumento illum auſpicatiſſimum diem ex more et inſtituto Academiae inſtaurarem, ne meus ſermo a publicis ſtudiis, in Auguſtae venerationem effuſis, penitus abhorreret, aut laetiſſimas auditorum cogitationes ab incredibili voluptate auocarem ad alienas ab hoc tempore litteras, nihil opportunius occurrebat, quam ſi de his diadematibus verba facerem. Reperta ſunt ante aliquot annos, vt relatum eſt mihi, in agro Caſanienſi. Exſtitere apud nos, qui arbitrarentur, haec brachiorum ornamenta fuiſſe, qualia a quibusdam populis geſtari accepimus. Apud Saracenos, vt Conſtantinus Porphyrogenneta memoriae tradidit [1]), inſignia imperii fuerunt annuli. Sed nihil planius eſt et perſpicuum magis, quam ab annulis, qui in brachiis geſtari potuerint, horum diadematum formam abhorrere, contra ea Byzantiis diadematibus penitus congruere. Antoninus ille Elagabalus exacta in Syria puericia, voluit, vt ait Aelius Lampridius, [2]) *diademate gemmato vti, quo et vſus eſt domi.*

1) De adminiſtrando imperio p. 73. ed. Band. 2) c. 2. 3.

Digitized by Google

Etiam imaginem suam pictam illo cum diademate in Vrbem misit ante aduentum suum, vt populum Romanum spectaculo huic adsuefaceret. 3) Siue id honori patrii numinis dederit, cuius in sacerdotio diadema gesserat, vt Gisbertus Cuperus ad Lactantium sibi videri ostendit, siue regum Parthorum aemulatione, absterritus tamen est iudicio populi Romani, a peregrino more alieni. Aurelianus, Augustus quoque, victis Persis et Zenobia Palmyrenorum regina, diadema sumpsit, 4) ita vero, vt post eum coronis radiatis laureisque restitutis aut galeis receptis, primus Constantinus M. *perpetuo diademate* sese exornarit, quemadmodum S. Aurelius Victor fatus est. Constantinus iuxta se fratres quoque et filios diadematibus insigniri passus est. Et cum inde vsque a Domitiano Imp. institutum fuisset, vt Imperatores summo in fastigio Αὐτοκράτορες et *Augusti* appellarentur, proximo gradu, ob spem succedendi consisterent Καίσαρες, deinde fere Augusti modo cum Caesaribus hanc diadematis maiestatem communicarunt, modo hoc solo honore sese praetulerunt. Sed in ipsa forma diadematum saepe mutatum fuit, praesertim cum tiara accederet. Spectari id potest in numis apud Carolum Ducangium, Anselmum Banduriurn et alios. Anna Comnena Porphyrogenneta Alexii Imp. filia perfectum Augustorum diadema, vt tum fuit, sic descripsit in Alexiade: 5) τὸ βασιλικὸν διάδημα καθάπερ ἡμισφάιριον ἔυγυρον τὴν κεφαλὴν διαδεῖ πανταχόθεν μαργάροις κοσμούμενον, τοῖς μὲν ἐγκειμένοις, τοῖς δὲ καὶ ἐξηρτημένοις. Ἑκατέρωθεν γὰρ τῶν κροτάφων ὅρμαθοί τινες ἀπαλωρῆνται διὰ μαργάρων καὶ λίθων καὶ τὰς παρειὰς ἐπιξέασι. Καὶ ἐςὶ τὸ τοῦτο ἐξηρημένον τι Χρῆμα τοῖς βασιλεῦσι ςολῆς. *Imperatorium diadema veluti hemisphaerium vndique conuexum et clausum caput deuincit, ab omni parte margaritis ornatum tum intextis, tum exstantibus et pendulis: nam vtrimque ad tempora ex vnio-*

3) Herodianus l. V, c. 5.
4) Victor in Epitome.
5) p. 87. ed. Paris.

Digitized by Google

vnionibus et gemmis monilia pendent et genas feriunt: (ad imitationem taeniarum veterum a diadematibus fericeis dependentium ad ceruicem) *hoc eximium et proprium Augustorum diadema est.* Tum vero Anna Porphyrogenneta diademata Sebastocratorum et Caesarum describit: οἱ δὲ Σεβαστοκρατόρων καὶ τῶν Καισάρων στέφανοι σποράδην ἔχουσι ὄπτα μαργάρων καὶ λίθων μετέχοντες ἄνευ τοῦ ἐπισφαιρώματος, *Sebastocratorum et Caesarum coronae erant passim margaritis gemmisque distinctae, at sine eminenti orbe, seu tiara.*

Sentio quidem, posse alicui hanc dubitationem iniici, quod hi aurei gemmatique circuli tam parui sint, vix vt aptari capitibus queant, eo neque in diadematum loco ponendos esse. Hunc scrupulum corona Longobardica, quam ferream vulgo vocant, nobis eximet. Formam huius diadematis, quod Modoetiae prope Mediolanum adseruatur cum his nostris conuenire ex tabula cernetis. Amplitudo autem ea est, vix vt duorum annorum puer capite gerere possit, diametro quinque digitorum: pondus vix trium vnciarum est. Modoëtenses ferunt, Helenam Constantini Magni matrem clavos ferreos sanctissimae crucis reperisse atque eorum vnum Imperatoris filii diademati inseruisse: a Constantio deinde diadema dono datum fuisse Gregorio M. Pontifici Romano, hinc ad Theolindam peruenisse, quae Agilulfo primum imponi illud fuerit. Aduersus hos Modoëtensium sermones, cum praesertim populus ad venerationem laminae, tamquam e sacrae crucis claue concinnatae, moueretur, et Antoninus Franchedinus rem ad Viscontium Archiepiscopum Mediolanensem detulisset, hic ad Congregationem Rituum, quae Romae est, integram caussam reiecisset; Ludouicus Muratorius 6) sententiam suam nondum diuulgata caussa protulit, quae spes omnes Modoëtensium prosterneret. Inter ce-

6) Analect. Tom. II. p. 267.

Digitized by Google

tera negauit diadema esse, quia ob minutiem gestari capite non potuerit. Enimuero dum non inficiatur, saepe hoc diadema in inauguratione Imperatorum Germanorum adhibitum fuisse, ex eo, quod etiam Iustus Fontaninus in dissertatione de corona ferrea Longobardorum contra Muratorium vrget, per se apparet, admoueri capiti posse. Non esse ita antiquum, vt Modoëtenses postulant, concedo. Quis credat Constantinum M. se suosque priuaturum fuisse diademate, quod, vt ait Ambrosius in oratione de excessu Theodosii, *clauo dominicae crucis connexum fuit?* Contemplemur formas diadematum in numis Byzantiis inde vsque a Constantini M. temporibus, ita magis etiam confirmabimur, sequioris aetatis eam coronae Longobardicae esse. Muratorius Modoëtenses cum istis rumoribus suis plorare iubet monumentorumque testimonia et auctoritates requirit: Fontaninus vero satis veterem illam famam esse contendit, et peruulgatam, neque absurdam. Equidem, vt inter summorum virorum disceptationes meo quodam iudicio vtar, quod fieri plerumque solet, non sine veri falsique mistura Modoëtensium famam perseuerare censeo. Factum videtur diadema hoc ad Constantinopolitanorum formam, transmissumque a Constantino ad Longobardos, sed minime gentium a Magno. Nomen tamen fefellit Magni, cuius illustrior semper fuit memoria ad populum, quam ceterorum Constantinorum. At illa minuties coronae Longobardicae nos confirmat, ne nostris hisce circulis ob hanc solam caussam diadematum nomen negemus, quod paullo minores sint. Non sunt tam exigui, ac Longobardica corona, quam hic ex Muratorio et Fontanino propositam descriptamque conferre potestis. Scio Ioannem Peringskioldum formam Longobardicae coronae ab hac diuersam ad Theodorici Regis vitam 7) protulisse, vt eam illustris Sparwenfeldius Modoëtii ipse pinxerat. Quid hanc diuersitatem pepererit,

7) p. 573.

Digitized by Google

rerit, dicere non possum: at Italis et consummatissimae doctrinae viris, et orta controuersia, oculatissimis, cur ego potius fidem non adhibeam? Denique etiam de minutie talium diadematum orta mihi est suspicio non absurda, vt arbitror. Cum tot populi, quod ex Constantino Porphyrogenneta mihi constat, diademata Constantinopoli peterent, Constantinopolitani, qui inuiti dabant, de pondere detraxisse et magnitudine videntur, vt et sumptui parcerent et maiestatis imminuerent decus, ne diademata commode gestari possent, et circumferri in capite regio.

Hic intercedere videtur Constantinus Porphyrogenneta nostrisque opinionibus obstare. Ita enim fatur: [8])

Ισθι ὅτι βορείοις ἅπασι γένεσι Φύσις ὥσπερ κατέσχηκε τὸ ἐν χρήμασι λίχνον καὶ ἄπληστον, καὶ μηδέποτε κορεννύμενον, ὅθεν πάντα ἐπιζητεῖ καὶ πάντων ἐφίεται καὶ οὐκ ἔχει τὰς ἐπιθυμίας ὅρῳ περιγραφομένας, ἀλλ' ἀεὶ τὸ πλείονος ἐπιθυμεῖ, καὶ ἀντὶ μικρᾶς ὠφελείας μεγάλα κέρδη προσπορίζεσθαι βέλεται. Διὸ δεῖ τὰς τέτων ἀκαίρες αἰτήσεις καὶ παρρησιαστικὰς ἀξιώσεις διὰ λόγων πειθανῶν καὶ φρονίμων καὶ συνετῶν ἀπολογεῖσθαι καὶ ἀνακρούεσθαι. Αἵτινες ὅσον ἀπὸ τῆς πείρας ἡμεῖς καταλαβεῖν ἠδυνήθημεν, ὡς ἐν τύπῳ περιλαβεῖν, τοιαῦταί τινες ἔσονται εἰ ἀξιώσεί ποτε καὶ αἰτήσονται, εἴτε Χάζα-

Cunctis populis septemtrionalibus quaedam quasi natura est tributa, opum cupiditas, quae expleri atque exsatiari nequeat, vnde omnia expetunt et cuncta desiderant, neque cupiditates vllo termino habent circumscriptas, sed semper plura concupiscunt et pro exigua opera, magna lucra comparare volunt: idcirco oportet eorum importunas petitiones et impudentes postulationes blandis verbis et prudentibus callidisque excusationibus eludere atque repellere. Quae excusationes, quantum nos ab experientia potuimus cognoscere, vt exemplo complectar, istiusmodi erunt. Si quando seu Chazari, seu Turcae, siue etiam Rossi, aut alia gens ex borealibus et Scythicis, vt saepenumero fieri

8) p. 63. ed. Band.

ροι, εἴτε Τέρκοι, εἴτε καὶ Ῥῶς, ἢ ἕτερόν τι ἔθνος τῶν βορειῶν καὶ Σκυθικῶν, ὅια πολλὰ συμβαίνει, ἐκ τῶν βασιλείων ἐσθήτων, ἢ στεμμάτων, ἢ στολῶν, ἕνεκά τινος θελείας καὶ ὑπηρεγίας αὐτῶν ἀποσαλῆναι αὐτοῖς, ἔτω χρή σε ἀπολογήσασθαι. κ. τ. λ.

solet, ex Imperatoriis vestibus aut coronis, aut stolis, pro aliquo seruitio et ministerio suo, sibi aliquid mitti postulent et petant, ita oportet vt te excuses: etc.

Sic deinde filium instruit: ex libris arcanis ad memoriam exstare, et stolas et coronas per angelum ad Constantinum M. a Deo fuisse caelo demissas, iussumque ab eo fuisse, vt in Magna Sancta Ecclesia Sophiae consecrata deponerentur, et vt iis Imperatores tantum in publico festo induerentur: ita igitur Constantinum M. constituisse, vt fieret, et in sacra ecclesiae mensa ex mandato angeli sacrum carmen inscripsisse, quo diras omnes sit imprecatus, si quis Imperator extulisset ex ecclesia: eadem religione teneri, qui ad eatum similitudinem seu stolas, seu coronas conficiendas curaret, nisi, cum confectae fuerint, in eadem ecclesia deponerentur. Addit deinde, Leonem Imperatorem, quod ausus esset sacras vestes et coronam ecclesia efferre domique gestare, repente in vultu carbone erumpente maximis cum cruciatibus animam efflasse, quod de Leone etiam Michael Glycas praedicauit. 9) Videtis populos ad septemtrionem et nominatim, Chazaros, Turcas, Russos ab Constantinopoli tum diademata, tum vestes regias repetere, et pro officio aliquo postulasse. Impetrare potuisse Constantinus Porphyrogenneta negat, quod ad diadematum eorum formam alia confici communicarique ius fasque non esset, iis etiam terrore perculsis, qui gestare auderent. Sed haec ita sunt reperta, vt importunae flagitationes reiicerentur, ne vulgato diadematis honore, Imperatorum maiestas vilesceret. Ante eum vero

9) p. 285.

Digitized by Google

vero Constantinum, vel gestandi extra ecclesiam diadema, vel ad eius formam alia fabricandi, vel honoris causa cum aliis communicandi, religionem nullam fuisse inuenio. Communicati honoris testem vetustissimum vide Cyrillum Hierosolymitanum in epistola ad Constantium Augustum: 10) ἕτεραι μὲν γὰρ, ἀφ' ὧν ἔχεσι τὴν τιμίαν σὺ, πολλάκις σεφανῶσι κεφαλὴν, χρυσοκολλήτους σεφάνους, λίθοις διαυγεσάτοις πεποικιλμένους προσκομίζοντες. Extat apud Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum 1) insigne Heraclii Augusti factum. Nam cum contra Chosrhoën moueret, ponte deuectus in Lazicam, legatos ad Turcarum principem de foedere misit. Turca Imperatori obuiam processit cum magna auxiliariorum multitudine, et ab equo desiliens sese prostrauit humi. Foedus cum eo sanciuit Imperator, καὶ ὃν περιέκειτο σέφανον, τῆς κεφαλῆς λαβὼν, τῇ τοῦ Τέρκης κεφαλῇ περιέκειτο· *diadema capiti suo detractum Turcae imposuit.* Dicat his quisquam minoris dignitatis id diadema fuisse, sine tiara, sine reliquo maiestatis splendore: ego vero hoc vltro concedo, neque quidquam amplius postulo, cum et haec Casanensia diademata, quae produxi, non plenam maiestatis speciem referant. Aio tamen etiam diadema, perfectum absolutumque summae maiestatis apicem Bulgaris fuisse concessum hoc ipso imperante Constantino Porphyrogenneta, vt excusationum illam formam prorsus vanam esse sentiamus. Nam cum Ioannes Tzimitzes, Bulgaria recepta, Borisum Imperatorem in potestatem redegisset, triumpho in vrbem deuectus, τὰ παράσημα τῆς Βουλγαρικῆς βασιλείας, insignia Bulgarici imperii, coram populo Borisо detraxit. 2) Erant autem ea insignia, vt ait Cedrenus, σέφανος ἐκ χρυσοῦ καὶ τιάρα γεγησμένη ἐκ βύσσου καὶ πέδιλα ἐρυθρά. *diadema aureum et tiara et caligae rubrae.* Quod Nicephorus et Cedrenus σέφανον coronam dixerant, id ego, ambiguitatem vocabuli deuitans,

10) p. 305. ed. Th. Milles. 1) p. 11. ed. Paris. 2) Cedrenus p. 682.

Digitized by Google

tans, interpretatus sum diadema. Dixi Constantino Porphyrogenneta imperante hoc diadema accepisse Bulgaros. Nam is Constantinus et Romanus Lacapenus eius socer imperabant, cum Symeon Bulgarorum, gentis Sclauonicae Princeps maximis cladibus Imperatores adfecit, donec pax coaluit durissimis conditionibus. Missi ad Symeonem de pace Nicolaus Patriarcha et alii insignes viri mandatum retulerunt, vt Romanus Imperator ipse praesens a praesente Symeone pacem precatum veniret. Tanta tum necessitas rem Constantinopolitanam vrgebat, vt Romanus Lacapenus ad Cosmidii litus adesset prior Symeonemque exspectaret. Venit tandem Symeon cum suis satellitibus, qui eum clypeis hastisque auro et argento resplendentibus ornati medium ducebant, καὶ ὡς βασιλέα εὐφήμην τῇ τῶν Ῥωμαίων φωνῇ *et tamquam Imperatori Graecis vocibus fausta omnia acclamabant.* Prior exorsus Romanus paene supplex pacem petiit. Annuit Symeon et discessit, δώρεαις μεγαλοπρεπέσι τὲ βασιλέως δεξιωσαμένε τὸν Συμεὼν, *cum Imperator magnificentissimis muneribus ornasset Symeonem*, vt ait incertus auctor rerum Lacapeni. 3) Quod aliud tempus ita accommodatum fuit felicitati Bulgaricae, vt diadema ab Imperatore Constantinopolitano extorqueret ambitiosissimus Princeps? nec modo diadema cum tiara ad maximam maiestatem perfectum, sed etiam maiorem confessionem maiestatis suae, ipsum Βασιλέως titulum, in quo Constantinopolitani ita fuerunt parci, vt eum ne Carolo quidem Magno aut Ottoni ceterisque Imperatoribus tribuerint.

3) p. 252. Symeon Logotheta p. 484 seq. Georgius Monachus in nouis Imperatoribus, p. 580 seq.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Praeterea p. 30. lin. 5. pro *fig. in tit.* lege V. *Tab. V. n.* 6. — p. 54 lin. penult. pro *T. V. fig.* 6. lege *T. VI. n. I.* — p. 222. lin. 22 pro *Tab. V. fig.* 7. lege *T. VIII. n. I.* — p. 374. lin. 17 dele *Tab.* 29. *I. II.* et lin. 20. dele *Tab.* 29. *III. IV.* — p. 376. l. 9. pro II. lege II. lin. 10 dele *veluti* — *Fig. V.* — p. 484. lin. 9. pro *cernitis* lege *cernimus.* — p. 445. dele: *quem hic exhibeo.* — p. 455. l. 18 dele *ab eo* — *nobis.* lin. 27. dele *B.* lin. 31. del. *C.* Diximus in praef. p. 16. additum quoque reliquis esse libellum de diis vialibus, sed mutauimus consilium. Quare noli illum frustra quaerere.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HW 2RF4 0

2 < 17
2 < 18
14
2 < 14



Digitized by Google